Digitized by Google

UN GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

ANNO MDCLXXXIV
publicata,
ac
SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,
&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ &c. &c. &c.
PRINCIPIBUS JUVENTUTIS
dicata,

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.
Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.
Typis CHRISTOPHORI GüNTHERI.
Anno MDCLXXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

POTENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI,

DN. JOHANNIS GEORGII III

Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, S. R. Imperii Archi-Marſchalli & Electoris, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Superioris item ac Inferioris Luſatiæ, Burggravii Magdeburgici, Comitis Principalis Hennebergici, Comitis Marcæ, Ravensbergi & Barbiæ, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI

Pignoribus Sacratiſſimis

Digitized by Google

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,
DN. JOHANNI
GEORGIO IV,
Electoratus Saxonici Hæredi,
Et
DN. FRIDERICO
AUGUSTO,
Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Superioris item ac Inferioris Lusatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergi & Barbiæ, Dynastis in Ravenstein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.

Digitized by Google

TErtius jam, SERENISSIMI PRINCIPES, annus vertitur, ex quo Anglorum, Gallorum, Italorum provocati exemplo, recentiſſimam rei litterariæ Hiſtoriam, ſeu Eruditorum Acta utcunque componere, ac per menſium intervalla publici facere juris cœpimus. Neque hujus inſtituti nos vel hactenus pœnituit, vel impoſterum, ſi vires Divinum nobis Numen proſequendo operi pares ſuffecerit, pœnitebit unquam. Equidem non ea ſumus arrogantia, ut exſpectationi Orbis Eruditi ſatisfactum a nobis arbitremur: quin fatemur potius lubentes, deſiderari in hoc opere noſtro, jureque reprehendi non pauca poſſe. Compertum habemus etiam, non deeſſe, qui Acta hæc ſugillent, ac Theonino velut dente rodant, non niſi obtrectandi libidine, carpentesque quæ vel non capiunt, vel emendare ipſi adhibito quocunque ſtudio non poſſint. Neque dubitamus, inter eos, qui diverſam a noſtra fide religionem profitentur, fore qui-

bus non omnia probentur, quæ in recenſendis Theologici argumenti libris dicta ſunt a nobis, aut dicenda potius fuerunt. Tametſi enim circumſpecta adhibita fuit cautio, ne quod temere nobis verbum excideret, quod durius videri aut aculeatum τοῖς ἐκ τοῦ ἐναντίου *poſſet; non ignoramus tamen, quam teneri multorum præjudiciis præſertim occupatorum ſenſus ſint, ubi profeſſionem fidei, cui a prima ætate aſſueverunt, quacunque ratione convelli, aut quæ convellendæ illi ab aliis traduntur, vel recenſeri viderint. Denique retrolapſis tribus annis qui ediderunt libros, quorum nullam Acta hæc mentionem faciunt, juſtam de nobis conquerendi cauſam habere ſibi videbuntur; ac ſi hoc ſilentio damnare velut eorum labores, aut vilitatis notam inurere iiſdem voluiſſemus. Quæ tamen univerſa eo nondum valuerunt, ut a propoſito dimovere nos, aut curſui ſemel cœpto remoram injicere aliquam potuerint. Nam cordatorum quidem doctorumque virorum, qui defectus &* παροράματα *in hoc opere deprehendent, modeſteque indicabunt, (quod ne facere detrectent, ſummo ſtudio rogantur) minime deprecamur cenſuram, gnari, homines etiam vigilantiſſimos nonnunquam dormitare, & qui firmiſſimis ſtare talis videbantur, titubare aliquando; ut proinde nec a nobis humani quid-*

quam

Digitized by Google

quam putemus alienum. Momum, cujus vel ſupercilium Acta noſtra contemnenda ſtatuit, aut qui invidia accenſus nigris ea ſalibus proſcindere non dubitat, negligendum arbitramur, ſuoque, donec ipſe meliora prodat, livori ac ſuperbiæ relinquendum. Eos vero, qui alienam a noſtra fide tuentur profeſſionem, ea erga nos uſuros ſperamus æquitate, quam in cauſa ſimili a nobis ipſimet eſſent requiſituri: nec poſtulaturos adeo, ut religioni, quam orthodoxam ſacrisq́ literis conformem conſcientia convicti tenemus, ulli unquam ſimus præjudicio. Etſi iidem non poterunt non agnoſcere, ſuorum etiam ſcripta, quibus fides & doctrina noſtra oppugnatur, minime a nobis ſupprimi, ſed ideam eorum Hiſtorice delineatam, quod ipſi cenſoris partes non ſuſtineamus, aliorum, ad quos illa ſpectant, examini ac judicio committi. Deniq́ ſi qui libros ſuos contemtu quodam præteriri a nobis arbitrantur, eos quidem, ut ſuſpicionem eam omnem ponant, ſincere ac peramanter rogamus. Qui jura Principum & actiones editis libellis ſub examen revocare ſuſtinent, altum hic de ſuis ſilentium non mirabuntur; neq́ diſſimulamus, id ſcriptorum genus conſulto a nobis prætermitti. Reliqui etiam ſuccenſere nobis deſinent, ſi expendere velint, nec libros omnes ad noſtras pervenire manus, & creſcente indies eorum, quæ

tantum non obruimur, multitudine, non posse non libros etiam bonos, atque memorari, quin & laudari dignissimos, sub manibus nonnunquam velut disparere. Quanquam nec illud diffitemur, dum de exoticis, quorum notitia inprimis aperienda nostris videbatur, exactiorem curam suscipimus, multa, quæ in Germania nostra procuduntur, omitti, nullius sane vilitatis præjudicio, sed quod in cunctis passim officinis prostent venalia, inque Francofurtanum & Lipsiensem librorum indicem relata, nemini facile ignorari ea arbitremur. Quapropter sicuti causa Divino munere adhucdum nulla est, quæ cœptis nos desistere, & quam exorsi sumus telam abrumpere jubeat: ita fatemur, in suscepto nos labore confirmari maxime, & ad alacrius illum continuandum haud parum excitari, gravissimorum quorundam ac illustrium etiam virorum, qui non in Germania tantum, sed exteris etiam regionibus eruditionis laude florent, honestissimo judicio: quippe qui publice privatimque non dubitarunt utilitatem instituti nostri commendare, cohortari nos ad constantiam, suam & polliceri nobis opem & præstare, sic ut se nihil etiam, quo promoveri hoc negotium queat, omissuros imposterum esse receperint. Nec quidquam tamen est, quod voluptatem nobis adferre potuit majorem, quam

Vestra

Vestra illa, *SERENISSIMI PRINCIPES, DOMINI CLEMENTISSIMI*, *inusitata benignitas & clementia summa, qua ut literas, eorumq́; studia professos a tenerrima ætate complectimini, ita hæc cumprimis Acta Serenissimis Nominibus Vestris usibusque consecrata, hactenus excepistis; & qua Annum etiam eorum Tertium, quem uno volumine comprehensum Celsissimis manibus Vestris cultu subjectissimo offerimus, excepturos Vos esse, adeo firmis persuasum habemus argumentis, ut ambitiosius id nunc rogare non instituamus. Deum vero immortalem veneramur supplices, ut Vestras Celsitudines Potentissimo Parenti, Regiæ Stirpis Matri, Reipublicæ, Ecclesiæ, atq́; universo orbi literato servet quam diutissime. Dab. Lipsiæ Calendis Dec. A. MDCLXXXIV.*

SERENISSIMORUM CELSITUDINUM VESTRARUM

Subjectissimi

Actorum Collectores.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno M DC LXXXIV.

A GENEALOGICAL HISTORY of the Kings of England, and Monarchs of great Britain, from the Conquest Anno 1066, to the year 1677, by Francis Sandford, Esq. Lancaster Herald at arms.

hoc est:

Historia Genealogica Regum Angliæ & Monarcharum Magnæ Britanniæ, ab anno 1066, usque ad annum 1677. Auctore Francisco Sandfordio, Armigero, Feciali Lancastrensi.

Londini, 1683. in fol. Apud Rich. Chisvvel.

Quum absque genealogicæ artis cognitione omnis historia obscura sit ac imperfecta, probari utique, ac quovis laudum genere cohonestari merentur, qui non tantum animum ad ejus culturam conferunt, sed & ita in ea versantur, ut aliis prosint. Quo nomine plurimum literatus orbis debet *Francisco Sandfordio*, Anglo, qui Regum Gentis suæ stemma ac surculos tanta cum cura perquisivit, ut jam in Anglicæ historiæ ea parte, quæ in Wilhelmo Conquestore principium ducit, nihil amplius tenebrarum aut caliginis, quod animum veri cupidum abducere vel morari possit, superesse videatur. Dividit vero opus hoc suum, figuris æneis nitidissimis, quibus Regum effigies, eorundemque & aliarum illustrium personarum sigilla, arma, epitaphia, ac monumenta alia exprimuntur, egregie exornatum, Autor in libros septem; quoniam ipsa Regum sibi succedentium series totidem periodis commode inclu-

ditur. Cujusque Monarchæ res gestas succincte, ac tribus quasi verbis recenset, ortus autem imprimis ac propagines, a rerum Anglicarum Scriptoribus plerumque negligentius traditas, diligenter ac late persequitur. Itaque non eos tantum, qui regnum tenuere, memorat, sed quoscunque e regia stirpe oriundos vel olim Anglia habuit, vel hodieque habet.

Periodus prima Normannorum Dynastiam complectitur, inque ea sistit *Wilhelmum Conquestorem*, post res plurimas prospere ac præclare gestas, filii primogeniti Roberti rebellione infelicem; *Wilhelmum II*, quem historiæ Ruffum nominant, ejusque fratrem *Henricum*, in cujus morte, mascula Normannorum Principum linea exstincta, ac regia successio primum interrupta fuit. Filiam enim ac heredem Henrici unicam Mechtildem, quæ secundis nuptiis Godofredo Plantagenetæ (sic dicto a planta Genestæ, cujus fasciculum in capite gestare solebat,) Comiti Andegavensium juncta fuerat, *Stephanus* Moritoniæ Comes, Henrici I ex sorore nepos, occupato per fraudem regio solio, ab hæreditate exclusit. E liberis, quos ex pellice Henricus susceperat, superstites patri fuere Robertus Glocestriæ, & Reginaldus Cornubiæ Comites, quorum conjugia ac posteri sub libri primi finem nominantur.

Periodus altera Plantagenetæ progeniem, quamdiu ea in plures ramos divisa non fuit, enumerat Initium fit ab *Henrico IV*, filio Mechtildis, qui mortuo Stephano, unanimi applausu regnum cepit, ducta in matrimonium Eleonora Aquitaniæ herede, quæ propter Rosamundæ pellicis amorem marito iniquior, funestam inter patrem ac liberos discordiam fovit, ac quibus potuit, modis nutrire satagit. Mortuo hinc ex mœrore Henrico successit filius *Richardus* ejus nominis primus, qui bello in Palæstina gesto inclaruit. Is quum sine prole decessisset, *Johannem*, fratrem natu minorem, regni hæredem nuncupavit, excluso a successionis spe Arthuro, Godofredi fratris majoris filio, qui paulo post in prælio a patruo captus interiit. Johannes & domi & foris parum felix intestinis subditorum motibus continuo exercitus, in Gallia vero variarum provinciarum dominatu exutus est. Nec magis auspicatum filii *Henrici III* regnum fuit, qui Ludovico IX, Galliarum Regi, jus omne in Normanniam, Pictaviam, Andegaviam, accepta pecuniæ summa, cessit, ne is

cum

cum Angliæ proceribus, Regi ſuo parum propitiis, arma jungeret. Ad hanc regum Angliæ periodum referuntur Richardus Henrici III frater, in cujus filio Edmundo familia Cornubiæ Ducum defecit; & Edmundus, alter Henrici III filius, cujus nepos Henricus duas filias Lancaſtriæ ac Leiceſtriæ Ducatuum hæredes reliquit, e quibus mortua, ſine prole, majori, Blanca minor Johanni de Gandavo nupta, omnes, quas pater tenuerat, dignitates marito attulit, ac cum eo rubræ Lancaſtrenſium roſæ ſtemma fuit. Huc pertinet etiam Wilhelmus Saresberiæ Comes, Henrici *II* ex pellice filius. Ejus mater Roſamunda, quantamcunque Rex curam adhiberet, Eleonoræ tamen Reginæ inſidiis periit. *Ipſius* Wilhelmi ſtirps in nepotibus emarcuit.

Liber tertius quatuor Angliæ Monarchas recenſet, qui cum debito ordine ſucceſſionem regiam ab Henrico II continuarint, ad præcedentem periodum omnino referendi videntur, novam tamen conſtituere poſſint, quoniam fuerunt, qui ex Henrici III filiis Edmundum primogenitum, Edvvardum vero ſecundum, ſed iſti ob corporis vitium in regno prælatum, cum Johanne de Gandavo aſſeruerunt. Quamvis id a Lancaſtrenſium factione, Richardi II tempore, falſo confictum Autor oſtendat, ac idoneis teſtibus probet, *Edwardum* Henrici primogenitum fuiſſe, adeoque regno merito poſt patrem potitum. Hic Walliæ Ducatu per vim occupato, Scotiam invaſit, ejusque regem ſibi tributarium fecit; ſed dum poſtea incolas, ad ſeditionem nimium proclives & Anglicæ dominationis impatientes caſtigare pararet, repente mortuus, bellum filio *Edwardo II* conficiendum reliquit. Aſt ipſe patris monita ſpernens ſuoque indulgens genio, omnium commune odium provocavit, quod eo tandem ſuccrevit, ut conjugis Iſabellæ, quam de adulterio ſuſpectam habebat, auſpiciis & regno & vita privaretur. *Edwardum III* bella adverſus Gallos feliciter geſta celebrem reddiderunt. Edvvardi cumprimis filii ſpectata animi magnitudo, quem primum in Anglia Ducis titulum ac inſignia a patre obtinuiſſe Sandfordius annotavit. Sed quia eum patri ſuperſtitem fortuna noluerat, *Richardus II* ejus filius avo Edvvardo III ſucceſſit. Hic quum ſine prole eſſet, cœperunt inter ſe ipſo vivente regni proceres de ſucceſſione lites agere, quas tandem arma diremerunt, occupante per vim ſolium Henrico Johannis Lancaſtrenſis filio. Richardus regno privatus in carcere, dubium an quæſita morte,

Digitized by Google

interiit. Protrusit illustre stemma trium Edvvardorum surculos quamplurimos, sed eos parum diu, si Lancastrensem ac Eboracensem ramum excipias, virentes habuit. Edvvardus I ex altero conjugio cum Margaretha Franciæ filia, reliquerat Thomam Norfolchiæ & Edmundum Cantii Comites; neutro tamen masculam prolem suscipiente, subito istæ familiæ extinctæ sunt. Edmundi interim filia Johanna, Edvvardo Walliæ principi nupta, Richardi regis mater fuit. Leonellus, quem alii Leonatum dicunt, tertius Edvvardi III filius, & ipse non nisi filiam Philippam, hæredem suam, genuit; quæ Edmundo Mortomaro Marchiæ Comiti nupta, filio Rogero cum hæreditate titulum reliquit, quo cum Johanne de Gandauo, Angliæ regnum petente, disputaret. Emarcuit Marchiæ Comitum stirps in Edmundo, cujus sororem Annam Richardus, Edmundi Eboracensis filius, duxit, quo matrimonio fatalia duarum rosarum dissidia enata sunt. Thomas Glocestriæ Dux Edvvardi III filius natu minimus, uti ipse intempestiva morte occubuit, ita nec posteritatem longam nactus est, filio ejus unico Humfredo in primis pueritiæ annis decedente.

Periodus quarta Lancastrensium res ac imperia describit. Erat Johannes de Gandauo Edvvardi III filius, qui ducta in matrimonium filia ac hærede Henrici Lancastriæ Ducis, ab Edmundo Henrici III filio oriundi, non tantum illius Ducatus in se possessionem derivavit, sed & jus de regno cum Mortomaro contendendi accepisse sibi visus est. Id postmodum armis firmavit *Henricus* Herfordiæ Dux, Johannis filius, quum indigne ferret exilium, quo a rege multatus fuerat; ac superato aliquot præliis Richardo, regnum tredecim annos tenuit. Quibus exactis, cum morti vicinus esset, ipse, referente Sandfordio, agnovit, *sibi parum ad regium diadema capiendum juris fuisse*; ac subjunxit, *se filium precari, ut justitia sedula administratione firmare titulum aut potius corrigere annitatur.* *Henricus V* Angliæ Regum felicissimus, totam pene Galliam armis vicit ac subegit; ductaque in matrimonium Catharina Caroli VI filia, a socero regni hæres nuncupatus fuit. Sed dum Carolum Delphinum uxoris fratrem persequeretur, in itinere ex febri obiit. Ei successit *Henricus VI*, humanarum rerum inconstantiæ ac vicissitudinis triste exemplum. Nam quem puerum duorum maximorum regnorum arbitrum omnes venerati erant, hunc senem, avito etiam imperio exutum, tandem immissi ab Edvvardo Eboracensi

sicarii

ſicarii interfecerunt. Henricus IV primus ex Lancaſtrenſibus Anglorum Monarcha, præter Henricum V patris in regno ſucceſſorem, tres filios ex prima conjuge Maria ſuſceperat, Thomam Clarentiæ, Johannem Bedfordiæ, & Humfredum Gloceſtriæ Duces, qui tamen omnes ſine prole fuerunt. Johanni autem de Gandauo Lancaſtrenſium capiti, Catharina, quam tertiis nuptiis ſibi junxerat, ipſa olim ut pellice uſus, peperit Johannem Somerſetiæ Comitem, cui Richardus II a patruo exoratus, legitimationis literas conceſſit. Atque hic Johannes avus eſt Henrici VII, qui poſt immenſas lites utramque roſam felici matrimonio conjunxit. Ad eundem familiæ ſuæ originem hodierni Wigorniæ Comites in Anglia referunt.

Periodus quinta Eboracenſium eſt. Horum caput quondam Edmundus fuit, Edvvardi III filius quintus, cujus pronepos *Edwardus*, Marchiæ Comes, ſuperato Henrico VI, regnum diu ſibi debitum cepit, ac inter continuos bellorum cum inteſtinorum, tum externorum motus, duos & viginti annos tenuit. Morti proximus filios minorennes *Edvvardum V* regni hæredem, & Ricardum, tutelæ ac fidei fratris ſui *Ricardi* Gloceſtriæ Ducis commiſit, qui regni amore captus, duos illos juventutis principes dormientes injectis culcitris ſuffocari curavit. Aſt male quæſita dignitas parum ipſi diuturna fuit; poſt duos quippe annos ab Henrico Richmondiæ Duce, qui ex Lancaſtrenſibus unicus ſupererat, victus, in prælio, nulla poſt ſe relicta prole, cecidit. Edvvardi IV frater alius Georgius Clarentiæ Dux, parante eodem Ricardo, proditionis falſo accuſatus interiit. Ejus etiam filius unicus Edvvardus, regnante Henrico VII ſibi ab illo, ubi adoleviſſet, metuente, primum carceri incluſus, mox vita privatus fuit.

Periodus ſexta Plantagenetæ poſteros iterum unitos ſiſtit. Uniit autem roſas *Henricus VII* Edmundi Comitis Richmondiæ filius ex Margaretha, unica hærede Johannis Somerſetiæ Ducis, qui nepos erat Johannis de Gandauo; dum matrimonio ſibi junxit Eliſabetham Edvvardi IV Eboracenſis filiam. Hic ad *Henricum VIII* regnum transmiſit, quem *Edwardus VI* impuber ſecutus eſt. Eum *Maria* ſoror natu major excepit, cui denique ſucceſſit ſororum altera *Eliſabetha*, illud illuſtrium fœminarum miraculum.

Periodus ultima Regnorum Conjunctionem tradit. Ea in *Jacobo VI* Scotiæ Rege contigit, quem Eliſabetha Angliæ heredem nun-

nuncupaverat. Is filius erat Henrici Stuart, Dn. de Darley (cui pater Mattheus Comes de Lenox,) & Mariæ Scotorum Reginæ, neptis Jacobi IV ac Margarethæ filiæ Henrici VII A.R. Fatis quum concederet, reliquit ex Anna Daniæ filia *Carolum* illum, qui adeo imparem animi sui magnitudini ac indignum divinis dotibus exitum sortitus est. Persequitur autem turbas illas stricte Sandfordius, quoniam latius eas & singulari cum cura descripserat Wilhelmus Dugdale, eo nomine lectori curioso videndus, & a nobis anni 1683 mense Junio, pag. 227 memoratus. Inde Jacobi, hodierni Eboracensium Ducis, natales ac matrimonia, liberi etiam, & quæ memorabilia ad annum usque 1677 ipsi contigerunt, enarrantur. Ultimum caput historiam augusti Anglorum Monarchæ *Caroli II* tradit, cujus cum Catharina Lusitaniæ Principissa conjugium toti operi colophonem imponit.

Attingit autem Sandfordius, dum Principum gentis suæ origines inquirit, non raro Germanicarum rerum memoriam, inprimis ob fœdera conjugalia, quibus subinde Anglia se Germaniæ, hæc illi junxit. Mechtilden memorat Henrici Primi filiam, Secundi matrem, Henrico IV Imperatori (quem alii quintum numerant,) nuptam fuisse, ac in ejus memoriam factum versiculum recenset:

Ortu magna, Viro major, sed maxima Prole,
hic jacet Henrici, filia, sponsa, parens.

Mechtildis junior Henrici II filia nupserat Henrico Bavaro, quem Autor V vocat, alii VIII faciunt. Ejus pater erat Henricus ille Superbus, qui cum Conrado Imperatori se arroganter opponeret, & sibi & familiæ suæ exitio fuit. Johannes Angliæ Rex, Henrici II filius, mortuo Ricardo fratre, regno potitus, in matrimonium petiit filiam Humberti II, ut scribit Sandfordius, vel rectius III Comitis Sabaudiæ, quæ tamen, antequam sponso jungeretur, decessit. Eo loco quod Autor monet, ab isto Humberto Saxonum Principes originem ducere, id ab historica veritate omnino alienum est. Rerum enim Sabaudiæ Scriptores tantum non omnes ipsi agnoscunt, Saxonicam Domum Principibus suis primam originem dedisse, ac in eo gloriantur. Quamvis interim in caliginosa antiquitate non satis discernere liceat, quis illustris stemmatis ramus nobilissimam Gentem progerminaverit. Habuit ille Humbertus, vel, ut alii scribunt, Hugo, ex tertia conjuge filium unicum, qui quidem ex Beatrice uxore plures liberos

liberos ſuſcepit, ſed nulli ex iis, quod conſtet, Saxonicæ ſtirpi propius inſerti fuerunt, ut non appareat, quid in animo Sandfordius habuerit, quum ſcriberet, ab Humberto Saxoniæ Duces derivari. Cæterum Richardum Henrici III fratrem in Romanorum regem electum, ac a Conrado Colonienſi Archiepiſcopo coronatum fuiſſe, conſentientibus *hiſtoriæ* Germanicæ monumentis, Auctor tradit. In magno enim illo viginti annorum interregno a morte Friderici II ad Rudolfum usque Habsburgicum, Proceres Germaniæ certum eſt ita inter ſe diſſenſiſſe, ut alii Alfonſum Caſtiliæ regem, alii Richardum Cornubiæ ducem caput ſuum elegerint. Ac Richardus quidem imperium per aliquot annos tenuit, ſed quum nimio rigore eos perſequeretur, quos ſibi non ſatis propitios noverat, illorum ita in ſe odium concitavit, ut tandem dignitate exutus in Angliam profugerit. Delatum poſtea iterum Edvvardo III imperium fuit, nolentibus Electoribus in Caroli Bohemi electionem conſpirare: verum is, quia Gallico bello tum vacabat, e regno exire recuſavit.

Quod præteriri porro ſilentio non debet, dedit Sandfordius in genealogico iſthoc opere præclara artis ſuæ ſpecimina, dum ubivis, quæ ad illuſtrem armorum ſcientiam augendam pertinent, ſummo ſtudio & opera evolvit. Regum Angliæ inſignia demum anno 1189 ſucceſſiva facta fuiſſe probat: ac inde colligit, filialem etiam armorem *diſtinctionem* ante illud tempus in Anglia haud obtinuiſſe. Inſignium porro integrorum conjunctiones in ſcuto perpendiculariter ſecto ante Edvvardum II Anglis cognitas fuiſſe negat: interim tempore Edvvardi I in uſu, ut fatetur, erant armorum dimidiatorum nexus, quo pacto Margaretha de Clara arma ſua armis mariti Edmundi de Alemannia Comitis Cornubiæ, filii Richardi Regis Romanorum, univit. Erant autem arma Edmundi leo erectus miniato colore cum corona aurea, in campo argenteo, quem circumdabat margo niger byzantios nummulos ferens. Margarethæ inſignia erant tres cantherii rubri in campo aureo. Hæc duo arma ita fuere compoſita, ut pars dextra dimidium leonem ex armis mariti, ſiniſtra dimidios *tignos*, ita ut tæniæ videantur, ex armis uxoris exhibeat. Edvvardum III obſervat primum ex Angliæ regibus arma quadripartita geſſiſſe, ac in eo imitatum fuiſſe Ferdinandum III, qui Caſtiliæ ac Legionis duo regna poſſidens, novo prorſus exemplo dicitur

 tur

tur illorum arma scuto quatrifido intulisse. Denique Richardum II talamonum seu atlantum illorum inventorem celebrat, quibus scuta illustrium personarum sustineri sueverunt. Quæ insuper alia memoratu digna Vir doctissimus habet, (habet autem quamplurima) apud ipsum videantur. Illud unicum placet sub finem adjicere, quod in signatorio annulo Caroli I Angliæ quondam Monarchæ observavit: videlicet, cum aliorum regum omnium, inde a Wilhelmo Conquestore, sigilla perpetua observatione Reges equites ad dextram intuentis tendentes exhibeant, solius Caroli I sigillo Regem equum sinistram versus, ac in adversam adeo partem, agentem referri.

ילקוט על התורה
שחברו
מהורר ראובן בן מהור״ר האשקי כ״ץ:

hoc est:

Pera Rabbinica in Legem: quam composuit
R. Ruben ben R. Hoschke Sacerdos.

Edita in Synagoga Wilhelmersdorfiana, Anno אמ״ת i.e. 441. supputationis minoris. in fol.

CUm sua in universum Bibliorum Codicem Collectanea Medraschica ex antiquis Hebræorum libris conquisita duobus ingentibus voluminibus, titulo ילקוט *Jalkut*, h. e. *Pera Rabbinica*, rariores omnis generis nummos, rotundos & accisos, cupreos & æreos, argenteos & aureos complexæ, circa finem seculi superioris Cracoviæ edidisset celebris ille Synagogæ Francofurtanæ Darschan, *R Schimhon*, & ea quidem a suo nomine ילקוט שמעוני *Jalkut Schimhoni*, i. e. *Peram Simeoneam* denominari cupivisset; non alio tamen, quam solo *Jalkut* titulo in Judæorum pariter & Christianorum scriptis laudata hactenus novimus. Neque enim erat, cur *Simeoneam* dicerent, quando alius ejus tituli liber nondum extabat; & quamvis ante hos quatuor & viginti annos ילקוט חדש *Jalkut Chadasch*, h. e. *Nova Pera Rabbinica*, Amstelodami prodiret, nec mole tamen, nec æstimio

æſtimio ad celebratiſſimum illud opus hoc aſſurgebat, in alio inſuper argumento occupata; quippe quæ, ad modum indicis, variæ lectionis materiam ordine alphabetico diſtinctam offerebat quidem, ſed aliter non proſequebatur, quam commendatione auctorum, qui eam illuſtraſſent. Ut plane liceat hariolari, Rabbinum aliquem ſibi hæc adverſaria in privatum uſum confeciſſe, ab alio poſt evulgata. At florentiſſimæ famæ doctori Simeoni, *R. Ruben ben Hoſchke*, qui ante paucos annos in Synagoga Pragenſi, cui cum ſuorum applauſu diu præfuerat, ad plures abiit, palmam reddere dubiam anniſus jam eſt, novo opere; niſi id forte illius ſupplementum dicere malis. Commentarius enim eſt in Pentateuchum, eadem qua prior ille methodo, & in eundem uſum conſcriptus, atque titulo ילקוט ראובני *Jalkut Reubéni* h. e. *Pera Rubeniana* in ſingulis paginis conſpicuus, quaſi nimirum continuo Lector de alterius auctoris Jalkut admonendus ſit, ne cum decantato veteri confundat. Quanquam ſubinde Ruben & *Pera Simeonéa* meminit, id cætera dans operam, ut ea tantum proferat, quæ in Simeonis opere non comparent. Diligentiam non mediocrem adhibuit; excuſſis (præter Bechajum, Tanchuma, Siphre, Siphra, Mechilta, Rakanati, Rabbos, alioſque R. Simeoni tritos) potiſſimum Cabbaliſticis monumentis, qualia ſunt Bahir, Sohar, Jonas Illem, Medraſch hannehlam, Gali Raſia, Aſeres maamaros, Schahare Zédeck, Schahare Orah, Sepher hakanna, Sepher hapliah, Maaréches haélahus, Minchas Jehuda, Oſios R. Akibæ, Sepher hattagin, Pardes, Pirke Schira, Jezira, Tubh haárez, Zijoni, Megalle hamukos, Raſiel, Kanphe Jonah, Gavnath Ari, Hemeck hamelech, Sod Schirim, multiſque aliis, ipſis Hebræorum magiſtris vix fando cognitis, e quibus, quidquid in rem ſuam ipſi facere videbatur, ſtudioſe collegit, ut perpetuum in legem Commentarium, & veluti catenam Cabbaliſtico-Rabbinicam exhiberet. Quoad ſuperſtes erat, typis exſcribi noluit, lambens ſuum indies fœtum; millies interim manuſcripta circumferebatur magno pretio inter Judæos ejus admiratores hæc pera; quam cum poſt ejus mortem Pragæ typis credidiſſent, poſt impreſſa aliquot illius folia editionem prohibuiſſe Judæi ferunt Archiepiſcopum; quare Wilmersdorfium (quæ Synagoga, altero ab urbe Noricorum lapide, libere Judæorum libros excludit;) tandem perlata, lucem jam anno octogeſimo primo adſpexit.

Digitized by Google

R. MOSIS MAIEMONIDÆ DE SACRIFICIIS Liber. Accesserunt Abarbanelis Exordium seu Proœmium Commentariorum in Leviticum: & Majemonidæ Tractatus de consecratione Calendarum, & ratione intercalandi: quæ ex Hebræo convertit in sermonem Latinum, & notis illustravit Ludovicus de Compeigne de Veil, A. M.

Londini 1683. in 4.

SIcuti R. Moses Majemonides apud cives suos tantam dudum adeptus est laudem, ut de eo pronunciarint, a Mose, Propheta scilicet, ad Mosen, Ægyptium nimirum seu Majemonidem, non surrexit Mosi similis; ita non minoris est dignationis apud Christianos, quippe qui solidæ atque ingentis doctrinæ virum fuisse unanimes affirmant. Hinc Philologi summi magno numero scripta ejus in linguam Latinam transtulerunt. *Buxtorfius* Moreh Nevochim, *Gentius* Rosch Amanah, & Hilkorh Deoth, *Vossius* Ofedim Kokafim & Afodah Sarah, *Voisin* Jovel, *Hilpertus* Teschufah, *Schmidius* Annotat. ad Massecheth Schabbath & Erubhin, alii alia Latine reddita erudito orbi communicarunt. His comparandus, si non aliquibus anteferendus *Dn. de Compeigne*. Postquam enim, ut alia aliorum, in quibus similis auctoris apparet industria, prætercam, tractatus Majemonidis, *de pane fermentato & azymo*, cui titulum fecit, de solennitate paschatis, *de connubiis* ante novem annos, *de Consecratione Calendarum & ratione intercalandi* ante annos quatuordecim, ex Hebræo Latinos factos & notis illustratos vulgaverat: & præcipue non ita pridem ejusdem librum *de culto divino*, in quo templum Hierosolymitanum, ejus instrumentum, ministrorum ordo, reique divinæ ratio describitur, versum & notationibus necessariis elucidatum ediderat; consequens fere necessarium esse videbatur, ut propter argumentorum affinitatem & frequentissimam unius in altero allegationem, librum *de Sacrificiis* Latina civitate donatum emitteret.

Quid præter versionem in hoc opere dederit effectum, ipsemet in Proœmio disserit, quando ait: se difficilia explicasse, obscura illustrasse,

luſtraſſe, latentia aperuiſſe, & ea denique, quæ niſi cum inſigni quadam negligentia prætermitti non poterant, protuliſſe. Porro, quia Majemonidæ tractatus ſæpiſſime hinc inde eſt impreſſus, monendum credidit lectorem, quibus editionibus & exemplaribus in contexenda verſione fuerit uſus. Memorat autem duplicem. Venetam utramque, quarum una A. 1524, altera A. 1574 cum binis commentariis & animadverſionibus quibusdam prodierunt. Harum diſcrepantias ſedulo annotavit, ita quidem, ut non obſcure conjiciamus, antiquiorem multis in locis emendatiorem longe eſſe recentiori, cum hanc ex illa ſæpiſſime corrigat, non item illam ex hac. Utramque ex fontibus ipſis, *Miſchna* nimirum & *Gemara*, unde Majemonides pleraque depromſit, vel etiam ex obſervationibus Rabbinorum aut Philologorum aliis, ſicubi falſam deprehendit, fideliter emendat, & ne quid celaſſe videatur Lectorem ſuum, Miſchnæ quoque editionem a ſe adhibitam nominat.

Totus liber abſolvitur *tractatibus ſex*, quorum *primus* de ſacrificio paſchali, *ſecundus* de ſacris ſolennibus, *tertius* de primitiis animantium, *quartus* de noxiis imprudenter admiſſis, *quintus* de indigentibus piaculi, *ultimus* de beſtiarum conſecratarum mutatione loquuntur. Circa *ſacrificium paſchale* ſedecim examinat præcepta, jubentia quatuor, vetantia duodecim, quæ victimam paſchalem primam & ſecundam, utriusque tempus definitum, remotionem fermenti ex ædibus ante cæſionem victimæ, extorum ejectionem, panis azymi & olerum amarorum ſimultaneam appoſitionem, modum præparandi, locum & ſocietatem comedentem, convivas inhabiles, oſſium ſervandam integritatem, cautelamque, ne quid de victimis in mane craſtinum, de ſacro ſolenni in perendinum relinquatur, concernunt. De *ſacris ſolennibus* diſputans, præcepta ſex, imperantia quatuor & prohibentia duo, in medium profert. Imperat frequentationem ſolennium, obſervationem temporum ſtatorum, hilaritatem & ſolennitatem ſeptimo quoque anno celebrandam; prohibet, ne vacui coram Domino compareant & dona Levitis debita negligant. *Primitias animantium* quinque præceptis abſolvit, quorum duo conſecrationes partuum & decimarum animantium injungunt, tria reliqua comeſtionem partus primi ſani & integri extra urbem, & redemtiones partus primi nec non beſtiæ decumarum nomine ſacratæ,

cratæ prohibent. *In tractatu quarto* præmonet primum, capite præsertim quinto multa occurrere re & nominibus obscœna, quæ tamen ipsi ut rerum & verborum interpreti omittere non licuerit, nec Guilielmum Outramum imitari, in cujus libro de Sacrificiis ea non inveniantur: dein ipsa præcepta, numero quinque, affirmativa omnia, de noxiis imprudenter admissis enarrat, quæ sacrificia, statum piaculare privati per imprudentiam delinquentis, pro delicto dubio, pro delicto certo, inæquale divitis & pauperis, piaculare senatus de re graviore per errorem contra jus fasque respondentis præscribunt. De *indigentibus piaculi* quatuor præcepta volentia proponit, quorum bina priora fœminam profluvio sanguinis temeratam & puerperam, posteriora virum profluvio genituræ pollutum & lepra contaminatum, sublatis inquinamentis, respiciunt. In *bestiarum consecratarum mutatione* tria inveniuntur præcepta, quorum duo tum summissionem bestiæ alius in locum consecratæ, tum variationem religionis animantium sacrorum prohibent, unum vero ut summissa etiam bestia sacra sit, injungit.

Ad *versionem Auctoris* quod attinet, sensum in plerisque sequitur accuratius quam verba, sic tamen ut aliquando ab ipso sensu textus Hebraici quodammodo recedat. Quæ tamen cum non adeo magni sint momenti, nec adeo multa, commendanda adhuc venit modis omnibus industria ejus, excitandusque videtur ulterius, ut quæ subinde in Annotationibus nova pollicetur ingenii documenta, orbi erudito invidere nolit. *Notæ* licet strictiores sint & pauciores, sua tamen non defraudandæ encomio. Etenim aliqua in illis continentur satis bona ad meliorem intellectum historiæ sacræ & cumprimis quorundam N. T. locorum. Sic iter Sabbati, de quo Act. I. 12; mandatum Christi: tolle grabatum, Joh. V. 8; hymnum paschalem Matth. XXVI. 30; duplex genus eunuchorum Matth. XIX. 12; evulsionem spicarum ab Apostolis factam Matth. XII. 1. sq. explanat, aliaque loca obscuriora, Matth. X. 40, 1. Cor. V. 7, Hebr. XIII. 11. seqq. illustrat, & ex antiquitate Hebraica dilucidat. Præterea ex R. Bechai Commentariis in Leviticum, ex Josephi libb. Antiqq. Judaicarum, ex R. Joseph Karo Notis כסף משנה inscriptis multa affert, quæ vel ad Majemonidem corrigendum, vel ad loca obscuriora explananda conducere videntur. Refutat Philonem Judæum, quod ex animantibus

tibus

Digitized by Google

tibus immundis etiam alia præter fœtus aſinorum lege primitiarum obligata fuiſſe ſtatuat, & lib. 3. de vita Moſis arbitretur, poſt exactum paſcha demum acceſſiſſe aliquos ad Moſen, dicentes, ſibi non integrum fuiſſe ſacra paſchalia celebrare, ob domos funeribus funeſtas. Alia quoque ad Philologiam Rabbinicam pertinentia attingit: carpit aliquem, qui exiſtimans per verbum שבות intelligi illud, quod ne *Sabbato* fieret lege divina ſancitum erat, perperam adducat effatum Chriſti Matth. XII. 5, cum tamen notet ſaltim id, quod ſabbatho ne fieret cautum erat edicto ſapientum: exponit, quid per שלמים per נרבין intelligatur: notat quædam de vocibus גוי & כותי: disſerit de Baal Peor ejusque cultu ex Bammidbar Rabbah, Majemonidis Moreh Nevochim, Hieronymo & Seldeno, poſtremamque ſententiam facit ſuam: agit etiam de jurejurando, ejusque diviſiones aliquot & ſubdiviſiones proponit: nec non de Synedrio quædam profert ſatis erudita.

Sequitur *Proœmium R. Iſaaci Abarbanelis*, quod Commentaria ejus in Leviticum præcedit; ubi docte non minus quam concinne & perſpicue idem argumentum pertractatur, ut poſſit eſſe loco Introductionis in totam doctrinam de ſacrificiis. Nec absque ratione Majemonidi annectitur ab auctore, ſed partim, quia Majemonidis veſtigia Abarbanel premit in plerisque, partim quia illum in aliquibus quæ obſcuriora videbantur, illuſtrat. Textum ipſum Abarbanelis appoſuit, non tantum, quia rarior apparet ejus Commentarius in Legem, verum etiam, quia editio, quam unicam habemus, infinitis propemodum ſcatet mendis. Hoc tamen prætermittere forſan fuiſſet ſatius, de quo in Præfatione gloriatur, ſe videlicet notas ſymbolicas, quas vulgo abbreviaturas dicunt, expleviſſe, & nomina divina יהוה & אלהים quæ a Judæis aliter exprimuntur, prius per יי poſterius ה in ד vel ק mutato, integra reſtituiſſe; cum utilitas, quam linguæ ſanctæ ſtudioſis inde pollicetur, non ſit tanti momenti, ut non potius tiro quivis vel ſemel monitus hanc deprehendere valeat.

Appendicis loco adjecta eſt *verſio tractatus Majemonidis de conſecratione calendarum & ratione intercalandi*, quem, licet antehac ſeorſim prodierit, ſtudioſe recognovit, & notis atque variarum lectionum obſervatione adauxit, & quia in numerorum rationibus peccatum erat valde, ad corrigendos illos Dethlevum Cluverium, ex Societate

tate Regia Londinenſi unum, Virum in Aſtronomia excellentiſſimum, conſuluiſſe ſe ingenue fatetur, innuens hanc Majemonidæ diſputationem in tabulas eſſe digeſtam a Cluverio, una cum ejus opere magno, quod *Pandectas Aſtronomiæ* inſcribit, propediem vulgandas. Denique in *Corollario* ex Talmude obſervat, viſum eſſe LXX viris Interpretibus, ut aliqua loca Pentateuchi aliter quam in ſacris originibus concepta fuerant, ponerent, & ſimul inde, quod ex aliis libris ſimilia allegata non ſint, adhibita autoritate Joſephi, concludit, Viros LXX præter Pentateuchum nihil tranſtuliſſe.

RARA MAGNÆ GRÆCIÆ NVMISMATA, collecta & edita a Proſpero Pariſio Patricio Romano A. 1592, nunc denuo edita.

Noribergæ 1683, in 4.

QUÆ ſuperioris ſeculi ſecundo & nonageſimo anno Philippis, Regi & Principi Hiſpaniarum, ipſcripta Romæ primus evulgaverat numiſmata, circumpoſita tabulis, quibus magnam Græciam delineaverat, Proſper Pariſius Jurium Doctor Romanus, ea in commodiorem redacta formam tabulis ſuis avulſa, nuper ſecunda cura edidit Jo. Georg. Volckamerus, Medicus Noribergenſis clariſſimus. Præferunt iſta Græcarum urbium nomina variis ac diverſis ſignis ac formis excuſa: Bruttiorum puta, Rheginorum, Crotoniatarum, Locrenſium, Thurinorum, Sybaritarum, Mamertinorum, Valentinorum, Pandoſiorum, Terinenſium, Carciniorum, Acherontinorum, Petilinorum, Cauloniatarum, Hipponenſium, Neapolitanorum, Cumanorum, Sinueſſanorum, Calenorum, Sueſanorum, Nolanorum, Puteolanorum, Tianenſium, Calenorum, Capuanorum, Atellanorum, Scyllatiorum, Temeſiorum, Brundiſinorum, Tarentinorum, Salentinorum, Metapontinorum, Velienſium, Poſidoniatarum, Nucerinorum, Picentinorumque, quos omnes ad Calabriam pertinuiſſe auctor refert, extremam Italiæ & ampliſſimam regionem: quæ ob multas magnasque in eam deductas Græcorum colonias, & frequentes commeationes ac commercia iſtius gentis, *Græcia magna* dicta fu.

Hait

Hanc Archiepiſcopales ſedes 4, Epiſcopales 29, Abbatias 40, Oppida regia 15, Principes 6, Duces 4, Marchiones 14, Comites 11, Barones 59 habere ſcribit; & cum regio hæc ſanctiſſimorum ac doctiſſimorum virorum, pontificum, martyrum, jureconſultorum, medicorum, ac fortiſſimorum belli ducum, denique in quavis arte inſignium hominum parens extiterit, eos ordine recenſet, antequam ipſos nummos æri inciſos oculis objiciat. Quos quidem ipſos, & his multo plures, in Huberti Goltzii Sicilia & Magna Græcia anno 1576 Brugis primum evulgata extare negari non poteſt; correctiora tamen a Proſpero numiſmata ea eſſe exhibita, in *Præfatione* doctiſſimus Arnoldus affirmat. Quæ tanto commendabiliorem librum hunc Volckameri cura iterum editum reddit, quanto exactius recenſum *præſtantiſſimorum medicæ ſimul ac nummariæ rei Scriptorum* animis curioſorum & elegantiorum litterarum ſtudioſorum ſubjicit: quæ utiliſſima Iatrophilologorum ſylloge ſplendorem & decus eximium libro conciliat.

HISTORIA CALVINISMI & PAPISMI *Parallela. Tomus II.*

Roterodami 1683. in 4 & 12. Apud Regn. Leers.

PRiorem operis hujus tomum menſe ſuperioris anni Decembri, pag. 520. ſqq. exhibuimus. *Reliquum ergo eſt,* ut promiſſi memores, quæ altero tomo pertractantur, ſtrictim referamus. Cum vero *Maimburgius* tria accuſationum capita contra Reformatos jactet, quod nempe occaſionem bellorum dederint; quod ſectam fecerint inſolentiſſimam & crudeliſſimam; quod denique rebellionem adverſus reges & principes ſubditis inſpiraverint: permiſſum ſibi eſſe putavit autor apologiæ, ut eadem Maimburgio, ſive *Papiſmo*, per modum, ut ait, recriminationis ſeu retorſionis opponeret. Papiſmi autem & malorum, quæ ex Paparum dogmatibus, principiis, regulis, actionibus, ſecuta fuerint, originem notabilem in ſeculum octavum collocat, juſtoque Dei judicio factum ſcribit, quod Maimburgius in libris ſuis de *Iconoclaſtis*, tum de *Schiſmate Orientis & Occidentis*, & de *Declinatione Imperii*, iſthæc omnia ipſe propoſuerit, quamvis ſpecioſe incruſtata: ſed veram & genuinam rerum harum faciem, ex hiſtoria hac Papiſmi confidit apparituram eſſe.

Digitized by Google

Primam igitur ejus partem conſtituit hiſtoria de *Iconolatris* & *Iconoclaſtis*, de qua agitur *parte III* (quæ eſt liber hujus tomi primus) *cap. I.* Statuit autem Autor, teſtimoniis tum veterum tum recentiorum adductis, quod primis Chriſtianiſmi ſeculis nullæ fuerint imagines in templis, & difficile probatu ſit, an crucis figura ſuper altaribus picta fuerit, quod aliqui aſſerere voluerunt: cœpiſſe autem Romæ, aut in vicinis locis, martyrum hiſtorias in templis ſeculo quarto pingi, ex *Prudentio*, & *Paulino* Ep. Nolano, colligit; incrementa vero animadverti ſeculo ſexto, cum *Serenus*, Maſſilienſium Epiſcopus, abuſus ſublaturus, imagines plane tolleret; ſed *Gregorius* I vulgo *Magnus*, Romanus Epiſcopus, tolerandas, & populum de vero earum uſu inſtruendum eſſe ſtatueret. Hanc opinionem facile, ait, in Italia locum inveniſſe, ut adeo imaginum cultus Romanæ Eccleſiæ fœtus genuinus haberi debeat: difficilius vero receptam in Gallia & Germania, quod patet ex concilio a *Carolo Magno* Francofurti contra imagines habito. Sed Imperatorem *Leonem* III, cognomento *Iſaurum*, ejusque ſucceſſores, cum Iconolatriæ ſeveriora remedia opponerent, Pontifices Romanos (qui ſe tamen illo tempore Imperatorum ſubditos eſſe palam agnoſcebant) adeo offendiſſe, ut hi populos ad rebellandum, & imagines armis defendendas concitarint. Itaque bella inter Impp. & rebellantes proceres, aut provincias, innumerasque alias calamitates Pontificibus adſcribi debere, qui ob quæſtionem, ad fidem non pertinentem, tot clades orbi Chriſtiano intulerint, ut leviſſima ſint, ſi cum illis comparentur, quæ Reformationis occaſione Gallia, aut aliæ provinciæ paſſæ ſunt. Maimburgii ſubleſtam fidem, & ingenium aulæ accommodatum, ex hiſtoria ejus de *Iconoclaſtis* oſtendit; ficta imaginum miracula, & fraudes ad ea ſupponenda protrahit, & inter alia ex autoris illius temporis Arabis, *Said Ibn Patrik*, notabili narratione firmat. Fruſtra etiam infelicitatem temporum *Iconoclaſtis* imputari notat, quæ non minor ſub *Iconolatris* deprehendatur. *Cap. II*, avulſo occaſione motuum circa imagines, Pontificum Rom. artibus, occidentis imperio, & ad Francos delato, non potuiſſe ait Chriſtianæ Eccleſiæ unionem cum Imp. Orientis ſervari, non magis, quam Iſraeliticæ, poſt invaſum decem tribuum regnum a Jeroboamo. Itaque ſchiſma cum Græcis *ſecundum* turbarum fomitem eſſe tradit, ejusque occaſionem ſeculo

nono

Digitized by Google

nono natam, cum inter *Ignatium* & *Photium* de *Patriarchatu Conſtantinopolitano* certaretur, & ille expulſus Romanum Pontificem appellaret. Culpam autem ſchiſmatis in Pontifices Romanos recidere ſtatuit, quod cum primatu ſeſſionis imperium affectarent, Bulgariæ diœceſin Græcis controverſam facerent, & turbatoribus ac rebellibus ſe jungerent: factum id, cum *Baſilii Macedonis*, qui Imperatorem legitimum necaverat, partibus accederent. Refert inde concilia ſub *Nicolao* I & *Adriano* II, item *Johanne* IIX habita, quorum aliqua a Latinis, alia a Græcis pro Oecumenicis venditantur; & occaſione Johannis iſtius de *Johanna Papiſſa* tractat, eamque extitiſſe, autorum minime ſuſpectorum teſtimonio probatum videri aſſerit, eluſa *Baronii* conjectura, & *Maimburgii* aſſeveratione, ac ſi fœminæ nomen Johanni IIX ideo impoſitum fuerit, quod Græcis in renunciatione juriſdictionis ſupremæ ceſſiſſet. Rejicit etiam imputationem, quod libri *Mariani*, *Sigeberti*, *Martini Poloni*, qui hiſtoriam *Papiſſæ* tradunt, ab hæreticis corrupti fuerint; quia codices longe ante *Lutherum* excuſi, & plurima MSC. extent, quorum fidem ſcriptores ſeculi XIII & XIV conſenſu ſecuti ſint. Elevat etiam tradita a *Niceta Paphlagone*, quem Maimburgius in hiſtoria Græca ſequitur, licet ipſe fateatur, invectivas eum potius quam hiſtoriam ſcripſiſſe. Nec *Anaſtaſii Bibliothecarii* fidem in omnibus admittit, ſed præfert *Zonaram*, & alios. Excuſari non poſſe Pontifices dicit, quod non ob dogmata, ſed ob ſolum primatum, ſchiſma fecerint, nec Græcis, & Orientalibus Patriarchis, ad conſervandas duas tertias Eccleſiæ, ceſſerint. Hac enim ſuperbia & obſtinatione factum eſſe, ut Imperium Orientis debilitatum deſertumque, & Turcorum jugo ſubjectum fuerit. Horrendum etiam eſſe, quod totam orientalem Eccleſiam anathemate ob illam primatus quæſtionem percuſſerint, & quantum in ſe erat, tot myriades Chriſtianorum orco deſtinaverint. *Cap. III, IV, & V, tertium* bellorum fontem aperit, in concitatione Principum ad *bella ſacra*, ſive recuperandam *Paleſtinam*. Id nullo jure fieri potuiſſe ſtatuit, ſed ſub abſurdæ ſuperſtitionis, a monachis quibusdam (inter quos *Bernardus* fuit) præpoſtero zelo ſtabilitæ, prætextu, nihil aliud quæſitum, quam ut principes, nobiles, populique Chriſtiani, viribus & opibus exhauſti, dominatui Pontificio locum facerent, & Græci imperii reliquiæ penitus contererentur. Narrat per

compendium, quam imprudenter per duo ſecula *paſſagia* illa, ſivè *cruciata*, ut vocabantur, ſuſceptæ fuerint, ſtulto zelo, ſine conſilio, pecunia, commeatu: quam flagitioſe iſti exercitus omnes vixerint; quam miſere innumeræ hominum myriades perierint, nihil denique tanto ſanguine dignum actum, ſed Chriſtianorum in Oriente conditio, ante illa bella tolerabilis, longe durior facta fuerit. Refutatur paſſim Maimburgius, iſta excuſans aut defendens. *Cap. VI quartum* bellorum inter Chriſtianos fomitem in affectata ſuprema Paparum poteſtate temporali & ſpirituali conſtituit. In hac enim arcem Papiſmi ait conſiſtere; nec errores ullos imputari iis, qui hanc agnoſcunt; nec orthodoxiam eos juvare, qui hanc rejiciant. Ad exceptionem, quod *Gallicanus Clerus* Pontifici temporalem poteſtatem neget, multa reſpondet, & reſpici potius *Hiſpanorum* & *Italorum* ſententiam debere contendit. Nam ex hypotheſi, quod ſpiritualis poteſtas univerſalis Papæ competat, ſpecioſe ſequi, temporalem ei non eſſe denegandum, quia ſine hac ſpiritualem valide & utiliter exercere & tueri non poſſit. Dein ſi Chriſti vicarius eſt, nec ullus princeps Chriſto obſequium, ne in temporalibus quidem, denegare auſit, rationem nullam eſſe, cur id Papæ non deferatur. Probare hoc tot ſeculorum praxi, & exemplis damnatorum a Papis & exautoratorum Regum. Concilii *Florentini* & *Lateranenſis* decretis invalide objici *Conſtantienſia*. Denique eſſe in Gallia monachos & Jeſuitas, quique eorum partes foveant, Epiſcopos, qui cum curia Romana, Italisque & Hiſpanis conſentiant. Papiſmum autem ſive poteſtatem Pontificiam a religione ſeparari non poſſe, licet id tentaverit auctor quidam recens in libro, in Actis anni 1682 menſe Octobri pag. 310. a nobis memorato, cui titulus: *Media ſecura & honeſta ad convertendos hæreticos*. Obiter taxat quosdam ex Proteſtantibus, qui miniſtris Eccleſiæ temporalem poteſtatem in Principes tribuant, eamque ſententiam ab Eccleſia *Reformata* agnoſci negat. *Cap. VIII* demonſtrat quæ dixerat, de affectato a Papis ſummo imperio, ex hiſtoria rerum inter illos & Imperatores Romano-Germanicos, præcipue adverſus *Henricos*, patrem & filium, geſtarum, & quæ ſecuta ſunt, usque ad *Innocentii III* tempora, unde jure eligendi Pontifices & Epiſcopos, & ſupremo in urbem Romam imperio Imperatores exciderint: quæ omnia quanto ſanguine conſtiterint, quantasque clades

rei

Digitized by Google

rei Chriſtianæ dederint, ex auctoribus illorum temporum manifeſtum eſſe. Perſequitur *Cap. IIX* ea quæ *Adrianus* & *Innocentius* IV contra *Fridericum* I & II tentarunt, ut Imperatores Vaſallos ſuos facerent, ortasque inde *Gibellinorum* & *Guelforum* factiones, immanium bellorum & cladium cauſas. Dein refert, ut *Rudolphus* I & ex ſucceſſoribus alii coronationis ritum & ipſam Italiam Pontificum metu neglexerint; *Henricus* vero VII accepta coronatione novum prætextum *Clementi* V Pontifici dederit, ut conſtitutione ſolenni prætenſionem *vaſallagii*, ſive juramenti fidelitatis ab Imperatore præſtandi defenderet, quæ nunc quoque inter *Clementinas Tit. de jurejurando*, legitur; inſolentiora etiam eſſe, quæ ſucceſſor ejus *Johannes* XXII auſus ſit: & licet *Ludovicus Bavarus* in comitiis Imperii ſeſe opponeret, *Antichriſti* & *Satanæ* titulo Papæ impacto, notum tamen eſſe, quibus calamitatibus ille ſe expoſuerit, & quomodo æmulus ejus atque ſucceſſor *Carolus IV* indignis modis Pontifici ſe ſubmiſerit. *Capp.* IX, X, & XI, hiſtoriæ ſchiſmatum inter Pontifices ipſos, a ſeculo quarto usque ad decimum quintum epitomen exhibet, & in ea *quintam* bellorum inter Chriſtianos ſcaturiginem collocat, allegato & taxato *Mainburgio* & aliis, qui iſta *Antipaparum* certamina utcunque excuſant, & fulmina excommunicationum, quibus ſe invicem perſecuti ſunt, pro invalidis & nullis habent, aut bona fide alterutri parti adhæreri potuiſſe concedunt. *Cap.* XII quæ hucusque deduxit, & Papiſmo, *ſive aſſertæ poteſtati* pontificiæ tribuenda eſſe ſtatuit, jam etiam ex dogmatibus quibusdam non orthodoxis ingentes turbas excitatas fuiſſe commemorat, v.g. ex injuncto clericis cælibatu. Narrat itaque, quæ ſeculo nono & ſeqq. in *Germania, Anglia* aliisque provinciis Europæ evenerint, cum Pontifices uxorum uſum Clero adimerent, hi vero reſiſterent. *Cap.* XIII idem oſtendit ex ademtione S. calicis, calamitates Bohemiæ & vicinis provinciis ea occaſione illatas recenſens; ubi obiter caſtigat autorem hiſtoriæ *Wiclefi* nuper editæ, cujus menſe Novembri ſuperioris anni pag Actorum 506 meminimus, præſertim ubi de *ſalvo conductu*, *Huſſo* & *Hieronymo Pragenſi dato & violato*, intricate locutus eſt.

Hucusque de *primo recriminationis capite* egit. Nunc parte ultima ad duo reliqua progreditur, & *ſecundum*, quod Papiſmus inauditas crudelitates perpetraverit, lectionibus ſive capitibus undecim

C 3 abſolvit

Digitized by Google

abſolvit: nihil tamen repetit ex iis, quæ in præcedentibus narraverat, de crudelitate per ſupplicia Proteſtantium, tanquam hæreticorum, & in bello civili Gallico a Romano-Catholicis exercita, nec quæ ex hiſtoria bellorum ſacrorum retulerat. Sed *cap.* I exponit, quæ contra *Valdenſes* ſeu *Albigeos* in *Aquitania*, & qui eos tuebantur, regionum dominos, licet Romano-Catholicos, inaudita ſævitia ſeculo XIII geſta ſint. *Cap. II* refert continuatam perſecutionem ſeculo XIV & XV usque ad ann. 1561 contra reliquias Valdenſium, qui ſe in *Valles Alpinas*, aliqui etiam in deſerta *Calabriæ* loca receperant; ſimulque notat, quomodo per meras calumnias Inquiſitorum, affiicta iis fuerint dogmata, quæ nunquam agnoverint, & ad documenta provocat, ex quibus falſificatio manifeſte appareat. Digreditur inde *cap. III* ad ea, quæ Romano-Catholici adverſus *Indos* eodem crudelitatis ſpiritu, ſub prætextu converſionum patrarunt, autorem *Bartholomæum de las Caſas*, monachum & epiſcopum Hiſpanum ſecutus. *Cap. IV* tranſit ad noſtrum ſeculum, & inter exempla crudelitatis numerat & narrat etiam ea, quæ ſub Ferdinando II Imperatore in Bohemia contra Proteſtantes decreta, & executioni mandata fuerunt. *Cap.* V quæ in *Hibernia* anno 1641, ſumma barbarie adverſus Proteſtantes a Romano-Catholicis perpetrata fuerunt, occiſis hominum plus quam trecentis millibus, & quæ anno 1651 incolæ vallium in *Sabaudia* paſſi ſunt: ſed hæc attingit ſaltem & *Legeri* hiſtoriam de iſta perſecutione conſcriptam allegat. Addit pauca de *Hungarorum* Proteſtantium calamitate nupera, & damnatis ad triremes eorum paſtoribus. Demum *cap.* VI abſolutiſſimum ſummæ crudelitatis exemplum producit, deſcribendo *Tribunal Inquiſitionis Hiſpanicæ*, pleriſque etiam Romano-Catholicis exoſiſſimum. Cum vero omnis iſta ſævitia ea ratione nitatur, quod hæretici morte ſint puniendi, ad quæſtionem illam examinandam *Cap.* VIII accedit, & argumenta pro affirmativa ſerio proponit. Excuſat tamen, quod ab adverſariis ſemper objici ſolet, exemplum Proteſtantium, qui ipſi quosdam hæreticos ad mortem condemnaverunt, ut in *Anglia* & *Geneve* factum eſt, aſſentientibus ibi *Crammero*, hic *Calvino*. Ait enim rigorem illum ex reliquiis Papiſmi ſuperfuiſſe, nec tamen niſi adverſus enormiter contra Articulos Symboli Apoſtolici & cum blaſphemia errantes, & in paucos, neque in ullum Pontificium, qua talem, exercitum, nec poſtea continuatum.

Cap.

Cap. dein VIII, argumenta pro negativa affert, & ipſius Maimburgii verba allegat *libr. I Hiſt. Calv.* dicentis, *ſufficere ad indicium falſæ & a Chriſto, pacis DEO, non profectæ, ſed Evangelio contrariæ religionis, ſi violentis modis ſtabiliatur*, & huic ſententiæ hodie a Pontificiis paſſim dicit ſubſcribi. *Cap.* IX ex praxi Eccleſiæ veteris idem firmat, & *Cap.* X ad argumenta pro affirmativa reſpondet. Ne tamen dicere videatur, ac ſi omnino nihil contra hæreticos decerni debeat: mentem ſuam *Cap.* XI ita declarat, ut magnum hæreſium diſcrimen eſſe notet; adeoque audiendos non eſſe dicit, qui ſtatuant, nullum errorem circa fidem damnabilem eſſe, inter quos merito taxat autorem Tractatus *de fide humana*, a nobis in Actis menſis Julii proximi pag. 306 relatum. Damnandas dein eſſe ſtatuit ab Eccleſia quidem omnes hæreſes; ſed magiſtratum obligari, ut diſſidia autoritate ſua, quantum poteſt, componat, leviora toleret, gravius vero errantes, ſi ſententiam mutare nolint, ſaltem ad ſilentium adigat, & a propalatione erroris arceat, præfracte autem obnitentes, non ut errantes in dogmate, ſed ut violatores præcepti ſui & quietis publicæ puniat. Nam ut error theoreticus tolerari, neque conſcientia cujusquam conſtringi poſſit, ut credat, quæ non vult; fas tamen eſſe, linguam & manum coercere. Sic recte *Arium*, *Dioſcorum*, & *Eutychen* relegatos fuiſſe, qui prohibente Imp. errores ſuos diſſeminabant. Utut autem adverſus hæreſiarcham, pro re nata ſeverius procedi debeat, nec *Genevenſium* factum, *Servetum* punientium, ratione aut jure careat; non poſſe tamen nec debere populum ſeductum, multo minus totas gentes, eo modo tractari: prohiberi poſſe ab initio cultum publicum, at ſi is ſemel permiſſus fuerit, aut pacta cum populo errante inita, ſervari hæc omnino debere, nec ob mutata tempora aut alio prætextu violari; & hanc ſententiam a *Becano*, aliisque Theologis Romanenſibus, quantum ex ſcriptis eorum appareat, probari.

Tertium recriminationis caput reliqua hujus *quarti libri* parte per *octo* ſectiones tractatur. Repellit *cap. I* ut calumniam Satanicam, quod Calviniſmus rebellionem adverſus reges doceat, & inter alia exemplum allegat *Rupellæ* civitatis, quæ extrema potius ab irato Rege ſuo pati, quam ab eo ad Anglos deficere voluerit. Dein doctrinam hanc adverſæ partis autoribus imputari jure poſſe ait, qui parricidia Regum defendant, eosque monarchiæ Pontificiæ ſubjiciant, pro ar-

bitrio

bitrio deponendos & tollendos. Speciatim vero *Janſeniſtam*, quem ſenem ſolitarium & exulem vocat, & leoni decrepito ex cavernis rugienti comparat, aggreditur, qui libro *Reformati* cujusdam, vel adverſariorum judicio modeſtiſſimi, cui titulus *Politica Cleri Gallicani*, apologiam oppoſuerit, convitiorum plauſtris refertam, ea prolixitate, ut paginis reformati autoris vix ducentis duo ingentia volumina objecerit, repetendo ex libris ſuis aliis, quæ toties dixerat. Magnam ejus eruditionem agnoſcit, ſed culpat eum, ut nimium ſui æſtimatorem, qui ambitione & pervicacia ſua ſe ſuamque familiam, totamque ſectam peſſundederit. Objecerat autem *Arnaldus* (is enim eſt, quem deſignat, quemque tandem capite ultimo aperte nominat) Reformatis libros *Buchanani* & *Paræi*, tum qui ſub nomine *Junii Bruti*, & ſine nomine ſub titulo, *de jure Magiſtratuum in ſubditos* & *ſubditorum officio erga Magiſtratus*, editi dudum fuerant. Hos poſteriores duos Reformatis tribui poſſe, autor negat, neque propoſitiones ex prioribus extractas, ab Eccleſia Reformata agnoſci, quanquam longe moderatiores ſint iis, quæ innumeri ex Romanenſibus contra reges ſcripſerint; non diffitetur tamen dari poſſe regna, ubi regula *Barclaji* de poteſtate populi ſupra Reges, locum habeat, & ſub abſoluto etiam dominio, Regibus populum hoſtiliter perſequentibus reſiſti poſſe putat. Defendit *Articulum 40 confeſſionis reformat.* ubi dicitur, parendum eſſe Magiſtratibus, etiam infidelibus, *ſalvo tamen ſupremo DEI imperio*: nam idem dici ait, quod Scriptura dicit: *obediendum eſſe DEO magis, quam hominibus.* Supplicia *Mariæ Stuartæ*, & *Caroli I R. Britanniæ*, religioni Reform. minime imputari poſſe oſtendit: *Hungaros* etiam excuſat, ſi poſt diſputatam libertatem & privilegia, conſcientiæ ſuæ aliter conſulere nequiverint, quam Turcorum protectionem implorando: nam ſi cum his ob cauſas mere politicas fœdera a Regibus contrahantur, idem etiam pro religione licere iis, qui publica libertatis vindicandæ jura habent. Ad exempla *Suecorum Sigiſmundo Polono*, & *Germanorum Carolo Quinto* reſiſtentium (quanquam ad Lutheranos pertineant) reſpondet, ex cauſis politicis bella iſta geſta eſſe. Poſthæc *cap. II* principia Papiſmi proponit de obedientia Pontifici, ut capiti Eccleſiæ, debita: de effectibus excommunicationis, per quam omnis poteſtas principum, omniſque obligatio ſubditorum ſolvatur; de temporali Pontificum in Reges potentia, bulla

Boni-

Digitized by Google

Bonifacii IIX, quæ incipit: *Unam ſanctam* &c. aperte ſtabilita, neque ab ullo Pontifice revocata. Fruſtra hæc excuſari ab *Arnaldo*, dum obedientiam Pontifici debitam ad normam S. Conciliorum & Patrum reſtringit: quia norma iſta controverſa ſit, & decreta Concilii *Florentini* & *Lateranenſis* ſanctiſſima Romæ habeantur, contemtis *Conſtantienſi* & *Baſileenſi*, & quia populus diſtinctiones *Janſeniſticas* non capiat. Hunc articulum de ſumma Pontificis poteſtate & infallibilitate omnibus in Romana Eccleſia, cum baptizantur, confirmantur, & ſacros ordines ſuſcipiunt, inculcari, & juramenti inſtar eſſe contendit: ex eo vero irrefragabiliter ſequi, quod Pontifici jus fasque ſit, reges ob hæreſin deponere, & hanc conſequentiam a *Janſeniſtis* ipſis vehementiſſime *Jeſuitis* objici, imo hæreſin ex hoc capite illis imputari, allegatis auctoribus, probat. Negat autem ſententiam illam a *Jeſuitis* nuper excogitatam, ſed antiquam, & a *Gregorii* VII temporibus hucusque defenſam eſſe; a Pontifice etiam qui nunc vivit, cujus ſanctitatem *Arnaldus* celebrat, & ab eo *galerum Cardinalitium* ſperare putatur, non minus atque a Prædeceſſoribus ejus foveri dicit, quod ex *reſponſione Papæ ad Clerum Gallicanum* pateat. Imo *Cap*. III contra *Apologiſtæ* Catholici aſſertionem ſtatuit, *Clerum Gallicanum* non tantum tempore *Ligæ*, vel ut ineptiſſime objiciatur, ex doctrina *Buchanani*, ſed omnium doctorum Pontificiorum, eandem ſententiam tenuiſſe, atque etiam nunc, ſi libere loqui liceat, profeſſurum eſſe, licet metu regiæ potentiæ nuper anno 1682 contrarium decreverit. Regem certe pervincere huc usque non potuiſſe, ut Sorbona *Archi-Epiſcopi Strigonienſis* theſes oppoſitas condemnaret; Cleri vero decretum a *Lovanienſibus* juſſu Pontificis condemnatum fuiſſe, & ab aliis Academiis atque Epiſcopis idem exſpectari. Veriſſimum itaque eſſe, quod *Cardinalis Perronius* Anno 1615 in oratione notiſſima, & ante paucos annos a Clero Gallico publice probata, aſſeveraverit, ne unicum quidem Doctorem Theologum aut JCtum, nullum etiam decretum ſeu Concilii, ſeu Parlamenti aut Magiſtratus Eccleſiaſtici vel Politici cujuscunque allegari poſſe, quo negetur Pontifici jus eſſe ſubditos juramento liberandi, ſi rex aut princeps in hæreſin incidat, ſed Calvini tempore negativam opinionem demum enatam eſſe eundem fateri. Objicit etiam iterum adverſario, quod ipſe & *Janſeniſtæ* alii hoc ipſum dogma adverſus reges, quod Refor-

D matis

Digitized by Google

matis per summam calumniam tribuunt, Clero imputent, atque adeo falsi & bilingues sint. Provocat ad tractatum cujusdam, qui se *Renatum Clericum tonsuratum Archiepiscopatus Parisiensis* nominat. Id quoque urget, esse & manere nihilominus axioma istud Papismi, etsi vel totus Clerus Gallicus, vel pars ejus, a cæteris regnis in isto articulo dissentiat, aut Pontificis potestatem concilio subjiciat. Neque enim satis tutum ipsum Galliarum Regem a periculo dogmatis illius fore, quod tot monachi, etiam in Gallia, & innumeri ex plebe Pontifici devota, saltem tacite pro vero habeant, & ad id credendum a *Sacerdotibus confessionariis* facile & tecte instrui possint; nec Imperatori, aliisque Regibus Catholicis aut Protestantibus profuturum esse, si Clerus Galliæ singulariter discrepet a sententia, omnibus aliis Romanensibus probata, cui innixus nefarius aliquis, jugulum Regis sui, a Pontifice condemnati, petere audeat, & heroico hoc facto cœlum mereri se posse credat. Sic firmato theoremate pergit *Cap.* IV ad praxin, ostendens, quod rebelliones contra Imperatores Orientis & Occidentis a Pontificibus Romanis excitatæ fuerint, quæ excommunicationes adversus Reges fulminatæ, quæ exemtiones & immunitates Clericorum prætensæ & usurpatæ contra legitimum Regum & Principum imperium; quanquam verum sit, Galliæ Reges non semper damnum ex attentatis illis sensisse, sed mascule restitisse. *Cap.* V de rebellionibus in Anglia per Pontifices concitatis multa exempla affert, maxime *Thomæ Archiep. Cantuar* quem Sanctum celebrant, & quomodo Papa regnum illud *Philippo Augusto* Galliæ regi donaverit, nec conciliari *Johanni* Angliæ regi potuerit, priusquam hic proprietatem regni Pontifici resignaret, & Feudi nomine ab illo recognosceret, atque tributarium faceret. unde exactiones secutæ sunt, de quibus ipsi eorum temporum scriptores monachi vehementer queruntur. *Cap.* VI narrantur machinationes contra *Elisabetham* Anglorum Reginam, immissis plurimis, Pontificis auctoritate, sicariis. Eidem imputat patratam *Guilielmi Auriaci* cædem, tentatam etiam *Mauritii*; neque *Ligam*, & quæ per eam in Gallia crudelissime facta sunt, ex alio principio, quam ex hac de jure Pontificis sententia emanasse. *Cap.* VII *conjurationis pulverariæ* in Anglia exemplum proponit, & ut ejus sceleris convicti summa tamen cum obstinatione supplicium passi sint, ob religionis Catholicæ incrementum, quod per

per ſcelus illud eventurum eſſe ſibi perſuaſerant: neque alio ſpiritu actum *Ravalliacum* Henrici IV particidam. Refutat quæ pro excuſandis pontificiis conſiliis afferri ſolent: nec *Conſtantienſis* concilii decretum, quo tyrannicidia improbari videntur, quidquam virium habere, cum palam excipiantur a *Jeſuitis*, aliisque auctoribus *Romanenſibus*, reges a Pontifice condemnati. *Cap.* IIX iterum ad Britannica redit, & *Caroli* I ſupplicium, quod Reformatis *Puritanis* a Romanenſibus imputari ſolet, ab his ipſis, qui fanaticis ſeſe perſonati immiſcuerint, procuratum eſſe, allegatis auctoribus, maxime *Molinai* Regii Cappellani libro, cui nomen *Philanax*, demonſtratum it. Reſpondet etiam *Arnaldo*, qui iſta, & conjurationis nuperæ *Colmanni* culpam a *Pontificiis* amoliri voluit, & ſubornationes teſtium Presbyterianis imputatas in Romano-Catholicos, quos nominat, retorquet. Multa habet pro defenſione *D. Oates*, *Bedlovii*, *Dugdalii* & aliorum, de quibus omnibus ad Acta typis vulgata provocat. Denique etiam fraudibus iſtorum factum eſſe ſcribit, ut conjurationis crimen *Montmuthio* Duci & Comiti *Schafsberienſi* anno 1678 impingeretur: detecta tamen poſtea eorum innocentia a quodam ex complicibus. Maxime vero incendia urbis *Londinenſis* maleferiatis iſtis attribui debere tradit, quod a Sacerdotibus inſtruantur, meritorium eſſe, ſi quis domum hæretici incendat. Quod vero deprehenſi in criminibus, & a teſtibus convicti, nihilominus pertinaciter negantes moriantur, ex vinculo conſcientiæ fieri ait, quo ab iisdem Sacerdotibus ad ſilentium conſtringuntur, æternæ felicitatis ſpe propoſita. Notabilem denique narrationem adjicit de *Thoma Witte*, alias *Wittebread*, Provinciali Jeſuitarum, conjurationis cauſa ſupplicium paſſo, quem Wirtebergenſem fuiſſe ſcribit, qui multoties mutata perſona, modo Judæum, modo Reformatum, modo Anabaptiſtam, aut Quackerum, imo fatuum quoque ſimulaverit, ut tanto ſecurius falleret, & deſtinata exequeretur. *Arnaldum* vero admonet librorum ſuorum vel ſociorum ex Janſeniſtis, in quibus *Garneti* aliorumque Jeſuitarum jactata in Anglia martyria ipſi deriſerint: & tandem Maimburgio minatur editionem *hiſtoriæ Jeſuiticæ*, ſi hac *de Papiſmo* non ſit contentus.

L'HOMME ARTIFICIEL ANEMOSCOPE, OU prophete physique du changement des temps, par Mr. Comiers d'Ambrun Professeur de la Mathem.

h. e.

Homo artefactus anemoscopus, sive Propheta physicus de mutatione temporum, auctore Dn. Comiers d'Ambrun Prof. Math.

Insertus Mercurio Gallico mensis Martii 1683. p. 164. seqq.

EX quo eruditorum quorundam virorum industria viam ac rationem invenit, aeris illius, qui nobis circumfusus est, gravitatem ac pondus exigendi, & inde prædicendi temporis vicissitudines; eam rem dignam judicarunt plures alii, ad quam ulterius excolendam atque perficiendam suas cogitationes & studia conferrent. Hinc a viginti circiter annis tot Barometrorum (ita enim vocare machinas isti fini accommodatas placuit,) formæ differentes excogitatæ fuerunt, quas inter locum haud postremum obtinet tubus vitreus Dn. Ottonis de Guericke, qui ligneum quendam virunculum inclusum gerit, utriusque indicem tempestatis. Utut vero alii Auctores suorum inventorum fundamenta scriptis sat dilucide exposuerint, laudatus tamen Vir Clarissimus machinæ suæ construendæ rationem dissimulavit, nec credere visus est, ullum unquam Philosophorum in reconditi artificii cognitionem absque sua opera venturum. Quo ipso permotus Professor quidam Parisiensis Dn. Comiers d'Ambrun, parvo opusculo, quod Mercurio Gallico insertum fuit, erudito orbi ostendere voluit, sibi quoque perspectum, nec adeo abstrusum, ut vulgo habeatur, esse modum parandi illud machinæ genus, in quo imaguncula hominis lignea & pluvias & ventos & sereniora tempora intuentibus digito exerto demonstret. Tetigisse vero eum rem acu, ac in inventum Guerickianum penetrasse, testantur, quos arcani sui participes Dn. Guericke esse voluit. Et sane, cui, quæ conficiendis Baroscopiis doctissimorum Anglorum par, Robertus Hooke *Præfam. in Micrographiam*, & Henr. Oldenburgius *Act. Philos. Anni 66, mens. Jun. numero 2. p. 101.*

Google



Digitized by Google

2. p. 101. seq. & mens. Jul. num. 1. p. 135. tradidere, aut quæ de Thermometrorum novis quibusdam inventis P. Franciscus Lana *in Prodr. Artis Mag. Italice scripto part. I. c. 7.* docuit, lecta ac visa sunt, illi perquam facile fuerit, Homuncionis anemoscopi artificium divinare. Quin imo P. Schottus id diserte explicuit *in Technica Curiosa c. 21. p. 46,* quando post relatam inter Mirabilia Magdeburgensia statuam illam ligneam aeri innatantem, annotationes quasdam subjecit, quas lectori curioso perlegendas relinquimus.

Ut autem ad Tractatum Dn. Comiers veniamus, occupatur prima ejus pars in ostendenda falsitate assertionis, qua statuit Dn. Guericke, virunculum istum, tubo vitreo inclusum, prædicere Cometas posse. Inde quædam pauca de gravitate aeris ad aquam & mercurium comparati sequuntur, ac postea ventorum natura & proprietates latius examinantur. Ultimo loco constructio homuncionis anemoscopi proponitur, quam ex Auctore subnectere, mutato sermone, visum fuit:

Disci, inquit, *haud difficulter potest e figura mea 2. constructio ejusmodi virunculi, qui ascendat, quoties aer ingravescit, & delabatur, quoties pluit, imo antequam pluvia destillat. Nam dum vapores defluunt, gravitas aeris minuitur. Quando solus Mercurius adhibetur, differentia altitudinum virunculi non poterit esse ultra duos aut tres pollices ad summum: qui vero in quavis minima mutatione gravitatis aeris observare cupiunt, quomodo se tollat ac demittat ista imaguncula, illi adhibebunt structuram, quam monstrat figura 3. Quoniam enim homuncio ille ad ima fertur per æquipondium ferri solidi P, quod Mercurio capsulæ innatans, tantum se elevat, quantum, aeris gravitate decrescente, Mercurius tubi descendit, & in capsulam ferream decurrit; certe virunculus talis eodem modo delabetur, quo ille Domini Guericke, secundum proportionem, qua aeris gravitas imminuetur, seque præcipitabit, ut prorsus disppareat, quoties aer subito notabilem ponderis quantitatem perdet. Potest etiam effici, ut iste virunculus semper in aere librari videatur. Artificium facillimum est, sufficiuntque figura 5 & 6 ad illud bene comprehendendum. Consistit in duplici rota, quam abscondere debet tabulatum calantica ferrea bene cæmentata, cum culmine columnæ cava vitrea; totum vero opus tegendum est corona quadam regia, qualis in figura 1 apparet. Observatu autem dignum est, quod in his duabus constructio-* TAB. I.

ſtructionibus virunculus feratur motu contrario illi, qui eſt figura 2 & 3. Nam quando Atmoſphara levior reddetur per ventos, qui aerem ſuſtinent, Mercurius tubi magis deſcendet, & aquipondium ſive maſſa ferrea, qua ſupra mercurium eſt, pariter delabendo elevabit virunculos in figuris 5 & 6. Apparet quoque ratio, cur in figura 4 virunculus aſcendat eadem proportione, qua aeris pondere imminuto Mercurius tubi interior ſe demittit; & quare viciſſim in figura 3 idem virunculus notabiliter delabatur ad 13 usque pollices, dum Mercurius deſcendens, inque capſulam ferream ſe abdens, aquipondium ad unum pollicem ſolum elevat; id quod ex illa duplici trochlea dependet.

JOANNIS BAPTISTÆ DE LUCA R. E. CARDINALIS &c. Relatio Curiæ Romanæ, in qua omnium congregationum, tribunalium, aliarumque jurisdictionum Urbis ſtatus ac praxis dilucide deſcribitur &c.

Coloniæ Aggrippinæ, apud Arn. Metternich, 1683. in 4.

ETſi in antiquioribus Eccleſiæ Chriſtianæ monumentis nihil legere eſt de *Curia Romana*, qualem Pontifices R. poſt ſextum ſeculum a Chriſto nato paulatim inſtituere cœperunt; cum non eccleſiaſticam tantum, ſed civilem etiam, eamque ſummam in orbe Chriſtiano poteſtatem ſibi arrogarent; a ſeculo tamen undecimo, quo Gregorius VII, Hildebrandus antehac dictus, Papam ſe conſtituit, ſatis innotuit *Curia Romana*, cujus *Relationem* nominatus ſupra Cardinalis heic exhibere voluit. In qua formam regiminis modumque imperii Pontificii longe lateq; per orbem Chriſtianum diffuſi deſcribit. Ideo enim in *primo* ſtatim, ut vocat, *diſcurſu* tradit, *Curiam Romanam majora tractare negotia quam aliam quamcunq; orbis Curiam; eamq; eſſe omnium aliarum forenſium curiarum matrem, ac majorem totius Chriſtiani orbis merito dicendam: quia totius catholici orbis cauſas eccleſiaſticas vel ſpirituales univerſaliter agat; ac etiam ejusdem orbis cauſas temporales &c.* Addit, totam hanc conſtitui *per ſolum Papam, a Deo* ſcilicet *immediate poteſtatem habentem.* Id vero ne mirum forte cuipiam videatur, *diſcurſu II* oſtendit, Papam plures perſonas gerere, & ſub illis infinitam poteſtatem habere. Sed cum ad ampliſſimam Jurisdictio-

risdictionem exercendam, opus sit multorum ministerio; inde longo ordine recensentur officia & jura Legatorum, Nunciorum, Cardinalium, Secretarii Status, Præfecti palatii, Datarii, & similium officialium, cum diversarum congregationum descriptionibus. In discursu XXXII prolixe de *Tribunali* seu *Auditorio Rotæ* agit, ostendens simul pag. 201, *moderno tempore longe majorem esse numerum causarum profanarum seu temporalium urbis & status ecclesiastici, quam antiquiori tempore.* In disc. XLV, de Oratoribus Regum, Principum, Rerumpubl. ac civitatum ad Pontificem missis, exponit: quoniam illi, ut ipse loquitur, *magnam figuram* in curia dicta faciunt. Sub calcem libri rerum & verborum indices subjuncti leguntur satis copiosi, qui lectori rerum in hoc libro varietatem indicare possunt.

TRAITTE' DES EXCOMMUNICATIONS par M. PHBT. C.

A Dijon, aux depens de l' Autheur, 1683. Avec approbation.

Hoc est:

Tractatus de Excommunicatione, auctore M. PHBT. C.

Divioni, sumtibus Autoris, *1683*, in 12. cum approbatione.

SIcut inter controversias, in ipso Papatu acerrime agitatas, non exigui momenti est, quæ circa jura excommunicationum occupatur: ita post alios multos de ea speciatim commentari operæ pretium duxit Autor hujus libri, qui, si titulo fides habenda, *cum approbatione* nunc prodiit. Dubia vero redditur hæc nobis, tum quia nuspiam approbatio apparet, tum quia idem absque approbatione Lugduni dicitur impressus. Negotium omne ita agit, ut nec Pontificum juribus derogare, nec libertati Ecclesiæ Gallicanæ & Regum suorum auctoritati præjudicare velle videatur. Interim diffiteri non poterit curatius paulo librum inspiciens; Auctorem, licet Pontificum excommunicationes rigidiores excuset sæpissime, magis tamen Principum secularium potestati absolutæ favere. Id vel ex eo colligere licet, quod nolit eo extendi debere aut posse excommunicationem Papæ vel Episcoporum, ut societatem quoque civilem dirimat, & subditos

ditos ab obsequio & juramento fidelitatis absolvat. In plerisque Historicum agit, & propositis aliorum judiciis proprium non semel suspendit.

Volumen totum triginta absolvitur capitibus, quibus originem & progressum excommunicationis a temporibus Christi ad nostram usque ætatem enarrat, multaque circa eum notabiliora examinat partim, partim recenset. Ordo quem sequitur est seculorum series, ita ut singulis singula tribuat capita, aliquibus vero plura, illustriora nimirum exempla, & quæ alia ad excommunicationis processum & jura pertinent, sejunctim considerans.

Orditur tractationem ab excommunicationis definitione & usu ante Christianismum, convenientiam & differentiam ab exemtione a societate civili monstrat, & exempla antiquiora tum sacra tum profana adducit, alia huc falso trahi solita excludens. Circa *primum seculum*, secundum cujus doctrinam & praxin de rebus Ecclesiasticis certissime judicari dicit, notat Christum neminem excommunicasse, nec potestatem civilem exercuisse, multo minus Apostolis leges status præscripsisse, vel autoritatem civilem dedisse. Exponit præceptum Christi Matth. XIIX.15.16.17. de excommunicatione vulgo explicatum, simul Canonistas refutans, tum hoc tum alio loco, 1. Cor.V. 1. seqq. abutentes. Describit excommunicationem hujus ætatis per fugam societatis eorum, qui doctrinam & mores corrumpebant, talem, ut cognoscerent actiones suas ab Ecclesia damnari, & ita converterentur, non exclusionem a functionibus civilibus. *Seculum II* cum reliquis persecutione funestis fidei ac morum regulas esse pronunciat, & quam caute illis temporibus in excommunicationibus se gesserint, ex Canonibus Apostolicis (quos ideo secundo seculo inserit, quia incertum, an ab Apostolis sint consignati) Constitutionibus S. Clementis, & testimoniis Papæ Eleutheri atque Victoris I confirmat. *Seculo tertio*, licet persecutiones in eo fuerint atrocissimæ, Ecclesiam tamen excommunicasse observat ex Origine & Tertulliano. Cyprianum allegat & alios, exemplum Diaconi a Pomponio ob stuprum virgini illatum excommunicati recensentes. De schismate Novatiani pauca addit, notans schisma causam esse excommunicationis. Ex *seculi quarti* historia litem Meletii Episcopi Lycopolitani & S. Petri Episcopi Alexandrini se invicem excommunicantium, & de excommuni-

Digitized by Google

municatione controvertentium memorat, Canonem Concilii Nicæni de non recipiendis alibi excommunicatis adducit, turbas per excommunicationes excitatas profert, Catholicis hæreticos, his illos, utrisque ſe invicem excommunicantibus, & tum demum cœpiſſe fieri negotium ſtatus accurate obſervat. Dehinc capite peculiari *excommunicationem Theodoſii* ab Ambroſio factam, examinatam per certas reflexiones & multis rationibus excuſatam, inimitabilem tandem eſſe demonſtrat, appendicis loco *excommunicationem Eudoxiæ*, tanquam priori ſimilem annectens. *Seculo quinto* multorum Conciliorum ſtudium in rite diſponenda poteſtate excommunicandi inſigne fuiſſe narrat, eorum decreta recenſet, & incrementum poteſtatis clericorum exemplo Anaſtaſii atque Euphemii comprobat. Colligit etiam, *caſus reſervatos* & *abſolutiones cum reincidentia* tum cœpiſſe, ex Epiſcopi Syneſii negata Lamponiano excommunicato, licet pœnitenti, abſolutione, niſi in periculo mortis, eaque adhuc conditionata. *Seculo ſexto* abuſui excommunicationis intolerabili mederi tentarunt non modo Concilia & Patres, ſed etiam Imperatores: unde de *autoritate laicorum in materia excommunicationis* prolixius diſceptat. Producit exemplum Theodelindæ; leges Juſtiniani; Concilii Toletani XII decretum, de Imperatorum poteſtate excommunicationes impediendi & tollendi: ipſeque tandem in favorem Principum tanquam Epiſcoporum ad extra decidit. *Seculo ſeptimo* Epiſcopi Galliæ, Ebrodunenſis & Vapincenſis, arma contra Principes ſumſerunt: dejecti vero in Concilio Lugdunenſi & Catalaunenſi. Movebatur quæſtio hoc tempore, *an cum excommunicatis communicari queat*, ad quam affirmative reſpondetur. *Seculo octavo* Metropolitani eandem, quam alias Concilia, auctoritatem ſibi vindicarunt. *Excommunicatus* eſt *Imperator Leo* Iſauricus, ut prolixe narratur: *Rex Chilpericus depoſitus*, quamvis abſque ratione: ſucceſſor ejus Pipinus agnoſcebatur, interveniente Papa. Orta tum eſt opinio, Pontifices habere jus liberandi ſubditos a fidelitatis juramento. Verum huic Gallia maſcule reſtitit. *Seculo nono* Clerus poteſtate accepta abutebatur in Ludovico Pio Imperatore, reſtituto tamen poſtea a Magnatibus. In Gallia etiam in civilibus imperium prætendebat. Notat præterea Rhotaldi ab Hincmaro, quem Baronius ex nimio abſolutæ Curiæ Romanæ potentiæ amore vituperat,

Digitized by Google

excommunicati appellationem ad Papam,& hac occaſione de *appellationibus a cenſuris eccleſiaſticis* ſpeciatim agit, varias de iis ſententias adducit, eas ut legibus primitivæ Eccleſiæ contrarias primum rejicit, dein vero ob tot annorum uſum & leges Eccleſiaſticas ita jubentes non amplius dubias reddi debere concludit. *Seculo decimo* & ſequentibus, barbaries tanta invaſit clericos, ut gladios contra excommunicatos ſtrinxerint, & bella ſacra excitaverint: iidem circa matrimonialia autoritatem omnem ſibi arrogarunt, eamque contra Leonem VI,Ottonem M.Imperatores,& Robertum II Regem Franciæ exercuerunt. *Seculo undecimo* Henricus IV Imperator excommunicatus eſt, Pontificesque cum Imperatoribus de inveſtitura Epiſcoporum litigarunt. Berengarii hæreſis eodem tempore turbas dedit graviſſimas: damnata hoc fulmine eſt hæreſis inceſtuoſorum, & excommunicationes argento redimi cœperunt. *Seculo duodecimo* præter excommunicationem Philippi I Regis Franciæ, & Alphonſi Regis Arragoniæ, controverſia erat maxima inter Henricum Angliæ Regem,& ThomamArchiepiſcopum Cantuarienſem,de ſacerdote homicida,cujus pœnam uterque ſui eſſe fori aſſeverabat,EpiſcopiFranciæ & clerici Regibus juramento fidelitatis obſtringebantur. *Seculum decimum tertium* nihil circa excommunicationes innovavit. Hinc Autor digreſſione facta de *criminibus excommunicationis reos facientibus:* de *excommunicatione eorum*, *qui clericum vel injuria vel contumelia lædunt:* de *proceſſu in excommunicationibus triplici*, per accuſationem, per inquiſitionem,& per denunciationem:de *ſententia duplici*,Canonis & Juris: de *excommunicationibus ipſo facto:* de *ſententiis in criminibus notoriis* ſeu declaratoriis: de *excommunicationum effectibus*: de *excommunicationibus minoribus*, *irregularitatibus & interdictis*, tam localibus quam perſonalibus: & denique de *abſolutionibus* earumque ſpeciebus variis, copioſe non minus quam erudite diſſerit. Dein confert ſe ad *ſeculum decimum quartum*, & quomodo magis magisque Clerici omne imperium civile eripere tentarint Principibus, demonſtrat. Laudat vero illos, qui ſcriptis & factis, iniquis his prætenſionibus præſertim in Gallia ſe oppoſuerunt. Ex *ſeculo decimo quinto*, quæ in Conciliis Baſileenſi & Conſtantienſi de excommunicationibus diſceptata ſunt, enarrat. Damnatos memorat Wicleſium, Johannem Huſs,& Hieronymum Pragenſem, tanquam

Digitized by Google

quam rigidos nimis excommunicationis censores, licet cum Johanne Gersone eodem tempore approbato convenirent. Clerus Galliæ moderationis amans, immoderatos excommunicationum usus per certa decreta Concilio Basileensi inserta temperavit. *Seculum præsens cum antecedente* paucissimis attingit, novo volumine, quia excommunicationum fertilissimum fuerit utrumque, varias Doctorum sententias methodice propositurus; duabus saltim in antecessum considerationibus circa hæc secula postrema commendatis, quarum prior censuras, quæ Principes invaserunt, & bono publico obfuerunt, altera constitutiones circa censuras receptas attendit.

TRANSITUS

Lunæ, & Stellæ in medio corpore Leonis infimæ Tychoni, alias in ventre Australioris

Anno 1683, die Saturni, 13 Novemb. st. n. mane observ. GEDANI a JOHANNE HEVELIO.

Qui Rerum Cœlestium *penitiora indagare student*, *satis superque* exploratum habent, quantum Occultationes, nec non Transitus Fixarum & Lunæ contribuere valeant, tam ad motum Lunarem (qui abunde adhuc sæpius a vero aberrat) magis magisque corrigendum, quam ad differentias Meridianorum explorandas ac confirmandas. Sed dolendum, adeo paucissimos inveniri his rebus invigilantes, inprimis ad minores Fixas attendentes. Mihi profecto nihil unquam exoptatius obtingit, quam si tales observationes deprehendere liceat, easque accurate determinare. Proinde etiam ad hanc Conjunctionem, Lunæ videlicet & dictæ Stellæ in Leone vigiles direxi oculos, cum perspicerem posse minimum arctum contingere transitum. Oriente igitur Luna, atque stella in oculos incurrente, protinus deprehendi dictam stellam Cornui superiori Lunæ lunatæ decrescentis (phasi bene notabili, in cujus confinio luminis & umbræ, Mons Ætna præ aliis maculis eminebat) satis arcte adhærere; sed Conjunctionem ipsam

jam transiisse, paullo ante, quam Stella cum Luna sub adspectum nobis veniret. Nihilominus tamen arrepto Telescopio & Micrometro dimensus primum sum, & quidem singulari ratione, quanta fuerit genuina distantia hujus Stellæ a superiori Cornu Lunæ, tempore scilicet Conjunctionis (quod bene notandum) etiamsi jam præterita esset; atque ita reperi eam non nisi 6′,5″ extitisse, in ipsa Conjunctione, tempore scilicet correcto, hora 12,9′, & Lunam arctissimum celebrasse transitum. Deinde majoris certitudinis gratia etiam diversas distantias cepi hujus stellæ, non a limbo Lunæ, ut fieri plerumque solet, sed a linea illa perpendiculari, quæ per cornua & centrum Lunæ ducitur, ut eo certior essem, de ipso momento Conjunctionis Lunæ & hujus Stellæ. Nam ex omnibus illis Observationibus, sive distantiis, idem tempus Conjunctionis prodire oportet, si accurate omnes illæ distantiæ sint captæ: prout quilibet curiosus harum rerum facile experiri poterit. Diameter Lunæ hoc tempore extitit 31′,56″. Ex quibus observationibus non dubito, quin quilibet Rerum Uranicarum cultor locum Lunæ tam ex Rudolphinis, quam aliorum Auctorum Tabulis, dummodo hujus stellæ verum locum possideat, rite examinare possit.

Observationes.

Ordo observationum.	Temp. sec. horol. ambul.			Distantiæ Stellæ & Lunæ Micrometro captæ, a perpendiculari per cornua & centrum ducta.		Distantiæ Stellæ & Lun.			Tempus ex altit. correct.		
	Hor.	′	″			°	′	″	Hor.	′	″
1.	12	31	0	Dist. inventa est part.	3300	0	25	6	12	51	0
2.	12	39	20	Dist. inventa est part.	3900	0	29	39	12	59	20
3.	12	45	20	Dist. inventa est part.	4400	0	33	27	1	5	20
4.	12	51	0	Dist. inventa est part.	4800	0	36	30	1	11	0
5.	12	54	13	Dist. inventa est part.	5100	0	38	46	1	14	13
6.	1	1	0	Dist. inventa est part.	5600	0	42	35	1	21	0
	1	14	10	Altitudo Procyonis.		32	26	0	1	34	9
	1	17	10	Eadem altitudo.		32	47	0	1	37	28

DE

DE NUMISMATIBUS QUIBUSDAM *abstrusis Imp. Neronis disquisitio per epistolas inter V. Cl. Carolum Patinum D. M. P. & Johannem Henricum Eggelingium, Reipubl. Brem. Secretarium, harum editorem.*

Bremæ apud Hermannum Brauerum 1681 in 4.

INter eos, qui præclarissime meriti de re nummaria eruditaque antiquitate fuerunt hactenus, celebre nomen indeptus jamdudum est vir illustris laudatusque a nobis alias, CAROLUS PATINUS, medicus antehac Parisiensis, nunc Patavinus. Is enim, uti suismet sumtibus ingentem numismatum vetustorum sibi comparavit suppellectilem, ita longe plurima illorum luci exposuit publicæ, luculentasque illis explicationes atque interpretationes pro ea, qua pollet, abstrusæ antiquitatis notitia subjunxit. Et primum quidem *antiqua numismata familiarum Romanarum*, quæ ab Urbe condita ad tempora usque Augusti floruere, ex bibliotheca Fulvii Ursini cum adjunctis Antonii Augustini, episcopi Ilerdensis, recognita atque aucta Parisiis anno 1663 in fol. edidit. Dein *Imp. Romanorum numismata ex ære media & minima forma* descripsit atque enarravit, quæ Argentinæ A. 1661 in fol. prodierunt. Cui operi anno subsequente 1672, submisit *Thesaurum numismatum*, Amstelodami in 4 evulgatum. Horum cum aurea nonnulla, alia argentea, plurima sint ænea, ea secundum materiæ dignitatem disposuit, sicque dispositis interpretationis aliquid ex vasto eruditionis suæ thesauro subdidit. Inter ænea, & tria illa, quæ tabella nostra repræsentat, cap. V. p. 100 & 101 conspiciuntur. Horum autem tantum abest, ut interpretem agere instituat Patinus, ut alium potius Oedipum, qui id ænigmatum solvat, sibi dari exoptet. Nam & suo loco expertus est non semel, quod magnus ille Musarum Hercules Scaliger in Scaligerianis p. 222 professus est, multa in nummis & inscriptionibus antiquis latere, quæ nos fugiant. Ita autem de prioribus duobus nummis: *Prospere*, inquit, *adveniet, qui horumce nummorum solvat ænigmata.--Nostrum in conjectando agnoscimus tenuitatem, cum præsertim idem ipse typus & monstrosis Diis, nimirum Ægyptiis conjunctus sit, & capiti Alexandri M.*

Tanta istius expositionis aviditate tenemur, ut libenter rem pro umbra desereremus, explicationemq; nummorum ipsis nummis antiquis, quamvis maximi pretii, compensaremus. De tertio nummo id saltem conjicit, eum in Græcia, quod Latinis insignitus sit characteribus, non esse cusum; *cætera* autem *non constare* sibi dicit. Oedipi igitur partes in his nummis explicandis suscipere voluit Vir Clarissimus reique nummariæ peritissimus *Joh. Henricus Eggelingius*, Reipubl. Bremensis Secretarius, persuasusque apud animum suum, hæc tria numismata non alius Imperatoris, quam Neronis esse, perscripta ad Patinum epistola, suas illi de iisdem tribus numismatis divinationes exposuit. Est autem ei, ut ad rem veniamus, quæ turrito capite in primo nummo conspicitur persona, Imperator Nero, habitu Apollinis tanquam tutelaris Græciæ Deus. (Occasionem ipsi sic sentiendi dedit signum ℞, quod in Neronis solius, non item aliorum Imperatorum nummis reperiri ait.) Quæ turrita & ipsa Imperatori coronam imponit, urbs Olympia, ob partam a Nerone in Olympico aliisque certaminibus victoriam; quæ ab altero Imperatoris stat latere, Idæus Hercules, autor Olympici certaminis. Quatuor Sphinges alatæ, Apollinis oraculis & ænigmatica sapientia involuti symbola; & denique figuræ sub solio decumbentes Eggelingio non minus, quam Patino, duo videntur esse fluvii. Quod alterum nummi latus attinet, quo larvæ duæ diductissimi rictus exhibentur, has ad Tragœdias, quas Nero personatus cantitavit, atque adeo ad Herculis forte insani, vel Amphitritis Neptunique, vel alius cujusdam personæ argumentum spectare conjectat; quanquam trepide id admodum ac titubanter. Reliquos autem duos nummos, in quibus Alexandri M. signata est facies, absque omni dubitationis nubilo, Neronianos agnoscit. Alexander enim Eggelingio Nero est, qui Alexandrum uti forma, sic studiis quoque exæquare voluerit, legionem etiam ex Italicis senum pedum tyronibus conscriptam, *Magni Alexandri phalangem*, teste Suetonio, appellaverit, concubinasque in expeditione Gallica tonderi ad virilem modum, securibusque ac peltis Macedonicis instrui, eo quod coiisse cum Alexandro M. Amazones acceperat, curaverit. Sabinas, quæ in tertii nummi facie altera visuntur, ad ludos Circenses, in quibus Nero sæpe aurigavit coronatusque est, referendas esse audacter asseverat Eggelingius, loco Maronis quodam, Æneidos l. VIII v. 53 &

Digitized by Google

TAB. II. *ad A: 1684.*
pag. 37.

v. 53 & ſeqq. inductus. Reſpondit Patinus ad has Eggelingii litteras Bremæ V Idus Julii anno 1673 ſcriptas, oſtenditque has ejus ſuſpiciones, quam ſpecioſæ etiam prima fronte videantur, magnis admodum difficultatibus obnoxias deprehendi. Nam primo ſignum illud PE non in Neronis *tantum*, ſed & in Trajani, Caracallæ, & Alexandri Severi nummis conſpici atteſtatur. Deinde non Imperatorem agnoſcit in primo & ſecundo nummo turrito capite ſedentem, ſed Deam, toga muliebri indutam; quam opinionem & in Theſauro ſupra laudato jam expoſuerat; & quamvis Sphinges adeſſe fateatur Apollini ſacras, tamen alium cujuscunque urbis, quam Olympiæ Genium eſſe, qui Deæ ſedenti coronam imponit, exiſtimat. Figuram illam, quæ a dextro Deæ adſiſtit latere, non Herculem Idæum, ſed Smyrnam urbem, quæ & aliis in nummis bipenni inſigniatur, deſignari ſuſpicatur; additque ſub finem, non Neronem tantum, ſed & alios Imperatores, Caligulam inprimis & Alexandrum Severum, Alexandri M. acta & mores fuiſſe imitatos. Et iſta quidem Baſileæ d. 27 Septembris anno 1673 Patinus repoſuit. Quanquam autem Eggelingius in litteris alteris d. 30 Decemb. anno 1674 exaratis fiteatur, ſe labellum compeſcere potius, quam obſtinate defendere aſſerta ſua velle, iisdem tamen notulas apologeticas pro ſtabilienda ſententia ſua ſubnexuit; in quibus præter alia illud potiſſimum regerit, non tam *ſignum illud* PE *conjecturæ ſibi ſuæ dediſſe* fundamentum, quam nummum *tertium*, qui Sabinarum raptum præfert; quippe qui nummis aliis, quibus Neronis appoſitus eſt titulus, quoad cælaturam & typum exacte conveniat. Patinus autem iterum iterumque Deam ſedentem agnoſcit in primo ſecundoque nummo, non citharœdum, in literis videlicet d. 18 Januarii anno 1675 ad Eggelingium datis. Sed & Eggelingius dimoveri a ſententia ſe ſua non fuit paſſus. Contendit quippe ulterius, hos nummos ad Imperatoris Neronis immodicum aurigandi ſtudium, ac ludos Circenſes Theatralesve eſſe referendos, & quia citharœdum ſedere non concedat Patinus, Cybelem ipſam ſedentem ſpectari ait, ludorum Circenſium, ſecundum Euſebium ſcriptoresque alios autorem, hancque a civitate ludorum talium æditua, duos forte inter fluvios, quos binæ figuræ infra thronum cubantes exprimunt, ſita coronari. Sphingibus merito ornari thronum, tanquam fortitudinis & induſtriæ ſymbolis;

bolis; geminas vero larvas ad satyricam saltationem, vel ad ea potius, quæ in prima dixerat epistola, referri posse. Alexandri denique M. equorum domitoris faciem esse additam, ob innatum Neronis equitandi studium. Reposuit isthæc Eggelingius ipsis Calendis Augusti anno 1675, & anno demum 1681 tam suas, quam Patini his de nummis epistolas exscribi typis publicis fecit, serius ad nos, nec nisi ipsius Clarissimi Editoris beneficio perlatas.

* * *

Nos vero, quanquam & ipsi singulare rei nummariæ & antiquariæ studium in Eggelingio demiremur, induci tamen argumentis illius nondum potuimus, ut tres nummos illos, quos Neronianos publice venditat, Neronianos esse crederemus. Et vero si similitudo illa qualiscunque Neronis cum Alexandro M. dare ansam Eggelingio sic conjectandi potuit, ecquid obstat, quo minus nos eosdem nummos *Caracallæ* potius, vel *Alexandri Severi*, quam *Neronis* esse existimemus; præsertim cum signum illud, quod solis Neronis nummis tribuit Eggelingius, etiam in Caracallæ & Alexandri Severi nummis expressum, referente Patino, conspiciatur. Ita autem de Caracalla Xiphilinus, Dionis epitomator, Guilielmo Blanco interprete: *Erga Alexandrum ita erat affectus, ut armis poculisque similibus, quibus ille usus fuerat, uteretur; eique complures statuas in castris, atque adeo in urbe collocavit; comparavitque phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia, eamque phalangem Alexandri cognominavit. Hi utebantur eodem armorum genere, quo vivo Alexandro armati fuerant.-- Quibus rebus minime contentus, sese Alexandrum Orientalem Augustum appellavit, scripsitque aliquando ad Senatum, animam Alexandri in corpus Augusti introiisse, ut quoniam illi fuerat vita brevis, in hoc viveret diutius.* Herodianus de eodem lib. IV historiæ sui temporis, vertente Angelo Politiano: *Ubi milites apud Danubium ordinavit, atque in Thraciam Macedonibus conterminam discessit, continuo alter Alexander evasit. Nam & memoriam Regis ejus omnibus modis renovavit, statuis, imaginibusque nulla non urbe poni jussis, Romamque ipsam Capitoliumque & templa universa referstit Alexandri simulacris.--Ipse prodibat Macedonico habitu, causiam supra caput gestans, & crepidas indutus, ac lectissimam manum in exercitu, phalangem Macedonicam appellabat, jussis ducibus nomina sibi ducum*

ducum Alexandri imponere; & denique Ælius Spartianus in vita Caracallæ: *egreſſus pueritiam, ſeu patris monitis, ſeu calliditate ingenii, ſive quod ſe Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat, reſtrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus eſt, prorſus ut eum quem puerum ſcirent, multi eſſe non crederent. Alexandrum M. ejusque geſta ſemper in ore habuit.* Accedit, quod cum urbem Alexandriam ab Alexandro ſtructam ſciret, ad illam quoque acceſſerit, cumque eo perveniſſet, ad Alexandri M. monimentum ſe contulerit, & quod Herodianus refert, paludamentum purpureum, & claris ſpecioſisque gemmis conſpicuos annulos balteumque, & quæcunque alia elegantiora ſibi dempta tumulo illius impoſuerit. Quemadmodum autem Imperator ſeculi III Romanus, qui *Severus* eſt cognominatus, *Alexandri* gaudebat & nomine & omine (natus enim eſt eodem die, quo Alexander functus vita erat, & quidem in æde Alexandro M. conſecrata, nutricem etiam Olympiadem, quo nomine mater Alexandri appellata eſt, Philippumque nutritorem unum aliquem ex ruſticis, quod nomen patris Alexandri M. fuit, ſortitus fuerat) ita nemo inter Imperatores Romanos omnes ſtudioſior ſollicitiorque Alexandri M. fuit imitator, quemadmodum & inter alia id quoque in illo reprehenſum ſcribit Lampridius, *quod ſe Alexandrum M. videri volebat; Legit* enim, teſte eodem Lampridio, *vitam Alexandri, quam præcipue imitatus eſt, etſi in eo comdemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos.* Neminem etiam magis quam Alexandrum M. honoravit. Alexandrum enim M., ut idem commemorat Lampridius, *inter divos & optimos in lario majore* (in quo & Chriſtum cum Abrahamo habuit) *conſecravit; agoni etiam præſedit, & maxime Herculeo in honorem Magni Alexandri*; cumq; Trajanus morem potandi poſt ſecundam menſam usque ad quinq; pocula amicis militaribus conceſſiſſet, unum tantum poculum amicis exhibuit *in honorem Alexandri Magni. Elaborabat* denique (verba ſunt ejusdem Lampridii) *ut dignus illo nomine videretur, imo ut Macedonem illum vinceret, dicebatque inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum intereſſe debere.* Quæ omnia dum paulo accuratius habemus penſi, non difficulter in id opinionis trahi nos patimur, nummos tres illos, quos Neronianos credit Eggelingius, vel Caracallæ, vel Alexandro Severo tribuendos eſſe. Alexandræi certe videntur eſſe, cum duo Alexandrum M. præ ſe

F ferant,

ferant, Lampridiusq; diserte attestetur, quod Alexander Severus (NB) *Alexandri figura nummos plurimos figuraverit, & quidem electreos aliquantos, plurimos vero aureos.* Sed quid vobis, inquiat quispiam, est turrita atque hastata primi nummi figura? Ea nihil minus nobis est, quam Apollo vel Nero citharœdus. Neronem equidem insignem fuisse citharœdum, & tanquam citharœdum vel Apollinem repræsentari in nummis aliis, non nescimus. Sed ubi hic cithara, vel arcus cum telo? Hæc enim Apollinis in nummis, non hasta, sunt insignia. Nos cum Patino & ipsi hastatam Deam quandam agnoscimus, & quidem vel Romam, victricem atque orbis Dominam, quæ & ipsa turrita (est enim turris, dicente Patino, solenne urbium ornamentum) in nummis cernitur; vel Pallada aut fortitudinem bellicam. Nam & hæc, uti in aliis Imperatorum nummis, ita in Alexandri quoque Severi, hastata cum victoriola exhibetur; quod observare nobis licuit in Viri perquam reverendi clarissimique, M. HENRICI MEYERI, Ecclesiastæ hic olim Nicolaitani, rarissimæ antiquitatis numismatis, quorum ingens adhuc numerus ab hæredibus ejus in hac urbe asservatur. Virtutem autem ipsam pro Alexandro Severo, seu, quem imitatur, Alexandro Magno hic exprimi, mirum nemini videri potest, in nummis antiquorum Romanorum paulisper volutato. Nam ut probe observavit incomparabilis nummorum veterum judex ac vindex Spanhemius in dissert. II p. 94 de præstantia & usu numismatum: *Romani optimo & arcano quodam consilio non divinos solum actus Principum, sed ipsam agendorum normam promiscuis & quotidianis Nummorum usibus testatam consignatamque voluere. Hoc enim abunde tot præstantissimarum virtutum effigies passim in iis traditæ ostendunt, quæ nihil aliud, quam pictura loquens (ut poesin vocavit nonnemo) veram optimi status ac vitæ laudabiliter actæ imaginem continuo ante oculos ponit.*-- Et mox: *Apposite illæ virtutes, quæ maxime Principes decent, & quibus publica salus potissimum incumbit, frequentius etiam traditæ; ita ut qui justitiam, æquitatem, clementiam, constantiam, fidem, indulgentiam, liberalitatem, munificentiam, providentiam, & bellicæ virtutis argumenta crebro in nummis Cæsarum legit, speculum quoddam in iis Principum, & gravissimi muneris requisita, eadem opera agnoscere sese fateatur.* Aut igitur Roma nobis est Dea illa, vel Virtus aut fortitudo bellica; isque adeo, qui ad dextrum ejus latus est

est constitutus, Mars Romæ Deus tutelaris & bellorum præses, quæ ad sinistrum coronam imponit Deæ, vel Bostra, Colonia Alexandrina, ab Alexandro quippe Severo deducta, vel Alexandria Troas, quæ & in aliis Alexandri Severi nummis apud Patinum & Tristanum repræsentatur. Insignem enim victoriam de Persis ac Parthis reportaverat Alexander Severus, unde & Persicus Parthicusque a Populo Romano *fuit* salutatus; & quamvis trucidatus postea a Maximino esset, Senatus tamen, referente Lampridio, eum in Deos retulit, atque uti cenotaphium in Gallia, ita Romæ sepulcrum amplissimum meruit; imo & dati sodales, qui *Alexandrini* appellati sunt; addita & festivitas matris nomine, atque ipsius, quæ Romæ religiosissime natali ejus die, Lampridii adhuc tempore fuit celebrata. Sphinges alatæ sapientiam Alexandri Severi designant, quæ non minus, quam fortitudo & fortuna ad perficiendum belli aliquem ducem requiritur; vel fortitudinem & industriam simul, juxta Plutarchum & Clementem. Vid. Spanhem. lib. cit. p. 217. Figuræ infra thronum cubantes sunt & nobis fluvii, sed non alii, quam *Euphrates* & *Tigris*, quippe celeberrima illa Alexandri Severi in Persas expeditione in potestatem Romanorum redacti, quorum & mentionem fieri abs Herodiano in vita Alexandri Severi videas. Sed quid duo Mormones illi sibi volunt, in altera nummi primi facie exhibiti? Si divinare & hic nobis licet, dixerimus, illos ad invidiam à tanto Imperatore averruncandam fuisse additos. Mos enim olim erat, ridicula quædam appendere vel illinere ad invidiæ eversionem, quæ βασκάνια Græce appellabantur. Turpia quippe quæ erant, contra fascinum valere credebantur, ut cranium asinæ, satyrica signa, veretra. V. Turneb. in var. de LL. p. 118. & lib. Adversf. 9. c. 28. Sed forte & hoc aliquid Alexandrinum est. Sane in alio quodam Alexandri Severi nummo Satyrus, vel Silenus cernitur, nec absurde conjicit Patinus, eum in Numismatis Romanorum Imp. f. 349 exhibens, eodem Alexandro Severo honores, quos Alexander M. sibi paraverat, in nummo isto tribui. Ita autem Plutarchus in Alexandro Macedone, sic transferente verba ejus Xylandro: *Aliud visum Alexandro per quietem est. Satyrus ei conspectus est eminus alludere, deinde volenti eum capere fuga elabi, tandem multa orantis & circumcursitantis in manus venire. Conjectores nomen Satyri dividentes haud absurde pronunciarunt: Sa Tyros, h.e. tua erit Tyrus.*

 In ul-

In ultimo nummo raptum Sabinarum non aliam ob causam sisti opinamur, quam quod a priscis Romanis ortus videri omnino volebat Alexander Severus. Neque enim in Neronianis tantum, sed in aliis quoque Imperatorum Romanorum, ut testis nobis Patinus est, numismatis observatur. Vero autem similem opinionem nostram & hic facit Lampridius, in vita Alexandri Severi id quoque memorans: *Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici, maxime quod quodam tempore festo, ut solent, Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini, lacessiverant eum convitiolis, Syrum archisynagogum eum vocantes & archierea.* Et iterum: *Syrum se dici noluit, sed a majoribus Romanum. Et stemma generis depinxerat, quo ostendebatur, genus a Metellis descendere*; quam originem suam, ut hic per Sabinarum raptum, ita in alio nummo per Romulum & Remum a lupa lactatos, quem Tristanus excudi fecit, subinnuere Alexander Severus voluit. Alexandræi igitur nobis hi nummi sunt, qui Neroniani videntur Cl. Eggelingio. Submittimus autem & has conjecturas *celeberrimi Patini*, aliorumque Polyhistorum judicio, facile mutaturi sententiam nostram, si meliora ac certiora edocti ab illis de numismatis hisce fuerimus.

DE URINIS ET PULSIBUS; DE MISSIONE Sanguinis; de Febribus; de Morbis Capitis & Pectoris; Opus LAURENTII BELLINI, dicatum Fr. Redi.

Bonon. 1683. in 4.

B*ellini* fœtum exhibemus, Scriptoris a pluribus jam annis, per Renum inprimis & Linguæ accuratiorem evolutionem, Anatomicis & Physiologis notissimi, magnique ab his semper æstimati. Is arti Medicæ opem nunc laturus, talia huic scripto argumenta consecravit, quæ theoriam praxi necessario combinandam esse, nec alteram harum ab altera avelli posse, satis superque testabuntur: quæque methodo, omnibus scientiis & artibus physicis congrua, per principia scilicet mechanica, declaravit, ac sublimium pulcherrimarumque observationum ubertate sic exornavit, ut nemo non ex hoc ungue leonem possit dignoscere.

Sextu-

Sextuplici illius subjecto, quo cuncta a Lectore facilius apprehendi queant, hypotheseos, quam de *Oeconomia animali* fovet, propediem divulgandæ, summa capita, præfationis loco præmittit, motum præprimis sanguinis, Liquidi per nervos, Musculorum, Respirationem ac Cor concernentia.

Urinæ contemplationem dum aggreditur, quoniam exactum de morbosorum Urinis judicium ferri non possit, nisi 1. Urinæ ejusdem subjecti naturalis habitudo innotescat, 2. constet, quo pacto illius particularis urinæ status naturalis, in hoc vel illo morbo vitiari queat: de Naturalis conditionibus quædam præfatur, singulareque illius ejusque contentorum examen, per evaporationem aquosæ substantiæ, ac novæ humiditatis affusionem adornandum, suggerit. De iisdem contentis naturalibus ubi differit, disquirit, cur non quævis sanorum urinæ illis gaudeant? sedimentum vero reliquis duobus frequentius existat? unde hujus figura pyramidalis? Potulenta solam aqueam urinæ portionem constituere negat: urinam nec primæ, nec secundæ tantum, sed omnium coctionum excrementum probat, coloremque ejus, non a bile, secundum Galenicos, esse evincit. Quo facto, quid & quotuplex urina præternaturalis, (quam nonnaturalem vocat) hujusque species exponit, inter alia de urinæ oleaginosæ ratione & formalitate solicitus. Pilorum in illa existentiam realem negat; coronam quoddam prorsus *inane, a varia luminis fractione* emergens pronunciat, nihilque solidi exinde judicari vel prædici posse. Indicia vero Autoris ex Urinis de morborum statu & eventu egregia sunt, quæ Hippocratis oraculis multis confirmat, adeoque hujus autoritate totam suam de hac materia hypothesin illustrat.

De *Pulsibus* acturus, sanguinem ad summas quasvis arteriolas per impetum a corde impressum, neutiquam harum tractione, ferri, experimento, seu sectione Arteriæ transversali, demonstrat, simulque pulsuum necessitatem & rationem declarat. Ex pulsu solo formatum judicium fallax proclamat, i. e. a Medico dignosci haud posse, sit ne aliquando nonnaturalis (præternaturalis) in hoc illove subjecto pulsus, nisi ejusdem naturalem cognoverit: quod cum pariter, ac in Urina, difficillimum, ita in pulsu dignoscendo eadem esse incommoda. Hinc pulsuum præternaturalium differentias cum harum causis explicat, Hippocratem contra illos, qui eum pulsuum nullam rationem habuisse,

habuisse, hisque nihil fidei adhibuisse, censent, nervose vindicat, Galeni vero de Pulsibus dogmata inepta & falsa pronunciat.

Doctrinam *mittendi sanguinem* circulationi hujus superstruit, duo tamen potissimum supponit, ex quibus illorum necessitas, quæ ab eductione ejus pendent, deducitur. Sc. primo, sanguinis tam in systole, quam in diastole, impetum atque fluxum mensurari ab impetu, quem concipit a facultatibus, arterias circumprimentibus, & ab excessu velocitatis, quam supra vim resistentiarum, quales sunt sanguinis præcedentis & arteriarum, a corde habeat: deinde, sanguinem arteriosum niti in venosum. Hincque varia infert, v. g. quando aliqua vena secatur, cum sanguine hujus effluente resistentiam illam tolli, quæ sanguinis arteriosi impetum morabatur, adeoque posthac per illi comitem arteriam sanguinem velocius fluere, hancque velocitatem etiam post V. S. manere, quamvis illa minorem, qua fluit, dum actu educitur. Item per sanguinis missionem eo ipso, quo celebratur, momento sanguinis massam ad bonos æque ac pravos effectus disponi posse, i.e. illam intime dimoveri, rarescere, fervescere, fermentescere, ita ut, quicquid est morborum, & in his admirabile, atque inexpectatum, statim contingat; imo etiam sine illa intima commotione humoris alicujus separationem aut in canales suos excretorios derivationem supprimi, alterius cujusdam augeri, qualitates vitiari, pulsum autem antea suppressum, intermittentem &c. per solam M. S. mox excitari aut ad naturalem, econtra naturalem ad statum præternaturalem redigi; adeoque deliquium animi, in venæ sectione aut statim post superveniens, male semper sanguinis profusi nimiæ copiæ, aut meticulositati adscribi, cui phænomeno aliam, eamque quintuplicem, causam decernit. Præterea tamen V. S., licet velocitatem sanguinis motus intendat, refrigerare & humectare, docet: quatenus calor sanguinis ab hujus nisu ac pressione fit, qui per V. S. frangatur; imminuto vero calore, qui corpus exsiccet, idem humectetur. Simul quoque sanguinis missionem obstructionibus vasorum mederi, demendo sanguinem venosum, arterioso contranitentem, per consequens juvando, ut arteriosus nisum suum cum majore vehementia exerat, sicque causam obstruentem protrudat. Hac occasione dum Balnea certis morbis appropriata remedia judicat, modum eorum operandi a gravitate derivat, canales non tantum vasorum sanguiferorum

rum sed fibrarum quoque obstructos aere plus comprimente, hinc ad organa excretoria materiam morbificam exprimente: quam balnei pressionem experimentis manifestissimis confirmat, eamque ab instantiis atque dubiis variis vindicat. Vicarias sanguinis missionis dum diætam & medicamenta quælibet alterantia atque evacuantia ait, quorum quædam aut per stimulum, aut non sine hoc, agant, primo de *stimulis*, hinc de *medicamentis* ipsis, præprimis evacuantibus, agit: utrobique ardua maxime proponens & exponens, v. g. de hydatidum & callorum ætiologia; stimulos operari in distans, i. e. remotissimarum quoque partium materiam peccantem ad stimulorum emissaria derivari; digitorum intorsiones vehementiores & velociores, quas stimulis pariter accenset, apoplecticos excitare; cur a cantharidibus urinariæ saltem viæ excorientur, ideo nimirum quod acre eorum massam sanguineam subiens sali urinæ combinatum intendatur. Medicamentorum vires dum rimatur, ideo vitiosos humores in corpore colligi putat, quod nulla detur in hoc glandula, quæ vitioso similem naturaliter separet: operationem itaque medicamentorum esse, vel novam glandulam, secretioni ejusmodi aptam, formare, vel humores ita alterare, ut a glandulis ordinariis secernantur ac eliminentur. Novas glandulas a medicamentis generari posse, haud adeo paradoxum credit, cum vermes sæpius ex alimentis fiant, in quibus infinitus glandularum numerus occurrit: omnia medicamenta per contactum operari, & quidem eorum quædam, totam S. M. instar lapidis aquæ injecti, commovere; vim eorum attracticem non plane absurdam esse. Purgationem esse quidem posse loco venæ sectionis, sed ea semper periculosiorem, contendit, sub hac complectens suppurantium vim, Mercurii inunctionem, diaphoretica, diuretica, vomitoria, purgantia κατ' ἐξοχὴν, bechica, apophlegmatismos ac sternutatoria. Venæ sectionis in febribus tempus satis paradoxe harum declinationem censet: rationibus nihilominus satis egregiis hoc agit.

Febrium tractationem harum distinctione in species inchoat, cunctarum successive antecedentia, conjuncta, & succedentia, hincque naturam & formalitatem colligens; item, quod in omni febre sanguis afficiatur, ideo quod nulla febris sit, ubi pulsus a naturali ordine non aberret, & quidem sanguinis hæc vitia tam in motu, quam

quan-

Digitized by Google

quantitate & qualitate ejus conſiſtere, pluribus propoſitionibus & per cunctas febrium ſpecies probat, ita tamen ut hæc vitia non in omni concurrant, v.g in ephemera motus quantitas & qualitas vitioſa, in hectica qualitas ſaltem prava. Atque hanc qualitatem ſanguinis vitioſam præprimis lentorem ſeu viſciditatem ſanguinis pronunciat, ab eaque plurima febrium ſymptomata, v.g. corporis gravitatem, virium lapſum, frigus, rigorem, dolores lancinantes derivat, ita tamen ut fermentum quoddam frigorificum inſimul concipiat. Porro febrium cauſas ſpecialius explicaturus, in Quotidiana lentorem peccare cum materia facile mobili, autumat Bellinus, in Epiala lentorem diverſæ texturæ agnoſcit, Tertianæ lentorem minus frigidum & ſiccum ſuſpicatur, in Cauſo contumacem & ſiccum, & ſic reliquarum febrium differentias per diverſam lentoris humorum habitudinem explicat.

Affectuum Capitis viginti frequentiores cum eorum ſymptomatis recenſet, horumque ſingulorum ætiologias ſubdit. Agmen claudunt *morbi cordis*, pulmonum ac thoracis, cum ſuis & ſuorum ſymptomatum cauſis. Cuncta vero Autoris ſingularem ſolertiam ac ſtupendam dexteritatem teſtantia, magnaque in promiſſo ipſius *de Secretionibus animalibus* tractatu publico pollicentur.

DISSERTATION SUR L' ANTIMOINE par Mr. Lamy Docteur en Medecine de la Faculté de Paris.

ſive

Diſſertatio de Antimonio, Autore Dn. Lamy Med. Doct. Facultatis Pariſienſis.

Pariſiis 1682 in 12.

ANtimonium vix ullibi unquam, quam Pariſiis, infeſtos adeo, Medicos inter, habuit inimicos. Nondum quinque lapſa ſunt luſtra, ex quo Facultas ibi Medica inteſtinis motibus Antimonii cauſa varie ac diu agitata eſt; quibus demum ſedatis, quomodo novas denuo turbas Dn. *Blondel*, & Dn. *Doute* Fratres uterini binis abhinc annis excitaverint, in Præfatione Diſſertationis præſentis videre licet. Etenim hanc Autor non niſi provocatus a Collegis hiſce ſuis prænominatis,

natis, ut aliquid in Antimonii favorem literis conſignaret, compoſuit: cujus alias nomen etiam poſt mortem, (quam non diu ab obitu antagoniſtæ ſui Dni. *Blondel* oppetiit) nemini obſcurum eſſe poterit, qui vel Gallorum Ephemeridibus, vel ipſius ſcriptis oculum admovit, qualia habentur *Diſcurſus Anatomici, liber de Principiis Rerum, Explicatio Mechanica & Phyſica Functionum Animæ ſenſitivæ*, ſingula ante Diſſertationem præſentem idiomate nativo, unico libello de Principiis Rerum excepto, quem Latine conſcripſit, edita. Duas autem hujus Diſſertationis conſtituit partes. In priori naturam Antimonii, tanquam Mineralis cujusdam compoſiti, e duplici principio ſenſibili, ſulphureo altero, altero metallico, evolvit; metallicam ejus ſubſtantiam, qua nec ipſum ſulphur antimonii auratum deſtituatur, pro principali baſi operationum quarumvis, quas in corpus noſtrum Antimonium, ſive crudum, ſive diverſimode præparatum exerit, agnoſcens; inductione potiſſimum conſuetarum Antimonii præparationum, quibus ſingulis ſulphurea ejus pars deſtruatur, ad id perſuaſus. Nihilominus cum metalla extra ſalium connubium (præter unicum Mercurium, eumque effectum, quem ponderoſitatis ſuæ ratione alias producere ſolent) penitus obſerventur inertia; quo metallica pariter hæc antimonii ſubſtantia agere poſſit, ſalis prius cujusdam combinationem ſumme oſtendit neceſſariam. Crudi Antimonii decoctum cum aqua ſola, ſudorem non magis movere, quam aquam ſimplicem pronunciat; ex acidi tamen cujusdam additione, emeticum idem evadere poſſe, per infuſionem ejusdem antimonii crudi cum vino evincit, ceu cujus medio, per ſuperiora notabiliter evacuantis, febrim tertianam duplicem novem jam menſium durationis, ſuſtulerit feliciſſime. Adeoque diverſitatem effectuum, quæ diverſa Antimonii præparata inſequitur, non niſi a ſale diverſo per artem combinato derivat, monſtrando Antimonium diaphoreticum, ac Bezoarticum Minerale, quod per ſudorem, non autem per ſuperius, nec per inferius, guttur evacuent, habere id ab adjuncto nitro fixo; hoc v. ſi temporis tractu ab aere humido in Antimonio diaphoretico ſolvatur, Emeticum hoc exſurgere poſſe. Invehitur ex hoc fonte in ordinarium Antimonii diaphoretici edulcorationem, cum ſic nitro fixo ſpoliatum nil niſi calx quædam mortua ſit, loco cujus Antimonium diaphoreticum non lotum notabilem cum acidis efferveſcentiam moveat: eaque propter vim quoque Bezoartici

Digitized by Google

Mineralis diaphoreticam non tantam, ac vulgo creditur, autumat. Emeticam hinc ac Catharcticam antimonii virtutem acido potius addito tribuit, rationem formalem, qua ejusmodi purgationes perficiuntur, annectens, usumque Vomitoriorum multis in morbis proficuum insinuans, caute quamvis semper propinandorum. In parte vero posteriori, ubi Antimonium e venenorum numero eximere satagit, prælibato prius, quid venena sint, quam diversa, & qua ratione vitæ animali insidias struant: scrutatur porro, an ad aliquam venenorum recensitorum classem Antimonium queat referri, sed concludit tandem, bonum remedium, venenum nequaquam, esse Antimonium.

JACOBI LE MORT, MED. DOCT. Compendium Chymicum.

Lugduni Batav. apud F. Lopez, 1682. in 12.

QUemadmodum experientia multifaria prudensque, ac Ratio illi innitens, optimam methodum, Chymicas operationes accurate & succincte exponendi suppeditant: sic binis illis Manuductoribus in hoc Chymiæ compendio usum fuisse præsentem Scriptorem, ex toto illius contextu patescit. Præter Prolegomena siquidem quadruplicem Pyrotechniæ finem exponentia, primo occasione ejus specierum, solutionis & coagulationis, de principiis Chymicis vulgaribus agit, eaque ex duplici, Fluiditatis ac Firmitatis, radice exurgere docet. Hinc solutionis & coagulationis species recenset; Furnorum illorum, qui ad operationes perficiendas commodiores, constructionem tradit, simul animadvertendo, gradus ignis minus recte in horum summitate, more solenni, sed in cinerario potius, adeoque non per egressum, sed ingressum aeris, esse moderandos; quibus quædam de vasis, quæ ipsi in frequentiore usu sunt, item de Lutis, subjungit. Præparata tandem chymica, Aquas nempe, Olea, Spiritus per fermentationem, Salia volatilia, Salia fixa, Spiritus acidos mineralium &c. ubi explicat, horum non tantum texturam evolvit, sed singulorum quoque parandorum modos per exempla specialiora & ita declarat, ut præmisso semper, ut ajunt, processu, hujus ætiologiam ex hypothesi mechanica, in Notis certis atque ingeniosis suggerat, simulque præparati vires describat.

Quod

Quod omne dum agit, variis encheiriſibus & theoriis haud vulgaribus ſe Lectori commendat. Ita ubi de Aqua Corticum Aurantiorum diſſerit, cur horum & ſimilium maceratio cum ſale communi contingat, & qua ratione hujus nimia activitas per ſalia fixa obtundi queat, exponit: Olea eſſentialia nihil aliud niſi particulas ſalinas volatiles, cum multa terra ſubtiliore & aliqua portione aquæ combinatas, ſuſpicatur: Olei caryophyllorum deſtillandi Sal commune ejusque ſpiritum ſingulare vehiculum ſuſpicatur, modumque olea ſub colore proprio conſervandi tradit: Spiritus frumenti empyreuma ſubacidum rectificatione ſuper Calcem tollit: merum Alumen, ſæpius cum Aqua cohobatum, totum Alembicum tranſire obſervat: ſuper Salis volatilis ſuccini fiendi rationem ſpeculatur: ubi Urinæ deſtillationis mentio fit, ridiculam pronunciat cautelam illorum, qui urinam vini potoris præ alia commendant: Salia volatilia oleoſa tradit: Spiritus acidos mineralium pro addiramentorum varietate, in quantitate & qualitate variare docet: Aquæ Fortis & Aquæ Regis ad Aurum & Argentum reſtrictas potentias pororum diverſæ habitudini adſcribit &c. Seque non minus Philoſophum, quam Artificem haud minorum gentium comprobat.

VLRICI HVBERI POSITIONES SIVE Lectiones Juris Contracta, ſecundum Inſtitutiones & Pandectas ad primordia diſciplinæ uſumque ſeculi adtemperatæ.

Franequeræ 1682 in 8.

ULricus Huberus conſummatiſſimi judicii Juriſconſultus, & hactenus erudito orbi ex variis generis ingenioſiſſimis ſcriptis, puta, *digreſſionibus Juſtinianeis*, *prælectionibus ad Inſtitutiones*, *tractatu de Jure civitatis*, *diſſertatione item de jure in re*, *& de genuina ætate Aſſyriorum*, aliisque notus, adoleſcens adhuc, ut de ſeipſe fatetur, e ſubſelliis diſcentium in doctorum cathedram publica autoritate productus eſt, ac poſtquam per duos & viginti annos Academicam doctrinam publice profeſſus fuiſſet, locum in ſupremo Senatu Friſiorum accepit, ibique Lectiones ſuas familiares ad Libros Juſtiniani Inſtitutionum & Pandectarum, jam pri-

Digitized by Google

dem in gratiam auditorum ſuorum ære typographico excuſas, recenſere & emendare inſtituit, ut univerſam Jurisprudentiam moribus ſeculi adtemperatam compendio repræſentarent. Poſtquam vero triennium in ſuprema Curia peregiſſet, amore erga Studioſam Juventutem commotus, raro exemplo, dimiſſionem ab Ordinibus impetravit, & in Academiam ſe recipiens, Poſitiones haſce iterum edi curavit, argumentum præbiturus futuris collegiis. Juſſerant enim eum Ordines, ut poſt miſſionem in civitate Franequerana domicilium ſuum conſtitueret, ibique ſcriptis ſuis Jus Civile, Jus publicum atque Friſiorum illuſtraret, Studioſisque, cum rogatu ſingulorum, tum aliquando univerſis aditum apud ſe præberet ita, quemadmodum utilitati ipſorum, gloriæque Academicæ potiſſimum convenire viſum fuerit. Quid autem per has Poſitiones intenderit celeberrimus Autor, & ex modo dictis patere poteſt, & ipſe prolixe expoſuit in *Auſpiciis domeſticis* ſequenti menſe referendis, *Orat.1,2,4,& 9.* Scilicet principia Juris Romani initio ſecundum ordinem Inſtitutionum breviſſimis accuratiſſimisque poſitionibus incluſit, annotatis ſimul morum hodiernorum ab antiquis receſſibus. Idem poſtea ſecundum ſeriem Pandectarum præſtitit, iſto tamen laudabili inſtituto obſervato, ut in titulis Pandectarum, qui Inſtitutionibus paralleli ſunt, Auditores remittat ad partem primam, ſubinde & ſpicilegium ibidem omiſſorum addat, reliquos vero poſitionibus ejusmodi brevibus & perſpicuis includat, quo utrobique rationes magis e nexu rerum quam diffuſis verbis pateant, legesque potiſſimæ ac difficiliores ſuccincte exponantur, & in ipſis theſibus ſemina quæſtionum præcipuarum, ac inter Doctores maxime controverſarum occultentur, quæ iſtis principiis bene notatis non difficulter poterunt definiri, & ita Jurisprudentia Juſtinianea brevi temporis ſpatio jucunde magis quam tædioſe addiſci; quod quantam utilitatem doctrinæ huic afferat, cogitari magis poteſt, quam ut pro dignitate id deprædicare valeamus.

QVANTO DI PIV CVRIOSO, E VAGO

hà potuto raccorre Cornelio Magni nel primo biennio da eſſo conſumato in viaggi e dimore per la Turchia.

h. e.

Digitized by Google

h. e.

Quantum rerum maxime memorabilium ac elegantium colligere *potuit* Cornelius Magnus in primo biennio, quod *ipse* impendit itineribus & commorationibus in Turcia.

Venetiis 1682. in 12.

NOn male illi operam suam collocant, qui post peragratas Orientis regiones, patriæ redditi, de rebus Turcicis exponere, ac istius Imperii faciem, qualis ipsis visa fuit, depingere suscipiunt. Quamvis enim idem antehac plures prospero felicique successu tentaverint, ipsorumque scripta sat accuratam Turciæ cognitionem dare videantur, tamen quia Ottomannicæ Dominationis inprimis crebræ sunt fatalesque mutationes, si quis nobis de istis referat, tanto magis laudem meretur, quanto parcius Germaniæ est cum ea gente commercium. Suo igitur merito hic commemoratur *Cornelius Magnus*, *Parmensis*, qui cum iter in Asiam an. 1672 suscepisset, missis inde ad amicos in Italia viventes literis observare voluit, quicquid notatu dignius, ac in aliis Scriptoribus minus obvium occurrit. Exacto quadriennio in patriam redux, eam literarum partem, qua res ad *Turcici Regni Statum* pertinentes complexus fuerat, collegit, ac 1682 demum anno publici juris fecit; alteram quoque, quæ *Terram Sanctam*, & remotiores magis provincias describat, brevi editurus. Constat autem totum opus *septem* omnino *epistolis*, quarum *Prima* abitum Autoris ex Italia, & quæ sub itineris auspicium obtigerint, refert. Batavorum hic nautarum industria, & operæ in navi apto ordine distributæ notantur: prolixius vero commemoratur, quicquid *Messina*, priscis *Zancle* dicta, *Zacynthus*, ac *Smirna* habent, quod hominis exteri, iter illuc facientis, oculos & animum abripiat. *Epistolarum altera Constantinopolin*, & loca duo vicina Christianis inhabitata, *Peram* & *Galatam* describit; ministros Europæos, qui & Legatorum munere, & Judicum simul, suæ quisque Nationis, funguntur, enumerat, ac denique calculum init monasteriorum ac templorum, quæ illic Romani tenent. *Tertia* magnificentiam ædium publicarum deprædicat; quo loco mentio fit mercatus, in quo servi barbarum

rarum nationum vendi ſolent, qui quidem, ut Autor habet, duplicis ſunt generis. Alios enim *Ruſſos* Turcæ vocant, alios *Mingrellos*, quorum illi corpore ſunt robuſto ac valido, unde remis alligantur, hi animo fracto & abjecto eſſe, ſed malitioſi & verſuti ſueverunt, quibusvis ſceleribus patrandis idonei. Idem argumentum continuat *Epiſtola Quarta*, ad cujus finem Autor ritus illos ac ceremonias annectit, quibus recipi Principum Chriſtianorum Miniſtri a Turcicis ſolent. Fuerat enim occaſio id obſervandi, quum publica quædam officia in homines aliquot primi ordinis collata eſſent. Et quoniam ſub idem tempus in Polonos expeditionem parabat Imperator, operæ pretium duxit Cornelius, totius exercitus ordinem, quantum liceret, perluſtrare, de quo poſtmodum *Epiſtolam Quintam*, ſed prolixam, exaravit, quæ militarem Turcarum diſciplinam accurate depingit, qualem cum in tabernaculorum ſignorumque diſpoſitione, tum in inſtructione copiarum Autor viderat. *Epiſtola Sexta* Mahumetem IV, qui nunc principatum tenet, ejusque liberos, cum Imperii Proceribus, ac ſeptem Aſſeſſoribus Magni Concilii deſcribit. Eadem novæ Arcis elegantem delineationem, quoad interiores cumprimis partes, ad quas pauci penetrant, exhibet, quæ ab Alberto quodam Bobonio, natione Polono, ſed profeſſione Turca, olim perfecta, poſt ejus mortem ad Cornelium noſtrum pervenerat. In *ultima Epiſtolarum* Autor refert, quæ in locis quibusdam a Conſtantinopoli parum diſtantibus, & ad Boſphori utramque ripam ſitis viderat; inprimis ſolennitates ac feſta commemorat, quæ ſuo tempore Turcæ partim ex annua conſuetudine, partim ex lætitia ob felices Imperatoris progreſſus in Polonia celebraverant.

VVOYNA DOMOVVA Z-KOZAKI I TATAry, Moskvvą, potym Szvvedámi, I z VVęgry przez lat dvvanaſcie za Panovvánia Nayjáśnieyſſego Jana Kazimierza Krola Polskiego toczącá ſię, na cztery podzielena Xięgi Oyczyſto Muzo od Samuela z-Skrzypny Tvvardovvskiego.

id eſt

Bellum domeſticum Kozaco-Tartarico-Moſcoviticum, dein Sueco-Hungaricũ ſeu Transſylvanicũ, per

per duodecim annos, regnante Sereniſſimo JOHANNE CASIMIRO Poloniarum Rege geſtum, in quatuor diviſum libros, decantatum a Samuele in Skrzypno Tvvardovvskio. Opus Poſthumum.

Caliſſii, 1681. in folio.

Quæ Hiſtoriographi noſtrorum temporum alii aut attigerunt leviter, aut uberiore at ſoluto ſermone complexi ſunt, JOHANNIS CASIMIRI geſta, Auctor hic juſto opere, verſibusque trochaicis lingua vernacula decantavit; ingeni ſui felicitate, & a Collegio Societatis Jeſu Caliſſienſi, & a Cenſore operis hujus, *Maronis Poloni* nomen promeritus, nec Poetæ tantum, ſed & Hiſtorici partibus optime defunctus.

Diſtributum Opus in quatuor libros eſt, quorum *primo* acta annorum 1648 & 1649 referenti exordium eſt a Coſaccorum origine, vitæ genere, & rebus geſtis. Inde Auctor ad cauſas infauſti belli Coſaccos inter ac Polonos regnante Uladislao IV cœpti, ac poſt illius intempeſtivum plane obitum, ſub Johanne Caſimiro atrocioribus utrinque odiis, ac plurima Polonorum clade continuati progreditur, ipſumque bellum longa actorum ſerie tribus Sectionibus commemorat, in pactis tandem Zborovianis deſinens. *Alter* reſumpta utrinque arma, varioque eventu per annos 1650 & 1651 tractum bellum, pacem denique petentibus Coſaccis Tractatu Bialocierco vienſi conceſſam recenſet. Nec diſſimile argumentum libro *tertio*, redintegrati tertium cum Coſaccis eorumq; duce Chmielnecio belli cauſas & decurſum enarranti. *Quartus* isque ultimus liber quinque ſectionibus conſtans, Turbas Coſacco-Tartarico-Moſcoviticas, proximo bello ſuccedentes, jacturamque Smolenscii: & denique Poloniæ longe luctuoſiſſimum bellum Sueco-Tranſylvanicum, interſertis quæ in Dania, Holſatia, Pruſſia, Lithuania vario Marte a partibus geſta ſunt, copioſe recenſet, & ad pacem Olivenſem deducit. Nobis ſingula bellis illis geſta hic repetere ſupervacaneum eſt viſum, cum in recenti omnium memoria verſentur: æquum vero, vel ex hoc ſpecimine, Polonicam etiam linguam, utut horridior multis putetur, venuſtatum ligati ſermonis minime incapacem agnoſcere,

JOH.

Digitized by Google

JOH. ADAMI SCHERZERI,

Ingenui Præsulatus Misnensis & Rev. Capituli S. Petri Budissin. resp. Præpositi ac Senioris, Theologi apud Lipsienses Primarii, Collegii Anti-Sociniani editio altera.

Lipsiæ impensis Nicolai Scipionis, 1684. in 4.

INdefessos, quibus per omne vitæ suæ tempus assuetus fuerat, in studiis labores, Vir maxime Reverendus ne in adversa quidem valetudine prorsus intermisit. Lecto enim affixus alteram hanc *Collegii* sui *Anti-Sociniani* editionem, cui apologetica contra nonnullas *Christophori Sandii* cavillationes præfatio accessit, correctiorem & auctiorem prodire procuravit, cum eam avidis multorum votis expeti intelligeret. Sed contra vota accidit, ut morbi pertinacia consummatissimo huic Theologo sextum & quinquagesimum ætatis annum agenti lethalis evaderet. E cujus obitu quantum damni & Academia nostra, & universa res literaria sacris maxime studiis addicta sentiat, nemo non intelligit, qui elaboratissimas has lucubrationes, quibus Sociniana sophismata expugnatum & debellatum ivit, attentis oculis perlustraverit; ut *Systema Theologicum, Anti Bellarminum, Tractatum de Catholico,* plurimaque alia tam Philosophica & Philologica (si ad argumentum respicias,) quam Theologica ingenii monumenta in lucem publicam emissa taceamus, non tam mole, quam diffusa exquisitæ eruditionis amplitudine, nervoso judicandi acumine, & solido persuadendi robore immensa, ac quovis pretio majora. Quibus commendandis immorari nolumus, ne Viri πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων laudes omnem eloquentiam superantes deterere potius quam deprædicare videamur. Speramus autem, quod unicum levando nostro dolori solatium superest, eos, ad quos hereditatis vel affinitatis & amicitiæ jure hæc cura pertinet, *Exegesin Breviarii Hulsemanni, Collegium Anti-Calvinianum, Lectiones Anti-Syncretisticas,* & cætera, quæ prælo jam parata Vir incomparabilis reliquit, bono publico non invisuros, sed propediem e scriniis suis protracturos esse, ut novis subinde *Scherzeri* scriptis prodeuntibus, quem immatura nobis mors eripuit, perpetuo inter nos vivere videatur.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno M DC LXXXIV.

NICANDRI E HOHENEGG, VIRI S. JESV, Historia Papatus, novissimo Historiæ Lutheranismi & Calvinismi fabro κατὰ βίαιον reposita &c. Accedit Francisci Guicciardini historia Papatus ex autographo Florentino restituta.

Amstelodami, anno 1684. in 4.

VIx labore excerpendi historiam parallelam Maimburgio oppositam defuncti eramus, cum Tractatus iste ad manus nostras pervenit, ab Autore copiosæ lectionis, & magni adversus Papatum zeli Viro, tum ut ex epigrammate, præloquio subjuncto, apparet, *celsa stirpe locoque sato*, compositus. Nomen quidem libro præscriptum est, sed, ut ipse Autor in præfatione commemorat, *sub cujus obscuritate involutus lubenter latitare vellet. Reformatorum* partibus addictum esse, non obscure colligitur. Sed de dogmatibus nihil aut parum tradens, id potissimum agit, ut per modum retorsionis, scriptorem Historiæ tam Lutheranæ quam Calvinianæ, *Ludovicum* nempe *Maimburgium*, (quem tacito licet nomine, evidenter in præfatione describit,) retundat, & qui ejus aculeatis in Protestantes contumeliis aures præbuerunt, ad Pontificiæ & Romanæ Ecclesiæ corruptionem, & jus ac necessitatem reformationis agnoscendam deducat. Universalis itaque hæc est historia quædam Romanæ Ecclesiæ & successionis Pontificiæ, in *septem Periodos* distincta, qua ad *Mornai* fere methodum, origo & progressus Hierarchiæ Romanæ, tum oppositio per omnia secula ad præsens usque tempus ostenditur. Priores sex Periodi breviores sunt, ab initio prædicationis Evangelicæ, ad annum usque 1563. Hæc in privatum usum collegisse se ex scriptoribus ait Autor, at quæ inde usque ad præsens tempus gesta sunt, & majorem

Digitized by Google

operis partem occupant, *ideo fuſius & accuratius ediſſerenda ſe ſumſiſſe, quod hucusque neminem dedita opera id feciſſe ſciret.*

In *Periodo Prima, ab Apoſtolorum tempore ad A.C. 314*, incertum eſſe, nec niſi futili & infirmo teſtimonio niti ſcribit (allegans in eandem ſententiam *Mantuanum, Marſilium Patavinum, Carol. Molinæum* & alios) quod Petrus Apoſtolus Romæ fuerit, aut Epiſcopatum geſſerit: omnium minime vero, licet id detur, ſequi, quod jus univerſalis in Eccleſiam Pontificatus vel habuerit, vel ad ſucceſſores transmiſerit. Priores quidem Romæ Epiſcopos ſanctos, ſed mox ceſſantibus perſecutionibus, dominandi in alias Eccleſias cupidos factos, eoque nomine a *Cypriano*, *Hieronymo*, aliisque Aſiæ & Africæ Epiſcopis taxatos & repreſſos fuiſſe tradit; Decretalium vero *Pſeudo-Iſidori*, ex quibus primis illis Epiſcopis ſuperſtitioſæ Conſtitutiones tribuuntur; falſitatem, *Sirmondi*, *Petavii* & aliorum ex Romanenſibus autoritate arguit. In *Periodo Secunda* progreſſum ambitionis Epiſcoporum Romanorum, abſentibus Urbe Imperatoribus, & debilitata per Barbaros eorum potentia, *ad Annum usque Chr. 607* deſcribit, & ſimultates cum Epiſcopis Conſtantinopolitanis, ob affectatos etiam ab his Patriarchatus Oecumenici titulos enarrat. Laudat tamen *Gregorium* I, quod univerſalis Epiſcopi nomen nonniſi ab Anti-Chriſti præcurſore geri poſſe ſtatuerit. *Periodo Tertia*, quam *ad A. C. 1073* producit, habentur, quæ ad *Bonifacii* III impetratum a *Phoca* Imperatore pro Primatu, (neglecto ſcil. Gregorii monito,) decretum pertinent: dein *Honorii* Papæ lapſus in hæreſin, certamina de imaginibus & de præſentia corporali in S. cœna, neglectus Theologiæ & bonarum literarum, turpiſſimi plerorumque Pontificum mores, eorundem faſtus, diminuta Imperii majeſtas, origo Cardinalium, & alia ex illorum infelicium temporum hiſtoria. *Periodus Quarta a Gregorio* VII, qui Pontificum dominatum in immenſum evexit, incipit, ejusque & ſucceſſorum hiſtoriam *ad annum* usque 1294 pertexit. In hac rixæ & bella cum Imperatoribus: expeditiones in Palæſtinam, rei Chriſtianæ exitioſæ: plurimæ de corruptione Eccleſiæ querelæ: ortus Theologiæ Scholaſticæ, religioni & pietati noxiæ: inſtituti in Pontificiæ poteſtatis ſtabilimentum Monachorum, mendicantium præſertim, ordines, eorumque tumultus & hæreſes: veritatis in Waldenſibus perſecutio, & multa alia per compendium expoſita reperiuntur,

untur. *Periodi Quintæ* initium facit *Bonifacii* VIII, quem faſtigii Papalis conſummatorem vocat, hiſtoria: memorantur, qui vitia Pontificum & errores doctrinæ libere taxarunt, dein *Wiclefi, Huſſi* & aliorum, qui pro hæreticis habiti ſunt, geſta & fata; certamina Paparum cum Imperatoribus; Acta cum Græcis; concilia plurima, ſed turbata aut neglecta; renaſcentes, ad detegendos errores poſtmodum profuturæ, bonæ literæ, atque reformationis ſecutæ præludia quædam, usque ad exitum *Julii* II & *An.* 1517. *Periodus Sexta a Leonis X* Pontificatu inchoatur, & in promulgatione decretorum in Concilio Tridentino finitur. In hanc incidunt Reformationes Religionis, earumque cauſa in Europa geſta, a plurimis tradita: origo *Jeſuitarum* & *Capucinorum*, quorum artibus ruens Papatus adjutus eſſe dicitur, addita gravi cenſura, §. 170. Laudatur ſcriptor nuperus *Julius Clemens Placentinus* ex *Comitum Scotorum* familia, ob editum de *poteſtate Pontificis in Societatem Jeſu* librum, *Venetiis* (quanquam titulus *Lutetiam* præ ſe ferat,) impreſſum. His ita breviter per §§. 189. recenſitis, auctorumque teſtimonio firmatis, ſubjungitur, & *ad* §. *uſque* 350, *atque Annum* 1682 continuatur *Periodus Septima*. Eſt autem hæc tot rerum maxime memorabilium ſuccincta narratione adeo referta, ut compendii modus plane excedendus foret, ſi quis præcipua ſaltem, nedum omnia indicare vellet. Quædam itaque veluti digito monſtrabimus.

§. *190 & ſeqq.* Perſecutiones in Proteſtantes, Pontificum impulſu excitatæ, funeſti etiam Catholicorum Principum, qui non ſatis ſeveri ad exequenda Pontificum juſſa & conſilia fuerunt, exitus recenſentur. §. *206*, ex Autore *Speculi conſiliorum Hiſpanicorum* revelatur fœdus Sacrum, auſpiciis Clementis VIII adverſus Proteſtantes initio hujus ſeculi initum, cui tamen *Henricus* IV *Galliæ Rex*, & *Magnus Hetruriæ Dux* accedere noluerint. §. *207 & ſeq.* diſſidia in Eccleſia Romana inter Jeſuitas & Dominicanos, de auxiliis gratiæ potiſſimum, Pontificibus ſententiam ſuſpendentibus, & conciliationem edito libro fruſtra tentante *Franciſco de Arriba*. §. 210, teſtimonium illuſtre *Oſſati Cardinalis*, quod *Clemens Papa* ſtatuerit, licere Principibus fidem datam violare. §. *211 & ſeqq.* de pulveraria conjuratione Anglicana notabilia quædam. §. 214, de opinione *Jeſuitarum*, circa jus occidendi Reges, Pontifici non obſequentes. §. 215, eorundem doctrina de reſer-

 vatione

vatione mentali. *§.216.& ſeq.* judicium acre de *Baronio* & *Bellarmino.* §. *218*, de novis *Methodiſtis* ad refutandos Proteſtantes, ex quibus recentiſſimi nominantur *Walenburgii Maſenius, Boſſuetus Epiſcopus &c.* §. 220, narratio diſſidii inter *Paulum V & Venetos*, & elogium *Pauli Sarpii Servitæ*. §.*221*, inſignis *Claudii Eſpencæi*, Theol. Pariſienſis, de Romana Eccleſia querela. §.223, motus inter Theologos Romanenſes de immaculata conceptione *B. Virginis*, & de ſuſpendenda illa quæſtione definitiones Pontificum. §. *224 & ſeqq.* clades Proteſtantium in *Bohemia* & *Germania* uſque ad bellum *Suecicum*, novaque perſecutionum Methodus ſine cæde oppreſſorum, quam *diætam* vocabant. §. 232. de ſecta *Illuminatorum in Hiſpania.* §. 234, invectivæ in jactata *Jeſuitarum* miracula. §. 235, *Jeſuitiſſarum* abolitio ab *Urbano VIII* decreta. §. *237. & ſeqq.* de libris pro poteſtate Pontificia, præcipue *Santarelli*, in Gallia damnatis, & quæ cum *Jeſuitis*, *Cotono* inprimis, ea occaſione acta ſunt, hujusque impietas dæmonem interrogantis. §. 240, *de Bulla cœna Domini*, & quod Regibus illa exitioſa ſit, contra molliorem explicationem *Petri de Marca.* §. 242, compendium eorum, quæ in *Æthiopia* præcipue religionis cauſa geſta ſunt, ex opere *V. C. Jobi Ludolfi.* §. 243, de oppreſſo crudeliter in *Japonia* Chriſtianiſmo. §. 244, ut *Urbanus* Papa Gallos in Hiſpanos ſtimulaverit, utque (§. 253) pacem Germaniæ impediverit. §. 245 *& ſeqq. Janſeniſmi & Moliniſmi* hiſtoria cum elogio *Janſenii* ejusque defenſorum. §. 251, laniena Proteſtantium in *Hibernia.* §. 258 *& ſeq.* oppoſitio Papæ adverſus pacem Germanicam, & quæ pro illa & contra ſcripta fuerunt. §. 264 *& ſeqq.* laniena *Valdenſium in Alpinis*, ejusque vindicta & qualiscunque pax illis conceſſa, nuperque denuo violata. §. 268, *Bulla Alexandri VII* horribilis in *Carolum Guſtavum* Sueciæ Regem, cum refutatione interlineari. §. 270 *& ſeqq.* de *Nepotiſmo* nova & vetera. §. 274 *& ſeq.* de *Franciſci Saleſii* exaggerata in immenſum ſanctitate, & ut per Exorciſmum aliosque ſecretos modos Proteſtantes convertere aut opprimere voluerit. §. *276. ſeqq.* de diſſidio inter Jeſuitas & Theologos Gallos, de infallibilitate Papæ in quæſtionibus facti. §. *280*, aliud inter *Curatos* & *Monachos* de munere prædicandi. §. *281* de decreto Sorbonæ contra *Vernantium* de poteſtate Papæ. §. 281 & ſeqq. de *Morali Jeſuitarum* doctrina & diſciplina contentiones in Gallia, & cenſura libri ſub nomine *Amadei Guimenii* editi.

§. 288,

Digitized by Google

§. 288, Conſilium memorabile *Parlamenti*, infallibilitati Pontificiæ oppoſitum. §. 289, de novo Indice expurgatorio Anno 1664, & decreto contra libros ipſorum Pontificiorum, etiam contra *Bullas Paparum*. § 290, acerba *Miſſalis Gallice* editi cenſura Pontificia. §. 291 *& ſeq.* de *Julii Clementis* Notis in *hiſtoriam Concilii Tridentini*, ejusque ſententia, quod Reſpubl. Chriſtiana poſt illud Concilium magis deformata fuerit. §. 293 & ſeqq. invectivæ in Epiſcopos milites. §. 296 *& ſeq.* Jeſuitarum opinio de attritionis efficacia, ſine dilectione Dei, a Romano-Catholicis multis, pro ſumme impia habita, & *Bulla Alexandri* VII anno 1667 pro toleranda utraque ſententia edita, ſevera cum prohibitione, *ne quis audeat taxare alterutram ſententiam* (ſunt verba decreti,) *ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu Gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum.* Subjungit Autor epicriſin graviſſimam, & poſt cygneam ſcil. hanc cantionem intra dies quindecim deceſſiſſe notat Pontificem. §. *300* usq; *ad 319* prolixe & ab initio reformationis ad annum 1676 explicatur & improbatur perſecutio Hungarorum Proteſtantium, & duriſſima in Miniſtros Eccleſiarum, falſo rebellionis crimine damnatos animadverſio. §. *320*, erumpens notatur hoc tempore veritas in Papatu, ſed mox iterum oppreſſa, circa *Cultum B. Virginis*, quem moderandum ſtatuerat Autor *monitorum ſalutarium B. V. ad cultores ſuos indiſcretos, Gandavi Anno 1673* cum cenſorum approbatione editorum, ab Epiſcopo etiam Tornacenſi defenſus, ſed ab aliis, Gallis potiſſimum, repreſſus. Itemque §. 322, Liber contra imaginum cultum a Pontificio Doctore, *Maimburgii hiſtoriæ Iconoclaſticæ* oppoſitus, ſed mox ſuppreſſus. § *324. & ſeqq.* conjuratio in Anglia adverſus Regem & Reformatos a *Tito Oate* detecta. §. 337 *& ſeqq.* perſecutionis Gallicæ adverſus Proteſtantes pathetica narratio. §. 343 *& ſeqq.* quæſtio de Regalibus inter Regem & Pontificem, & Cleri Gallicani decretum pro Rege, a Pontifice duro reſponſo improbatum. §. 345. *& ſeqq.* ejusdem Cleri circulares ad Proteſtantes literæ, & de iis Autoris judicium. §. 350, proſphoneſis ad Romam & veræ Eccleſiæ ardentia vota.

Quod denique attinet *Hiſtoriam Papatus Franciſci Guicciardini*,

Digitized by Google

in titulo libri memoratam, ea nihil aliud est, quam fragmentum, duorum fere quaternionum, *Libri Quarti Historiæ Florentinæ*, olim censorum decreto extrusum, dein repertum & publicatum. Continet id sinceram *Guicciardini*, licet Pontificiæ non religioni tantum sed & aulæ addicti, professionem, de falsitate *Donationis Constantinianæ*, de *jure* Imperatorum in urbem Romam & Italiam, de Pontificum ab Imperatoribus defectione & affectata in eos potestate, corruptisque moribus.

HISTOIRE DU CONCILE DE TRENTE, DE Fra Paolo Sarpio, Theologien de la Serenissime Republique de Venise. Traduite par le Sieur de la Mothe Josseval, cy devant Secretaire de l'Ambassade de France à Venise. Avec des Remarques Historiques, Politiques & Morales.

Sive

Historia Concilii Tridentini, Fr. Pauli Sarpii, Theologi Sereniss. Reipubl. Venetæ, Gallice versa a Dn. de la Mothe Josseval, olim Legationis Gallicæ ad Venetos Secretario; cum Notis Historicis, Politicis & Moralibus.

Amstelodami apud Blavios. Anno 1683 in 4.

HOnorificus fuit annus proxime elapsus memoriæ *Pauli Sarpii*, historiæ Concilii Tridentini autoris celeberrimi. Is enim duos diversæ sectæ viros nactus est, *Epitomatorem* unum, *Interpretem* alterum, utrumque animosum adversus infensissimum Pauli hostem *Cardinalem Pallavicinum* defensorem. Produximus mense Septembri nupero *Petri Jurii* Theologi Reformati Epitomen, cum præmissa Pauli Apologia. Hunc Romano-Catholicum nunc damus, idem Apologistæ officium non minori zelo nec pondere, in Præfatione versioni Gallicæ præfixa, præstantem, licet aliud agere, & monasticæ turbæ, ut ait, contradictiones vereri videatur. Putat tamen, ante omnes, Pauli tutelam Reipubl. Venetæ incumbere, civis scilicet sui, & Consiliarii Ecclesiastici. Refert etiam, ut ea jam documentum dederit,

quo

quo loco memoriam Miniſtri illius ſui habeat, cum hiſtoriam Pallavicini in ditionibus ſuis publicari ſevere prohibuit, & querelas ad Pontificem de conviciis Paulo impactis detulit. Progreditur inde ad diluenda, quæ Paulo objecta ſunt, v.g. quod *Marco Antonio de Dominis* exemplum hiſtoriæ Conciliaris, quam ſupprimere decreverat, impenſe rogatus concrediderit; eo enim tempore ſuſpectum de mutatione Religionis non fuiſſe illum *de Dominis*, & Paulum ea comperta, & quod liber in Anglia editus, Regique dedicatus, & lemma, rei Pontificiæ contumelioſum, titulo additum fuiſſet, ſerio indoluiſſe, & reviſa poſtmodum, quam impedire nequiverit, altera editione Genevenſi, id lemma & dedicationem ſuſtuliſſe: conſtantiam vero Pauli in Religione Romana *Genevenſium* etiam teſtimoniis probari, nec ei officere epiſtolas, ex quibus aliud erui poſſe videatur: nam vel ſuppoſititias, vel interpolatas eſſe, ut aliis quoque Pauli ſcriptis quibusdam acciderit. Quos vero is P*apiſtas* vocat, non alios intelligi, quam qui cœcam erga Pontificem obedientiam urgeant, in dogmatibus licet conſentientes. Quod literarium Paulo commercium, cum doctis & moderatis in Gallia viris ex utraq; Religione fuerit, culpari non poſſe. Idem Catholicis aliis frequentatum, nec invideri ei hoc adminiculum debere, qui ſolus pro majeſtate patriæ ſuæ clamoribus tot monachorum obſtrepere, totiusq; Aulæ Romanæ impetum ſuſtinere compulſus fuerit; quod quidem tam fortiter præſtiterit, ut compoſiti cum illo maximi Papalis potentiæ propugnatores, *Bellarminus & Baronius Cardinales*, Pygmæi fuiſſe videantur. Falſum eſſe ait, quod ex *Batavi* Legati apud Venetos relatione ei impingitur, quaſi Batavorum ſententiæ applauſiſſet, qui Papam pro Anti-Chriſto habent: abhorrere id a genio viri cautiſſimi, & tacendi imprimis gnari, nec impune ceſſurum fuiſſe apud Rempubl. Venetam, quæ, vel Pallavicino teſte, ſit Religionis Romanæ in Italia antemurale & in Græcia præſidium unicum. Fatetur, non tacuiſſe Paulum vitia Pontificum; ſed id pertinere ad officium hiſtorici, veritatem profeſſi; laudare tamen eosdem, cum mereantur, e.g. *Hadrianum* VI, quanquam hunc Pallavicinus, ne non ſemper a Paulo diſſentiat, parvi faciat. Neque a Paulo encomiis ſuis fraudari Legatos Pontificios, ubi id jure fieri potuerit. Defendit dictum ingenioſum *Petri Danæſii Epiſcopi Vivarienſis*, avunculi ſui magni, adverſus Pallavicini ſuggillationem. Cum vero in

Paulo

Digitized by Google

Paulo reprehendatur, quod nihil aſperi in *Eliſabetham Angliæ Reginam* ſcripſerit, ſicut alii omnes ex Romano-Catholicis facere ſoliti ſunt, id ita excuſat, quod ad hiſtoriam Pauli id argumentum minime pertinuerit, neque ei extra propoſitum vagari moris fuerit. Cæterum minime ſpernendos eſſe ait autores, ex quibus Paulus hiſtoriam ſuam compilaverit; non ipſum *Sleidanum*, utut Lutheranum, in factis præſertim manifeſtis. Inter alios maxime adjutum fuiſſe commentariis *Antonii Amulii* ſive *de Mula*, Oratoris Veneti apud Pontificem & poſtea Cardinalis, & epiſtolis *Caroli Vicecomitis Epiſcopi Vintimilienſis*, ex quibus plura operi ſuo inſerere potuiſſet, ſi tantus ei pungendi pruritus fuiſſet, quantus ab adverſario ei tribuitur. Egregie denique congruere cum Pauli hiſtoria & ad convincendam monachorum ignorantiam, & obnoxiam curiæ Romanæ adulationem plurimum facere, memorialia *Puteani*, & Regia mandata *ad Ferrerium & Pibracium* Legatos. Poſthæc Pallavicino ſtylum objicit contra hiſtoriæ leges ampullatum, oſtentatam multipliciter ſcholæ doctrinam, & affectatas ubique ſententias, ut recte *Cæſar Aquilinus libro de Trib. Hiſt. Concil. Trid.* eum cum pharmacopola comparaverit, qui omnis generis herbas & aromata ideo tantum cumulare medicamini immiſceat, ut oſtendat refertiſſimam ſibi eſſe officinam. Eſt & ubi judicium Cardinalis deſiderat, v. g cum multa pro *Bulla Leonis* adverſus Lutherum congerens, minime tamen diluit objectum a Paulo ſtyli vitium de periodo 400 voces excedenti: dein cum *Annæ Bolenæ* formam luxurioſe deſcribit: cum graviſſimis materiis Scholaſtica & Grammatica infarcit, & adulatorium abſurdumque *Epiſcopi Bitontini* dictum, *Papa lux venit in mundum*, ita excuſare nititur, ac ſi vox *Papæ* interjectionis loco eſſet: porro cum narrat quæ reticuiſſe præſtaret, & ab ipſo Paulo diſſimulata, e.g. barbam Epiſcopo cuidam in diſputationis calore evulſam, & acerbas Legatorum rixas; præterea quod negotia ad res concilii nihil aut parum pertinentia, & a Paulo judicioſe prætermiſſa vel paucis indigitata, prolixe enarraverit, adeoque (quod *Aquilinus* notavit) Pauli amplificator & interpres ſit, aut (quod iſti fruſtra objecit) *Novellarum* potius quam hiſtoriæ ſcriptor. E contrario Pauli opus tam terſum eſſe, ut vix quatuor paginæ ſine materiæ diſpendio reſecari ex eo poſſint. At ex imputatis Paulo a Pallavicino CCCLXI erroribus,

ribus, ducentos adeo leves eſſe exiſtimat, ut numerari non meruerint: lapſum eſſe in nominum & temporum notatione, ſed id multis & præclaris autoribus accidiſſe. Melius itaque conſultum fuiſſe *Terentium Alciatum* itidem Jeſuitam, qui plurimis annis omnia ad refutandum Paulum conquirens, a ſcriptione tamen abſtinere maluerit, quam *frivola* nec ſolida prodere. Culpandum vero Pallavicinum, quod pernicioſiſſima adverſus Regum & Principum majeſtatem dogmata, & omnipotentiæ Pontificiæ aſſertiones, libro ſuo inſeruerit, ita ut compendium contineat, & revelationem omnis aulicæ, quæ Romæ fovetur, doctrinæ, quamque accurate ex illo excerpſerit autor tractatus, cui titulus: *Evangelium novum Cardinalis Pallavicini.* Celebrat Pauli prudentiam, qui jus Principum & ſalutem populorum affectationibus Pontificiis prætulerit. Unionem quidem in religione optandam, ſed concordiam in Republ. abſolute tenendam eſſe: vitio itaque verti Paulo non debere, quod Caroli V conſilia, Pontificum fervori non ſemper reſpondentia probaverit, nec diſſentientes in religione, ubi prudenter egerunt, promiſcue culpaverit, multo minus ſævitiam in illos exercitam laudaverit; id enim ei cum multis Catholicis ſcriptoribus commune eſſe, & eventu comprobari. Allegat Pauli IV Pontificis exemplum, qui bellum cum Hiſpanis habens, non dubitaverit, legionem ex Rhætis, utut Lutheranis, conſcribere, eamque ringentibus Cardinalibus, *tanquam cœlo demiſſam æſtimare. Pace cum Proteſtantibus inita ſervatam fuiſſe Galliam*: at intempeſtivo eos perſequendi zelo, noſtra memoria peſſundatam cum religionis Romano-Catholicæ detrimento Germaniam. Summum Pauli Sarpii crimen & hæreſin Romæ haberi, quod omnipotentiam & infallibilitatem Papæ, falſo ab adulatoribus jactatam, & majeſtati Chriſti impie æquiparatam impugnaverit: ſed factum id eſſe non ſine legitimo fundamento, & exemplo magnorum & nihilominus Catholicorum virorum. Quodſi aliquando acrius juſto ſcripſerit, tolerabilius peccaſſe, quam ſi vera reticuiſſet, aut adulandi ſtudio falſa commentus eſſet. Hæc autem vitia non immerito ab Aquilino in Pallavicinum retorqueri, nec ab hujus amicis negari poſſe. Improbat tamen in Paulo ſuo Interpres ipſe, dicteria & facetias frequentes & acerbas, autoris gravitate indignas; easque in verſione hac ſua ſublaturum ſe fuiſſe memorat, ni amici id diſſuaſiſſent; temperaſſe tamen

alicubi verba, retento sensu. Posthæc alium, sed levioris armaturæ Pauli adversarium *Scipionem Henricum*, Doctorem Siculum aggreditur,& reprimit; eaque occasione denuo fontes indicat & defendit,unde Paulus historiam Concilii hauserit; nec mirum esse dicit, multa non vulgaria innotuisse viro, cui secreta omnia Venetorum scrinia patuerint, & qui oratorum Reipubl. relationes inspexerit, nec non Cardinalium Venetorum, v. g. Contareni, ad Senatum patrium scripta. Quæ vero ad elevandam Pauli fidem maxima & plurima tela ex *archivo Vaticano* Pallavicinus depromit, eorum vis vehementer retunditur ab hoc Interprete, dum narrat, & ex dissentientium etiam confessione probat, duplicia mandata Roma Tridentum ad Legatos missa fuisse: una, quæ oratoribus Principum & Episcopis monstrari potuerint; altera,characteribus ex composito exarata,quibus interiora & seria consilia & jussa Pontificum explicarentur; facile vero judicari posse, quæ ex illis Pallavicinus allegaverit. Sic defenso, & ob navatam omnibus Principibus,in tradendis solidis adversus summam aulæ Pontificiæ ambitionem principiis, operam utilissimam laudibus mactato Sarpio, de versione sua quædam monet. Ait enim, istum stylo plane simplici & qui plebejus videretur, usum, qui tamen nec ob ambiguitatem ubique intelligi, nec ad literam verti posset; inde factum, ut qui primus librum in linguam Gallicam transtulit, *Diodatus*, homo Italus, utriusque tamen linguæ non satis peritus, sæpe erraverit. Se vero, ut verba non semper sequi potuerit, de sensu fideliter expresso spondere: indulsisse sibi tamen,ut defectus aliquot manifestos corrigeret, bis dicta contraheret, trajecta reponeret, periodos justo longiores distingueret, & planiores faceret; omisisse etiam quæ Paulus ex *decretis Latinis* Italice verterit, eaque ex authenticis inserere maluisse: Scholasticæ Theologiæ scabra & spinosa ut leniret,& quam perspicacissime exponeret, allaborasse, idque Pauli imitatione, cujus summum hac in re artificium lib. II, sicut lib. I consummati Politici specimen appareat.

Quod attinet *Notas* margini adscriptas,continent illæ loca S. Scripturæ,quæ Paulus omisso plerumque libro,unde desumta sunt, in opere suo, nec servatis semper textus verbis, allegavit; deinde explicationes quasdam sive supplementa historica, ex ipsius Pauli aliis libris, variisque seculi istius autoribus, Gallicarum etiam Legationum

actis

Digitized by Google

actis excerpta; ſententias denique politicas ex Tacito pleraſque opportunis locis applicatas. Ita, quantum nobis judicare licet, operam ſuam bene collocavit autor, nec lectoris ſpem fruſtraturus eſt; optandum imo foret, ut verſio hujus hiſtoriæ Latina, quæ dudum prodiit, eadem diligentia reviſa & illuſtrata, denuo ederetur. Paucula tamen in notis marginalibus, circa nomina hominum & locorum errata, quæ in rebus *Germanicis* potiſſimum animadvertimus, ſubjungere viſum eſt; ipſo autore, ut ſperamus, non invito: cum nec operi laudem detrahant, & ſecunda cura facile corrigi poſſint, *Lib. I, p. 45.* inter Principes quinque, qui decreto Spirenſi Anno 1529 contradixerunt, nominatur *Georgius Elector Brandenburgicus*; ſed is non fuit Elector, ſed *Marchionatus Onoldsbacenſis*, vulgo Anſpach/in *Franconia* dominus. *Lib. II. p. 112*, non bene corrigitur Paulus, quod *Michaelem* Suffraganeum ſive Chorepiſcopum Moguntinum, *Epiſcopum Sidonium* nominavit, & male ſubſtituitur pro *Sidone, Segnia* ſive *Signia Dalmatiæ.* Nam Michael iſte omnino *Sidonii Epiſcopi* titulum geſſit, eſtque idem qui *Lib. III. p. 269. Sidonius* nominatur, Epiſcopus poſtea Martisburgenſis. *p. 113. Hermanni Archiep. Colonienſis* familia non de *Wenden*, ſed de *Wida* cognominatur, & ſuperſunt ex ea *Comites de Wida*, in tractu Rhenano. *Lib. V. p. 421*, Rex Sueciæ, Paulo memoratus, *Ericus* vocabatur, non *Henricus*. Sunt autem nomina hæc diverſa. *Lib. VI, p. 491*, pro *Lauenmunz* poni forſitan debet *Lavantium*, quod Epiſcopali titulo, in *Archiepiſcopatu Salisburgenſi* inſignitur, ſicuti *Gurck* & *Chiemſee* in eadem diœceſi, *p. 531*, *Bruntrutum*, arx & oppidum Epiſcopi Baſileenſis, in *Sundgovia* ſeu *Pfirtenſi* diſtrictu ſitum eſt, non in Burgundiæ comitatu.

VETERUM ANALECTORUM TOMUS III, OPERA & ſtudio JOHANNIS MABILLON Presbyteri ac Monachi Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Lutetiæ, apud viduam Ludovici Billaine, 1682 in 8.

NOnus jam annus agitur, cum Autor hic erudito orbi notiſſimus, a gravi morbo convaleſcens, *Seculis* ſuis *Benedictinis* pauliſper ſepoſitis, animi gratia inſtructiſſimos ſchedarum ſuarum foruIos excuſſit, & e plurimis antiquitatis eccleſiaſticæ monumentis, quæ

partim ab amicis tranſmiſſa, partim propria induſtria ex optimis quibusque Francicarum & Belgicarum bibliothecarum codicibus deſcripta collegerat, breviora maxime ſelegit, quæ obſervationibus ſuis & diſquiſitionibus expolita ſub *Veterum Analectorum* nomine in lucem publicam emiſit. Cum enim has epiſtolarum, præfationum, ſupplementorum, fragmentorum, verſuum, & ſimiles minutias, aliis circa majora & potiora fercula occupatis, vel excidiſſe vel ſuperfuiſſe animadverteret, operæ ſe pretium facturum exiſtimavit, ſi neglectas ab aliis reliquias, quæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis non ingratæ & ſecundis ſaltem menſis non indignæ videri poſſent, poſteritati reſervaret. Cujus conſilii tantum abeſt ut ipſum pœnituerit, ut potius firmata paulatim valetudine, a minoribus ad ampliora variorum ſcriptorum rudera colligenda acceſſum faceret, & altero ſtatim anno ſecundum Analectorum tomum typis impreſſumj evulgaret. Quo abſoluto, etſi ad majus illud opus, quod illuſtrando ſuo Ordini impendit, rediit, & inſigne inſuper *de re diplomatica* volumen, quod Cal. Maji anni 1682 commendavimus, elucubravit, Analecta tamen ſua continuare minime ceſſavit, ſed duobus prioribus tomis tertium adjunxit, cujus apparatum hic paucis recenſemus.

Primum locum occupat *Leidradi* Lugdunenſis Epiſcopi de Sacramento baptiſmi ejusque ceremoniis libellus, & ejusdem Antiſtitis ad *Carolum M.* epiſtola, in qua ea, quæ de abrenunciatione Satanæ in baptiſmo fieri ſolita diſſeruerat, religioſiſſimo Imperatori id deſideranti plenius & uberius exponit. Sequuntur *acta Cenomanenſium Epiſcoporum*, cum variis Regum etiam primæ ſtirpis diplomatibus, & aliarum illuſtrium perſonarum inſtrumentis, ex archivo Cenomanenſis eccleſiæ deprompta, de quorum fide diſpiciant, quorum id magis quam noſtra intereſt. Certe quæ de *Juliano* primo Cenomanenſis eccleſiæ Præſule, qui a Clemente Petri diſcipulo in Gallias ablegatus, Domitiano, Nerva, & Trajano imperante floruiſſe perhibetur, referuntur; quod in Mariæ & Petri honorem eccleſiam exſtruxerit, reliquias Roma ſecum delatas in ſancto altari depoſuerit, cenſus olei & ceræ vicinis eccleſiis ad luminarium impenſas exegerit, aliaque his ſimilia, a primitivæ eccleſiæ ſimplicitate & illorum temporum ſtatu perquam ſunt aliena. Nec ipſe doctiſſimus Editor, quamvis hæc Cenomanenſium epiſcoporum geſta, inter pretioſa Francicæ hiſtoriæ cimelia

lia referat, diſſimulare audet, ſubinde, ac præſertim in temporum notis, cœcutire & monſtri aliquid alere autorem, qui primam actorum iſtorum partem conſignavit. In duas enim partes ea non incommode diſpeſci poſſe monet, quarum prior a Juliano ad Aldricum usque pertingit, *cujus* geſta Mabillonio in epitomen redigere, & carptim tantum delibare placuit, cum laborem integra edendi jam a *Stephano Baluzio* in tertia Miſcellaneorum parte præoccupatum agnoſceret, cujus ſingulari humanitate ſe in hac Cenomanenſium actorum editione non mediocriter adjutum, grata mente profitetur. Suppeditavit enim Vir ille celeberrimus & antiquitatum eccleſiaſticarum ſtudioſiſſimus, Mabillonio ſecum in hoc ſtudiorum genere amiciſſime certanti, ex Colbertina, cui præfectus eſt, bibliotheca codicem, Cenomanenſium Pontificum ſeriem & geſta velut in compendio complexum, & Andreæ du Cheſne de Francicis rebus præclare meriti manu propria deſcriptum, ex quo Mabillonius *Gregorii IV* ad epiſcopos Galliæ pro Aldrico literas excerpſit, & novem epiſcoporum Aldricum excipientium hiſtoriam aliaque nonnulla in ſuo, quem ex Pontificali Cenomanenſis Capituli regeſto deſcribi procuravit, codice deſiderata commode ſupplevit; quamvis de cætero Cheſnianum illud apographum Cenomanenſium Epiſcoporum hiſtoriam longe brevius & compendioſius deſcribat, quam acta hæc ex regeſto cathredralis eccleſiæ depromta, quibus etiam *Corvaiſerius* uſus eſt, cum vitas iſtorum *Præſulum* Gallico idiomate conſcripſit.

Acta hæc Cenomanenſium epiſcoporum, quæ maximam hujus tomi partem conſtituunt, excipit *Calendarium Eccleſiæ Carthaginenſis*, quod Mabillonius, dum Cluniacenſis monaſterii bibliothecam perluſtraſſet, ligneo vetuſti cujusdam codicis operculo a tineis & vermibus corroſo affixum reperit, & ob venerabilem antiquitatem dignum æſtimavit, quod a ſitu & interitu vindicaret, cum paucos admodum ſanctos & maxime populares memoret, nec quisquam in eorum numero Vandalica Hunnerici perſecutione poſterior occurrat; unde Carthaginenſem & univerſam Africanam Eccleſiam jam ante mille & ducentos annos hoc calendario uſam ſuſpicatur.

Subjiciuntur huic calendario *acta S. Criſpinæ martyris*, & *duo Romanorum Pontificum indiculi*, cum inter ſeſe, tum a vulgaribus eorum catalogis haud parum diſcrepantes, nec non *diptycha eccleſiæ Arelatenſis*

latensis a vulgatis indicibus itidem diversa: ut miscellaneas variorum autorum *Epistolas* & reliqua taceamus, quæ sigillatim referre brevitatis studium nobis haud permittit.

Poeticorum analectorum vicem supplent *Rhythmus satyricus* de temporibus Roberti Regis, & *Gudini* planctus rhythmicus de morte Constantii monachi Luxoviensis, de quo parum habet, quod moneat doctissimus editor, qui veteribus his analectis a se editis, præter eruditas observationes passim interseritas, *duas dissertationes historicas* adjecit. Una ad Galesium Abbatem *de anno mortis Dagoberti I, & Clodovei junioris* agit, & inscriptionem quandam e MSCto Fossatensis ecclesiæ codice octingentos annos superante sistit; ex qua omnem circa Dagoberti annos difficultatem, quæ *Valesium, Cointium, Chiffletium, Henschenium* aliosque eruditos viros hactenus exercuit, tolli posse arbitratur: cum præsertim hanc de Dagoberti epocha sententiam etiam altera *de Desiderii Cadurcensis ordinatione & obitu* dissertatio confirmet.

ANTONII BYNÆI de calceis Hebræorum Libri duo; accedit Somnium de laudibus critices.

Dordraci, apud viduam Caspari & Theod. Goris. 1682. in 12.

QUamvis calcei vilissimis quibusque rebus accenseri vulgo soleant, minime tamen abjecta aut infimæ sortis ingenia existimanda sunt, quæ in hoc se pulvere exercent. Nam ut Bayfium, Sigonium, Manutium, Turnebum, Lipsium, Casaubonum, Salmasium, Rubenium, Ferrarium, aliosque summos in re litteraria viros, qui vel obiter hanc eruditæ antiquitatis partem doctis observationibus expoliverunt, vel universam rem vestiariam omnemque corporis cultum uberioribus commentariis illustrarunt, taceamus; peculiaribus insuper libellis *calceum antiquum* eruditus in Gallia sutoris filius *Benedictus Balduinus*, & *caligam veterum*, quæ calceamenti genus fuit, *Julius Nigronus* delinearunt. Quorum tamen industria cum intra Romanorum Græcorumque mores & ritus investigandos ferme substiterit, *Hebræorum calceos* & pedum indumenta immundissimamque tutelam, ut Tertullianus appellat, singulari cura dignatus, commentario

peculiari

peculiari explicavit doctiſſimus *Antonius Byneus*; multa ſacrarum litterarum, quæ calceorum mentionem faciunt, loca nondum ſatis explicata illuſtrans, & ex Hebræorum aliarumque gentium antiquis monumentis, quicquid tenebris involverat longinqua ætas & remota longe hominum memoria, reddens clariſſimum.

Exorſus igitur ab *origine* calceorum, non ſatis exploratum eſſe docet, cui hoc inventum debeamus, etſi conſtet, mortales hac pedum tutela, quam optima magiſtra neceſſitas ſuppeditaverit, haud diu caruiſſe; cum omni animantium generi id a natura tributum ſit, ut ſe ſuumque corpus tueatur, nec ſacer Codex nos dubitare ſinat, jam Abrahami ævo calceorum uſum vulgarem ac cognitum fuiſſe. *Balduini* vero conjecturam, cui probabile viſum fuerat, Deum haud parca manu ſua hominibus bona elargiri ſolitum, cum primos noſtros parentes ad velandam verendorum turpitudinem pelliceis veſtivit tunicis, ſimul etiam calceos e pellibus conſutos, quorum ope teneras & molles pedum plantas a ſpinarum injuriis incolumes præſtarent, iisdem adaptaſſe, ingenioſam potius quam ſolidam arbitratur. Neque minus a *Samuelis Bocharti* ſententia diſcedit, qui in admirando opere, quod *Hierozoicon* inſcripſit, ἀνυποδησίαν inter veteres Hebræos non minus quam alias nonnullas gentes uſitatam fuiſſe ſtatuit: exempla enim nudipedum Hebræorum, a doctiſſimo viro allegata, non ad vulgarem illius gentis conſuetudinem, ſed ad religionem & alios quosdam peculiares ritus pertinere contendit, & plurimis ſacræ Scripturæ teſtimoniis evincit, jam ab antiquiſſimis temporibus calceatos Hebræos inceſſiſſe. Ex quo colligit, Chriſtum etiam, quem in veſtitu nihil ſingulare affectaſſe legimus, ex vulgari Judæorum more calceos geſtaſſe, nec diſcalceatum, quod quidam arbitrantur, in terris obambulaſſe.

Hinc ad calceorum variam *materiam*, quam præbuere diverſorum animantium pelles & corium, ſpartum item, lignum, papyrus, æs, & ſimilia; multiplicemque *formam*, diſtinctos colores, & diverſa genera ſolearum, ſandaliorum, phæcaſiorum, peronum, zancharum, compagorum, corrigiarum, τροχάδων, ἀρυαχίδων, ὑποδημάτων, &c. (quorum calceamentorum quasdam figuras æri inſculptas, ex ſtatuis vetuſtis nummisque depromptas repræſentat) progreſſus, id potiſſimum agit, ut multa ſacræ Scripturæ loca a plerisque

Inter-

Interpretibus non ſatis intellecta, ex Hebræorum & aliarum gentium antiquis monumentis luce aliqua perfundat, & hac philologiæ face admota clariora reddat: ut *Deut. IIX, 4. XXIX, 5.* p. 369. *XXXIII, 25.* p. 74. *Joſuæ IX. 5.* p. 31. *Ruth. IV. 7.* p. 325. *Nehemiæ IX, 21.* p 369. *Pſalm. LX, 10. CVIII, 9.* p 351. *Cantic. VII. 1.* p. 67. *Jeſaiæ III. 16, 18.* p. 187. 198. *V, 27.* p. 177. *LXV, 11.* p. 217. *Jerem. II. 23.* p. 166. *v. 25.* p. 298. *Ezech. XVI, 10.* p. 45. *Dan. III, 21.* p. 384. *Matth. X, 10.* p. 150. *Luc. II, 14.* p. 115.

Sed profanis etiam Scriptoribus, occaſione hujus argumenti ſe diffundentis, adjumentum aliquod affert, dum loca obſcura illuſtrat, depravata reſtituit, male ſe habentia notat: ſicut Dionis locum in lib. LXIII apte explicat p. 57; Curtium emendat p. 93; in Petronio quatuor loca reſtituit p. 199; Joſephum notat p. 327; Juſtini male tentatum a Salmaſio locum vindicat p. 399; ut recentiores Scriptores taceamus, paſſim vel reprehenſos vel laudatos.

Ad varios poſtea ritus, eorumque origines cauſſasque, & alia circa calceos ſingularia, quæ in ſacris voluminibus leguntur, accedit: diſquirens, cur Deus Iſraelitis, ut paſcha calceati comederent, injunxerit, Chriſto & Apoſtolis nihilominus diſcalceatis iſtud celebrantibus; unde religio manaverit, qua Judæi nefas duxerunt cum calceis loca ſacra intrare; quis ſacerdotum ſacra peragentium apud Hebræos habitus fuerit; quid in expiationis feſto, nec non in jejuniis ac votis, a Judæis obſervatum fuerit circa calceos, in luctu item & ingenti calamitate; quæ fuerit ratio legis, uxorem fratris ſine liberis defuncti ducere recuſantibus calceum extrahi jubentis; & num ad hanc legem de leviratu pertineat antiquiſſima illa calcei exuendi ceremonia, quæ in libro Ruth refertur, ceu Joſephus exiſtimat, an vero traditionis ſeu acquirendi dominii formulæ, quæ apud Judæos calceo fiebat, iſte actus tribuendus ſit; quid David innuat, cum ſe calceum ſuum ſuper Edom projecturum lætabundus gloriatur; an Hebræorum calcei in deſerto per quadraginta annos integri ſervati fuerint; qualia denique trium virorum veſtimenta, quæ in ardenti fornace illæſa permanſerunt? Quibus abunde & erudite pertractatis, tandem cur de *myſtico calceo*, quod Balduinus fecerat, agere & allegorias venari nolit, cauſſas breviter exponit: de univerſa autem *re veſtiaria Hebræorum*, jam a Braunio diffuſe & perquam erudite tradita, commentarium p. 30.

& 217

& 217 pollicetur, auctiorem etiam hujus *de calceis* eruditi commentarii editionem ſub finem præfationis promittit: quorum præſtantiſſimorum operum non minori deſiderio, usquedum prodeant, ac amore, ubi prodierint, tenebimur.

Ad calcem libelli adjectum eſt ſatyræ in modum lepide concinnatum, & novem quaſi abhinc annis primum proditum *Somnium de laudibus critices:* quo politiorum litterarum & veræ ac ſolidæ eruditionis ſtudia adverſus obtrectatores defenduntur, prava autem & ſordida ſtudiorum ratio, & inculta Scholaſticorum barbaries feſtive exagitatur. Mercurium enim in ſomno ſibi narraſſe fingit, Apollinem ſpeculum ſuum, quo quidquid uſpiam contigiſſet aut extitiſſet in litteris, uno obtutu cerneretur, Criticis dediſſe; quod ſatis æque Theologis, Jureconſultis & Medicis ferentibus, ſoli ægerrime tulerint Philoſophi. Se vero ad cœlum interea, Mercurio monſtrante viam, delatum, auguſtiſſimum templum, in eoque Philoſophorum ac Criticorum turbam conſpexiſſe, acriter concertantem, utri parti doctrinæ ſpeculum Apollineum cedere debeat: ad tribunal Divæ Sophiæ e Philoſophis cauſſam dicente quodam *Febriculano*; Criticorum cauſſam orante *Joſepho Scaligero*; cui Dea aſſurgens, ſpeculum, quod Apollo commiſerat Criticis, iis relinquendum eſſe pronunciarit. Hunc feſtivum ingenii luſum, ſecundis curis recognitum, & viro celeberrimo, quem doctorem ſuum paſſim prædicat, *Ioanni Georgio Grævio* dicatum, Auctor denuo edidit. Scribendi autem hoc genus adverſus iniquum Cenſorem, qui *vigilantem ſomniare perinde haberi ac ſuaviter delirare* dixerat, exemplo Lipſii, Nannii, Cunæi, & Ferrarii tuetur: quorum ſomnia obſcuris aliorum præſtent vigiliis.

THE ANATOMY OF PLANTS, VVith an Idea of a Philoſophical Hiſtory of Plants, and ſeverall other Lectures. By Nehemiah Grew M.D. Fellovv of the Royal Society, and of the Colledge of Phyſicians.

Digitized by Google

hoc est:

Anatomia Plantarum, cum Idea Philosophicæ Historiæ de Plantis, & variis Lectionibus aliis. Autore Nehemia Grew M. D. Regiæ Societatis, & Collegii Physicorum Socio.

Londini, 1682, in fol.

Quæ fuerit Clarissimo Autori occasio scribendi, & quo successu ipse susceptum opus perfecerit, de eo in præfatione, quam Libri principium offert, prolixe legi potest. Hanc enim apparet inprimis scriptam esse, ut pateat, numquid *Malpighio*, cujus in eodem argumento occupata fuit industria, ab Autore debeatur; & idcirco succincta quædam historia totius Operis texitur, ut constet, quo ordine illius partes conscriptæ sint, & quo postea in lucem venerint. Nimirum *Anatomia Plantarum* ante hos duodecim annos, & amplius, primum prodiit, ac eodem die Regiæ Societati oblata fuit, quo *Malpighius* libros suos, nondum adhuc typis excusos, sed manuscriptos de eadem materia, Londinum miserat. *Idea* vero *Historiæ Plantarum*, & *Anatomia Radicum ac Truncorum*, *cum duabus lectionibus de mixtione*, aliquot annis post lucem adspexerunt. Et hæ quidem partes omnes suos nactæ sunt interpretes, cum Gallos tum Germanos, de quibus tamen non æque benignum Autor judicium tulit. Ultimo *Pars quarta Anatomiæ Vegetabilium* conscripta fuit, annis videlicet 76 & 77, quæ nunc prioribus opusculis eodem volumine juncta invenitur. De ea dum referre hic paramus, rogandus est Lector, ne inique ferat, si nos capitum sectiones ac numeros, eadem methodo, qua Autor usus est, sequi viderit. Divisa vero iterum est in *partes quatuor*, quarum *prima* de *Foliis* inscribitur, & sex omnino capitibus de protectione & plicatura foliorum nascentium, quibus, naturæ beneficio, a frigoris & Solis injuriis defenduntur, agit; de iis item, quæ in externa superficie foliorum apparent; de ipsorum figura, ac fibrarum extrinseca dispositione; de partibus & textura; de duratione ac tempore generationis; & denique de modo, quo folia in plantis atque arboribus producuntur. Et quia Autor de his fere omnibus superius *L. 1. Anat. Plant. c. 4.* quædam dixit, ideo hic plerumque alias tantum observationes

nes prioribus addit, nonnulla tamen plane nova, quæ vel antea non animadverterat, vel ſaltem non memoraverat, affert. Ita cum plicaturæ & corrugationis foliorum octo quondam ſpecies numeraſſet, eas nunc quatuor aliis, quas ex illo tempore repetitis experimentis deprehendit, auget. Dum circa ea occupatur, quæ in foliorum externa ſuperficie apparent, præter globulos, ſpinas, pilos, & ſtimulos, quorum omnium antea mentionem fecerat, nunc etiam maculas nominat, quas teſtatur ſe inveniſſe non tantum in *hyperico*, ubi & ab aliis obſervatæ ſunt, ſed in *ruta* quoque, *hedera terreſtri*, *anagallide*, & pluribus præterea plantis. Scribit autem eas naſci ab exſiccatione globulorum, quod vel inde conſtet, quia ipſæ in foliis adultis, globuli autem in modo natis extantiores ſunt. Alius generis maculas adventitias vocat, quales v. g. in *ſoncho* reperiuntur, earumque originem refert ad inſectum aliquod, ſextam pollicis partem longum, coloris cineracei, quod intra cutem & pulpam folii repat, nec niſi extremam ſuperficiem, linea quaſi recta ſine ambagibus tortuoſis procedens, depaſcatur. Plerarumque plantarum folia regularem obtinere figuram, (exceptis *ſerpentariæ majoris*, *pæoniæ* & *ammios* foliis,) ſtatuit, quæ tum qua longitudinem, tum qua circumferentiam ſatis accurate definiri posſit. Quod longitudinem attinet, ea utplurimum ſecundum progresſionem arithmeticam, ſervata æquali differentia, nonnunquam proportione dupla, vel etiam majori imminuitur, ſive unius ſcapi plura folia, ſive unius folii plures lobi invicem comparentur. Reſpectu circuitus agnoſcit Autor, plerorumque foliorum figuras compoſitas eſſe; obſervat tamen & ipſas menſurari poſſe circulis, vel ſingulas ſingulis, vel ſingulas duobus aut pluribus, & quidem pro diametris iſtorum circulorum principalis menſuræ loco ſtatui debere folii longitudinem, ſeu fibram ejus principalem. Hæc præcepta ipſe poſtmodum variorum exemplorum inductione confirmat, ac eleganter additis figuris, *pampinorum*, *foliorum malvæ*, *fragariæ*, *althææ &c.* circumferentiam metitur. De fibrarum poſitu, qualis nudo oculo obſervari poteſt, monet, in quibusdam foliis fibras collaterales majores cum maxima, quæ medium obtinere ſolet, rectos facere angulos, ut apparet in *acere*, ac *chelidonio majori*, *chondrilla*, *aliisque plantis generis intubacei*: fibras vero omnes, quæ præ aliis conſpicuæ ſunt, ſemper ſe ad acutos angulos ſecare, quemcunque tandem ſitum ad mediam, vel, ſi ea abſit, ad lon-

longitudinem folii comparatæ, obtineant. In partium folii enumeratione primum ſe offert cutis, quæ ſi vitro oculi juventur, organicis partibus, inſtar cutis animantium, conſtare, & eas quidem regulariter mixtas habere deprehenditur. Obſervavit Autor, eam orificiis in pleriſque plantis perviam eſſe, tum ut aër admitti, tum ut avolare ſuccus ſuperfluus poſſit; iſta tamen orificia magnitudine, & numero, & forma plurimum differre, ut plane alia ſint, quæ *pini* folium exhibet, quam quæ in *lilio* aut *amarantho* occurrunt. Cuti ſuccedit pulpa, quam parenchyma Autor vocat. Ea ex tenuibus fibris, figuram cylindricam obtinentibus, & in veſiculas coeuntibus conſiſtit. Tertio fibræ ſeu funiculi, quos oculo cernimus, ex duorum generum vaſis componuntur, quorum unum ſucco, alterum aëri ferendo inſervit. Apparent autem viſui aëria illa vaſa, ſive arteriæ plantarum, ſi quis folia leviter frangat; fiet enim, ut ad utrumque extremum ſubſtantia quædam lanea, inſtar telæ araneæ, dependeat, quæ & videri & palpari poterit. Quo tempore folia primum naſcantur, jucunda eſt præ reliquis ſpeculatio. In plantis, quæ duplicis formæ folia protrudunt, quales ſunt *dulcamarum, cardamine, valeriana, campanula vulgaris & aliæ*, ea, quæ inferius ſunt, in ipſo ſemine exiſtere Autor putat, reliqua vero tum naſci, quum ſemen terræ commiſſum radices egit, & ſuccum e ſolo alimentitium attraxit: ſed in arboribus & truncis perennibus folia, quæ ſingulis annis proveniunt, actu ſemper in germine eſſe, & quidem illo plerumque autumno ibi naſci affirmat, qui verum tempus, quo arbores frondent, antecedit. Cæterum cur quædam plantæ folia ſemper virentia habeant, cur item aliæ in hieme etiam creſcant & augeantur, id e cauſis ſuis accurate deducit. Tandem ubi de principiis foliorum agendum eſt, ſalia cumprimis nominat, & ea quidem quatuor generum, *marina* videlicet, *nitroſa, acida, & alcalia*: hæc inſtar oſſium ſe habere ſcribit, quæ reliquis principiis, quaſi carne, veſtiantur. Deducit hic cum cura & ſtudio ex iſtorum ſalium multiplici figura, quæ folii pars ex quovis potiſſimum conſtituatur.

Hactenus *ſectio prima*, in qua recenſenda prolixiores fuimus; reliquas ſtrictim perſequi licebit, quoniam ex dictis, quantum Autor curæ in re nova & haud vulgari adhibuerit, ſatis intelligi poteſt.

Sectio igitur *ſecunda* de *floribus* eſt, quos tribus partibus conſtare olim in *Anatomia Plantarum* c. 5. obſervavit. Nunc rariora quædam adjiciunt.

Digitized by Google

adjiciuntur, ac initio de ſepimento florum inprimis notatur, quam natura ſit ſtudioſa juſtarum proportionum obſervatrix: quippe quæ foliis floris, foliorum ſepimenti numerum vel æqualem, vel duplum conſtanter ſubjiciat. De foliatione floris ſequuntur poſtmodum, quæcunque vel ad plicaturam, vel ad numerum foliorum, quæ in flore ſunt, vel ad partes florem conſtituentes, vel denique ad uſum & figuram floris pertinent, nec antea fuerunt plene pertractata. De coma etiam duplici florum quædam afferuntur, ubi monet Autor, non eſſe omnes floris partes a ſe nominatas in quibusvis plantis quærendas, ſed deficere modo has, modo illas. Deinde generationem plantarum, cum generatione animalium confert, & primum quidem ſexus differentiam in plantis dari negat, ſed unamquamque ἀῤῥενόθηλυν eſſe ſtatuit, ac eas partes conjunctas habere, quæ alias ſexum unum ab altero diſtinguunt; mox quomodo plantæ quaſi concipiant ac fœtum alant, ediſſerit, donec is, ubi ad maturitatem venerit, prodeat, & nova fœcunditate plantam aliam progeneret. Appendicis loco ſubjicit methodum, qua quis poſſit quaſcunque plantas ex foliis & floribus expedite, non adhibito vitro, nec facta inciſione aut reſolutione partium, cognoſcere, ac pronunciare, ad quod unaquæque genus referenda ſit, ut poſtmodum apud Rei Herbariæ Scriptores eo facilius ac promtius inveniatur.

Sectio tertia de *Fructibus* agit, quos Autor ad quattuor genera refert, ita ut omnes omnino ſub pomis, piris, prunis, & uvis complectatur. Deinde capſulam ſeminum cum fructu confert, ob ſimilitudinem, quam hic cum illa habet. In eo tamen iſta duo a ſe invicem differre fatetur, quod fructus, inſtar uteri carnoſi, quo ſemen ad maturitatem propius accedit, hoc humidior fiat ac ſucculentior, ſed capſula, quaſi membranaceus quidam uterus, tanto durior & ſiccior redditur, quanto majora incrementa ſemen capit. Ultimo partium, e quibus quemvis fructum componi certum eſt, quæque communiter tres, rarius plures eſſe conſtat, uſum, quem ipſæ cum ſemini tum fructui præſtant, exponit. Atque hic vaſorum conformationem, ſuccique ſulphurei & oleoſi per ligneas, quas vocat, fibras advecti, diverſas qualitates uberius declarat.

Sectio quarta Semina pertractat, & eorum ante omnia varias figuras colligit, quarum diverſitas juxta Autorem oritur partim a ſitu,

quem in utero obtinere debent, partim a vaſorum fibrarumque diſtributione, partim denique a ſalinis principiis, quæ plantas componunt. Numerus ſeminum non peræque magnus in omnibus plantis eſt. Eas enim, quæ facilius intereunt, ac deſtruuntur, aut in uſum animalium cedunt, natura copioſiori ſemine inſtruxit. Sic inprimis *papaveris albi* ac *typhæ majoris* monſtroſam ſeminum multitudinem Autor annotavit. Membranas ſeminum quod attinet, quæ plerumque tres, raro quatuor ſunt, notatu dignum eſt, quod in illis ſeminibus, quæ tenuioribus membranis involvuntur, cutis aliqua, fœtum proxime ambiens, inſtar vitelli ſe habeat, ac eidem primi optimique alimenti loco ſit, uti vitellus ovi pullo excludendo. Semen ſeu fœtum tribus conſtare partibus, *duobus lobis* (rarius unico) *radicula & germine*; harum autem ſingulas iterum e cuticula, parenchymate, & vaſis ramificantibus componi Autor oſtendit, ac quo ordine, in ſeminis generatione, producantur, ſub hujus partis finem, in exemplo ſeminis *mali Armeniaci* ad oculum ſubjectis figuris æneis demonſtrat. Natura nimirum ante omnia de utero ſolicita eſt, qui membranas ſeminis calidas ac ſucculentas conſervet, fœtumque ipſum protegat, donec juſto ac definito tempore terræ, ut vegetet, committatur. Quapropter initio capſulam ſeminum facit, deinde membranas ordine producit, ita ut, quæ fœtum proxime ambit, ultimo fiat. In hujus parte acuminata, ac baſi oppoſita, ligneæ fibræ tenerrimæ coeuntes nodum aliquem parvum efficiunt, qui ubi paulatim crevit, dividi in duos lobos incipit, quorum baſis contracta in radiculam ſeu eam partem, quæ radices poſtea emittit, abit, ac denique intra medios eosdem lobos nodus alius ſive germen prodit, quod, ubi ſemen terræ commiſſum eſt, caulem, folia, ac flores cujusvis plantæ producit.

Adjecit Autor in hac nova & aucta operum ſuorum editione, *duabus lectionibus*, ut vocantur, *de mixturis*, quarum priorem ingenioſiſſimi Germanicarum Ephemeridum Collectores, una cum Anatomiæ vegetabilium tribus partibus, & Idea quoque Hiſtoriæ Philoſophicæ de Plantis, Latina lingua donatam publici juris fecerunt, *quinque alias*, quæ de rebus, ab argumento Libri haud alienis, agunt. *Prima* harum, quæ nunc reliquis addita, in ordine *tertia* eſt, tractat *de varia proportione, qua ſal lixivioſum plantis ineſt*. Initio tradit, quantum ſalis lixivioſi plantæ integræ diverſi generis, ſi calcinentur, conce-

concedant? deinde ejusdem plantæ partes inter ſe confert, ac inquirit, quænam ex illis plus dicti ſalis præbeat? Proceditur autem per quæſtiones, & prima omnium ita habet: *Utrum arbores, an vero herbæ ac frutices, ſi in æquali quantitate aſſumuntur, & cæteris paribus, majorem ſalis lixivioſi partem relinquant?* cujus reſponſio pro herbis ac fruticibus facit, & experimenta, accepto *cortice fraxini* ex una, & *libanotide* ex altera parte, inſtituta enarrat. *Lectio quarta de ſale eſſentiali & marino plantarum* eſt, ac aliud experimentum diverſis anni temporibus bis captum recenſet, quo e ſale lixivioſo *filicis*, in aqua ſoluto ac libero aëri per aliquot menſes expoſito, duplex ſal prodiit, eſſentiale, quod Autor ita vocavit, quoniam nova ſalis ſpecies ab omnibus aliis differens viſa eſt, & marinum. Utriusque cryſtallos, qua colorem, ſaporem, & figuram cum cura deſcribit. *Lectio quinta de plantarum coloribus* agit, & tria evolvit. Primo, quem colorem plantæ in ſtatu ſuo naturali obtineant in quibuscunque partibus? Deinde, quem colorem producant, ubi facta eſt infuſio aut coctio? Tertio denique, quis color emergat e mixtura variarum infuſionum, vel ſecum invicem, vel cum alterius generis liquoribus? Monet vero Autor ante experimentorum ſuorum declarationem, ea non adverſari ſententiæ de coloribus, quam hodie viri quique doctiſſimi fovent: ſe enim de partibus materialibus tantum agere, quæ in plantis tanquam in *ſubjectis*, ad productionem colorum requirantur. *Lectio ſexta* inſcribitur *de varietate ac cauſis ſaporum, maxime in plantis.* Hic Autor primo ſapores generatim conſiderat, & quidem triplici modo: 1. ratione perceptionis ſeu ſenſationis, ubi calculum ſaporum ſimplicium & compoſitorum init, qui ſi per gradus, quos in ipſis ſat diſtincte percipere poſſumus, multiplicentur, ad mille & octingentos aſcendunt: 2. ratione durationis ac termini, quo ſenſu ſaporum alii aliis longius durant, & diutius hærent: 3. ratione ſubjecti ſeu partis guſtantis, cujus reſpectu ſapor eſt aut fixus, aut diffuſivus, aut expanſivus: fixus iterum vel labia ſola, vel linguam, vel palatum afficit; de quibus univerſis ſub finem hujus lectionis, *duæ* inveniuntur *tabulæ*, quæ ſaporum varietates Latine exprimunt. Dehinc cauſas ſaporum Autor inquirit, & ſpeciatim quidem illorum tantum, qui plantis inſunt. Earum vero quinque nominat: 1. lectum ſeu locum unde plantæ proveniunt, & ubi naſcuntur; 2. aërem

cui

Digitized by Google

cui expoſitæ ſunt, & in quo incrementa ſumunt; 3. partes, e quibus conſtant; 4. varias fermentationes, quas illarum ſucci ſubeunt; 5. organa, quibus ſapores percipiuntur. Ex his inprimis tertiam & quintam, tanquam cauſas immediatas conſiderari debere monet, utpote a quibus ſaporum differentiæ eſſentiales dependeant. Atque per has ſaporum differentias notat obiter Autor, ſpecificam medicamentorum virtutem, toties negatam, ſi non demonſtrari, ſaltem probabilem reddi: conſentaneum enim eſſe, medicamentum corporis partem unam, altera intacta, afficere, cum id in ore ac partibus contiguis a ſaporibus fieri appareat. Appendicis loco quædam de odoribus ſubjiciuntur, qui uti organa parum ab organis ſaporum diſtantia, ita & cauſas fere easdem habent. Relinquit tamen hanc partem Autor ab aliis perficiendam. *Lectionis ultimæ* titulus eſt *de ſolutione ſalium in aqua.* Hujus pars prior confirmat illam ſententiam, quæ aſſerit, poſſe in aqua quæ ad ſatietatem ſalium ſpeciem unam imbibit, alius ſpeciei ſal ſine ignis ope ſola agitatione ſolvi, quod ipſum *ſuperimprægnationem* Autor appellat, & inde concluſionis loco deducit, atomos ipſas ſalium, vel ſaltem illas particulas, in quas ultimo in aqua ſal quodvis ſolvitur, diverſas obtinere figuras, atque hinc fieri, ut unum genus ſalium non poſſit perfecte omnes aquæ poros implere, ſed aliquas ab alio genere implendas relinquat. Pars poſterior affirmat, per ſolutionem ſalium in aqua ſpatium aliquod acquiri; & id quidem modo majus, modo minus. Quantum autem præciſe acquiratur, id ex ſalium ſingulorum natura ac figura partium, ipſorum etiam ſpatiolorum in aqua, capacitate Autor inveſtigat. Ex his omnibus, quæ de ſalium inſinuatione in aquam, & de augmento, quod hinc aqua recipit, dicta ſunt, non tantum ſpecifica quorumvis ſalium gravitas, ſed & vera cauſa facile, Autoris ductu, cognoſci poteſt, cur Mercurius in barometro adſcendat ac rurſum delabatur? Nam quod ad hunc motum attinet, non dependere illum a ſolo aeris incumbentis pondere, clare hinc patet, quoniam Mercurius, poſtquam colligentibus ſe vaporibus, in tubo adſcendit, non tum demum delabitur, quum pluvia in terram decidit, ſed manente omnino eadem aeris, vaporibus imprægnati, quantitate, pluviam pluribus horis, nonnunquam diebus, ante præſagit. Genuina igitur ejus ratio ex majori minorive aeris preſſura petenda eſt. Scilicet quamdiu in aere ſalium particulæ integræ ac nondum ſolutæ voli-

volitant, majus ipſæ ſpatium obtinent, & ita efficiunt, ut aer vehementius corpora ſibi ſubjecta premat; quamprimum vero illa ſalia in aere volitantia ſolvuntur, & aqueis partibus includuntur, tum, manente eodem pondere aeris, ſpatium ac inde pendens preſſura minuitur. Hinc etiam conſtat, quare ſpirantibus ventis frigidis Mercurius altius tollatur, quam cum calidi aerem perflant. Iſti enim, quoniam ſicci ſunt, *nitroſum* ſal, cujus quamplurimum ſecum vehunt, diutius integrum ac inſolutum conſervant, quare aeris preſſura, ut dictum fuit, adaugetur.

Den lilla Wattuproſtwaren / hwarigenom de rätta ock Hälſoſamma Suurbrunnar ifrån de falſka eller gemene Jernwatn ſom här ock där i Wårt K. Fädernesland finnas / igenkännes och åtſkillies. Dem ſom til ſådant luſt hafwa / ſerdeles Medicinæ Studioſis til effterrättelſe i l. uſet bracht aff Urban Hiärne D.

Stockholm 1683. in 8.

hoc eſt

Brevis Aquarum explorator, genuinas & ſalutares *Acidulas* a ſpuriis & vulgaribus Aquis Martialibus, hinc inde in Suecia obſervatis, diſcernens &c. editus ab Urbano Hiärna D.

Holmiæ 1683. in 8.

NUm unquam hactenus Sueo-Gothia irriguas biberit Acidulas, ex Annalibus ejus eruere haud licet; quamvis olim ad Regni hujus fontes quosdam ſotirios & velut benedictos, certis diebus feſtis, magna ægrorum caterva ſuperſtitioſe ſatis confluxerit. Imo licet quidam temporum horum curioſiores in variis Sueciæ provinciis, metallicis venis quam refertisſimis, Acidulas magno labore inveſtigare conati fuerint, nullas tamen hucusque invenire valuerunt, donec Senator quidam regius, *Guſtavus Soop*, in prædio quodam ſuo fontem indolis non vulgaris anno 1678 reperit, ac ad eundem luſtrandum

L

ſtrandum ac explorandum, *D. Urbanum Hiärna, Medicum Regiæ Suec Majeſtatis & Societatis Regiæ Anglicæ Socium*, accerſivit, qui ut aquarum ejusmodi dignoſcendarum maxime peritus eſt, ſic fontem illum Medevienſem (a loco ita dictum) genuinarum Acidularum nomen mereri, animadvertit. Libellum is proin ſtatim emiſit invitatorium, ut quam de efficacia hujus aquæ mineralis conceperat ſpem, reipſa, Deo benedicente, experiretur confirmatam. Succeſſitque inſtitutum adeo, ut eorum qui proxima æſtate copioſe huc confugerant, ægrotorum magna pars domum ſana redierit. Quare ut deinceps ſingulis, ab aquis illis medelam expectantibus proſpiceretur, eundem libellum paulo auctiorem denuo edidit, quo de diæta aliisque curationis tempore obſervandis erudirentur. Accidit interim, ut divulgata Medevienſis hujus Fontis virtute, de aliis ſimilibusve in Suecia aquis mineralibus nonnulli cogitarent: quibus ut ſatisfaceret *Hiarna*, Medevienſium vero præſtantiam vindicaret, illis viſitatis & luſtratis pene ſingulis, præſentem elapſo anno in publicum prodire juſſit Tractatum.

In cujus præfatione ad Lectorem, poſtquam cauſas ſcribendi recenſuit, primam Acidulas in Suecia inveniendi exponit occaſionem, ſibique easdem juſſu Excellentiſſimi Dn. Soopii viſitanti, inventionis hujus primæ gloriam vindicat Autor. Hinc neceſſaria & vera fontium mineralium exhibet criteria, ſimulque duas illorum concipit ſpecies, Acidulas nempe proprie dictas, & fontes, variis in locis ſubito erumpentes, poſtmodum vero ceſſantes, Heyl Brunnen communiter dictos. Miſſis poſterioribus, priorum tres format claſſes, *Acidorum*, *Vinoſorum*, & *Acido occulto gaudentium:* omnes vero minera quadam peculiari, utplurimum Martiali, impraegnari, ſimul tamen ſingulos aliquid quoque ſulphuris in ſinu ſuo geſtare autumat, ſive hoc per Gas ſuum acidum manifeſtum exiſtat, velut in fontib9 Spadanis, Svvalbacenſibus, Egranis, Andernacenſibus, & Pirmontenſibus, ſive abſconditum hoc lateat, vel ab occulto alcali ſolutum, vel adhuc in primo ſuo ente ſeminali exiſtens. Quo autem a laudatis fontibus vulgares aquæ minerales ſecernantur, ſequentes illorum ſuppediat notas Sc. (1) adſit copia halituum ſpirituoſorum, e ſubtiliſſimo, ſive occulto, ſive manifeſto ſulphure oriundorum, quos, Gas alias dictos, acidulis eſſentialem vitam præbere ait, ita ut ſine illis aquæ mortuæ & parvi uſus cenſendæ veniant, qualis der Wildbrunn prope Egram, qui utut

ebulliat,

ebulliat, inefficax tamen exiſtat; (2) ſit Aqua limpida nullisque heterogeneis ſcatens: (3) ultra annum ac diutius in ipſo fonte aut vaſis aſſervata non corrumpatur: (4.) nulla ob inexiſtentiam nominati acidi in ea ſubſiſtere queant animalia, v. g. ranæ, hirudines &c. quin ſtatim emoriantur: (5) putridas peregrinasque minime admittat aquas: (6) ex imo terræ prodeat vena: (7) fundum vaſis, quo excipitur, poſt aliquam ſpiritus ſulphurei exhalationem, non niſi ſubtilis & fuſca ochra petat, cum largius ſedimentum fixioris ſubſtantiæ abundantiam denotet, & clauſis bene ante evaporationem vaſis, ſedimentum nullum appareat: (8) in ſummis rupibus, longe a fæce & inter ſaxa ſabulamque juxta *Helmontium*, ſecundum *Paracelſum* weit von Erden/ Letten und Schleim prodeant: (9) a bibentibus absque moleſtia magna aquæ queat aſſumi quantitas: (10) procul ſint a littoribus maris: (11) in cavernis terræ immaturo imprægnentur metallo, immunes tamen ab halitibus Mercurialibus, item (12) a corroſivis arſenicalibusque mineris & metallis, e. g. Ærugine, Argento, Antimonio, Vitriolo &c. (13) morbos profligent, aliis medicamentis minus cedentes. Atque has quidem proprietates omnibus acidulis communes eſſe ait, excellentiores vero, (14) ſaporem & efficaciam, ob varium minerarum concurſum, non raro mutare, v. g. Hornhuſanas, Egranas, Dunſtanicenſes &c: (15) ad Solis ortum erumpere: (16) eadem ſemper affluere copia, velut Svvalbacenſes: (17) e ſummis ſalire collibus, ac velut longiore *deſtillatione* magis purificari ac volatiliſari. Hinc particularibus miſſis probationibus, an videlicet ferrum, cuprum &c. inſit, (quas peculiari reſervat ſcripto) incertas ac ſuſpectas acidularum indagationes perſtringit. Nec enim præſtantiam earum explorari poſſe cenſet evaporatione, qua fixior tantum acidularum pars compareat; nec gallarum infuſione, cum per eam nigreſcant aquæ Martiales quævis, item aqua ſalſa ollæ ferreæ aliquandiu infuſa; nec deſint optimæ acidulæ ex infuſione gallarum haud nigreſcentes, v. g. Hornhuſanæ, Bortfeldenſes &c. non carnis incoctæ tinctura, cum caro aquæ cuilibet Martiali incocta tingatur: non ſapore linguam pungente, cum is optimis acidulis deſit, v. g. Paderbornenſibus, quæ blandiſſimæ; econtra acidiſſimus obſervetur fons Egranus, quem Wild Brunn appellant, ideo etiam dyſenteriam movens; & in Gallia & Anglia pariter ſeligantur blandiores. Nec porro quæ longius

ſe transferri patiuntur, ſemper optimas eſſe putat, cum Aquæ Charterienſes ob ſummam ſuam volatilitatem, quando Lutetiam Pariſiorum portantur, ſaporem perdant, item Svvalbacenſes facile alterentur. Multo minus Gallorum nonnullorum ex Sale, poſt evaporationem elixiviato, judicium alicujus momenti videri, ob deperditas particulas volatiles, præprimis cum utplurimum tantillum Salis remaneat, a ſale communi ad Nitrum inclinantis. Pariter ponderationem aquarum, ob volatiles ſpiritus gravitate deſtitutos, ineptam cenſet: intinctum vero linteum aquas quidem matura minera ſaturatas, non acidulas demonſtrare. *Thurnheiſſeri* vero phantaſias ineptas, & *Petri Guvrii Arcanum Acidularum* multa de nigro Martis Mercurio, Sale Martis aluminoſo figmenta continere aſſerit. Tandem nec, quæ ebullitione prodeant, aquas ſemper ſalutiferas exiſtere, cum ebullitio, ut talis, acidum ſulphuris in ſal terreum cum metallo impingens, minime vero vividos arguat ſpiritus, ſicut Egrenſis Wild Brunn maxime efferveſcens, nullius tamen efficaciæ exiſtat. Concludit proin, Acidum illud occultum & ſalutiferum aliis & genuinis magis dignoſci ſignis; quæ tamen peculiari reſervat tractatui. Dum autem varios luſtrat Sueciæ fontes, Medevienſem, utpote cui notæ ſuperius recenſitæ competant, quique præprimis morbos graviſſimos, ſc. apoplexiam, paralyſin, maniam &c. ſanaverit, vimque expectorandi habeat, reliquos, v. g. in Skårmarboo/ Philipſtadt/ Brahel und/ Oßmoo Sochn/ Wayſtad/ Blyſtad/ Weſterhaninge &c. antecellere, comprobat, vel crudis ſcatentes metallis, vel paucioribus tantum ægritudinibus appropriatos.

LA CHYMIE NATURELLE, OU L' EXPLICATION Chymique & Mechanique de la Nourriture de l' Animal, par Daniel Duncan Docteur en Medecine de la Facultè de Montpelier.

hoc eſt

Chymia Naturalis, ſive Explicatio Chymica & Mechanica Nutritionis Animalis. Autore Daniele Duncan Medic. Doctore Facultatis Monſpelienſis, Pariſiis 1682. in 8.

Abes

Digitized by Google

AB eo, quo Animale corpus Machinæ Hydraulico-Pneumaticæ ad inſtar tempore conſiderari cœptum eſt, Philoſophorum & Medicorum ingenioſiſſimi artificioſiſſimam partium ejus ſolidarum ſtructuram, indeque reſultantes variorum fluidorum interventu actiones diverſiſſimas, perſpicue enodaturi, Mechanicam pariter atque Chymiam in uſum adhibuerunt feliciſſime: illius quidem ſpeciatim adminiculo modum evidentiorem, quo ſolidæ corporis animalis partes operantur; hujus autem miniſterio rationem mutationum, quas humores varie ibi ſubeunt, manifeſtiorem inſtruentes. E multis aliis ſtrenue hoc præſtitit Dn. Duncan, natione Gallus, in illo æque Scripto, quod Anno 1678 nativo idiomate conſcriptum, *Explicationem novam & Mechanicam Actionum Animalium* inſcripſit, ac in hoc, quod ante biennium editum, Tibi nunc B. L. exhibemus. Ab omnibus, univerſas naturæ operationes ad normam Chymiæ Divinæ ſolere peragi, quam Artificialis non niſi imbecilli imitetur modo, ut Autor conſenſum reportet, inſtantiæ loco ipſa noſtra aliorumque animalium corpora prodire jubet, in quibus Analogiam, quæ Naturali Chymiæ cum Artificiali, operationum, vaſorum, ignis, foci, ſpiraculorum &c. ratione obſervetur intercedere, non brevibus ſaltem in Introductione ſubinnuit, ſed pluribus quoque in ipſa Nutritionis Animalis Explicatione, duabus partibus comprehenſa, proſequitur. In prima ſiquidem, Nutritionis declarata neceſſitate, cauſisque cur viventia quædam diu ſatis absque alimentorum uſu ſubſiſtere poſſint, aſſignatis, Alimentorum edocet præparationes, quomodo hæc extra corpus, vel a natura ipſa, fructuum quorundam & plantarum exemplo, vel ab arte, puta piſtoria, culinaria, item parandi vinum, cereviſiam & pomaceum &c. chymica plane via inſtituantur. Eadem vero Alimenta quomodo porro intra corpus ſecundum Chymicas leges in maſticatione, chylificatione, ſanguificatione, ſanguinis itidem a ſuperfluis aquoſis & ſulphureis particulis, ſub Urinæ & Bilis ſchemate, depuratione præparentur, antequam Nutritionis apta materia deveniant, in parte demum ſecunda ediſſerit. Ubi multa inſimul de dentibus, nec non de ventriculorum numero in animalibus diverſis variante, ſcitu haud injucunda commemorat. De tunicis autem ventriculi humani agens, quando nerveam extimam vult ac muſculoſæ ſuperinſtratam, eam cum communi alias dicto involucro oppido videtur con-

fundere, contra unanimem Anatomicorum non minus conſenſum quam autopſiam, interiorem rugoſam pro unica, glanduloſa ſcilicet, venditans. Quod in ventriculi cavo alimentorum continetur menſtruum, e triplici liquore effatur compoſitum, uno ſulphureo ac ſpirituoſo a cerebro per nervos transmiſſo, reliquis duobus ſalinis plus minus acidis, tum e ſalivalibus glandulis, tum glandulosa Ventriculi tunica, adportatis. Ab ipſis horum acidis ſpiculis membranas Ventriculi ac nervos vellicantibus, famen excitari pronunciat, quibus ſi particulæ bilis alcalicæ volatiles prævaleant, accendi ſitim exiſtimat, cui reſtinguendæ potus frigidus ratione nitri contenti utplurimum ſit aptiſſimus. Hinc omnem, quem Pancreatico ſucco & Biliofo adjudicat uſum, ratione acidi & alcali explicat, vulpeculam tamen marinam, & fortaſſis ſolam, eſſe contendens, quæ, ob levem ſucci pancreatici aciditatem, acida gaudeat bile. In extima renum ſuperficie acidum pariter aliquod collocat pro parte ſanguinis ſeroſa, inſtar ſeri lactis, præcipitanda; quæ ne in minutis poſtmodum canaliculis, in pelvim deſinentibus, patiatur coagulum, partim ab externa tunica adipoſa, partim a calore ſanguinis interno, partim denique & omnium maxime a ſale quodam ammoniaco, renum interiora replente, impediri dictitat. Ipſam tandem Nutritionem ita explanat, ut partibus duris ſalinas ſanguinis particulas, phlegmatis aliqua portione evaporata cryſtalliſatas, mollibus autem partibus ſulphureas ejus moleculas, digeſtione prævia in ipſarum interſtitiis inſpiſſatas, nutrimenti potiſſimum loco eſſe ſtatuat. Salina cæteroquin ſanguinis corpuſcula eadem cum Levvenhockii microſcopio obſervatis quadrangularibus reputat, ſulphurea vero coincidere cenſet cum hujus ſphæricis, ideo rubicundis, quod omnia ejusdem fere magnitudinis circa proprium axem volutenter.

ISAACI BARROVV, MATHEMATICÆ PROfeſſoris Lucaſiani, Lectiones habitæ in ſcholis publicis Academiæ Cantabrigienſis, Anno Dom. 1664.

Londini apud Georgium VVells, in cœmeterio D. Pauli. 1683. in 8.

QUi ob Archimedis opera, Apollonii Conica, & Theodoſii Sphærica, nova methodo illuſtrata & ſuccincte demonſtrata, Lectiones

item opticas & geometricas, pauci abhinc annis publico commodo editas, de Matheſi optime meruit Iſaacus Barrovv, & has dedit primitias olim profeſſionis ſuæ mathematicæ. Huic enim muneri, dimiſſa Græcarum literarum doctrina, cui eo usque præfuerat, primum admoveri ſe paſſus eſt, cum Henricus Lucas, vir Nobilis (qui Illuſtriſſimo Comiti Hollandiæ, tum Academiæ Cantabrigienſis Cancellario, a ſecretioribus literis conſiliisque, tantæ clientelæ beneficio ad amplas opes provectus erat,) ſtudiis mathematicis, in Academia dicta hactenus jacentibus, ſuppetias laturus, ultimæ voluntatis tabulis mathematicam profeſſionem decreto ſimul liberali ſtipendio inſtituiſſet.

Quanquam autem Lectiones istæ generalia tantum ἐξωτερικά & velut prolegomena Matheſeos, aliis fere neglecta, aut incultius & perfunctorie tradita, complectantur, veſtibulum enim duntaxat, mathematicis diſciplinis præſtruendum, inpræſens condere Autor inſtituit: ſunt tamen toto earum decurſu eruditionis non proletariæ aut obviæ ſparſi paſſim flores, qui judicium Autoris acre & maturum, profundamque Philoſophiæ veteris cognitionem ſatis produnt. Genius porro Matheſeos, vis & præſtantia demonſtrandi, intima adeo ſcientiæ hujus ratio, ita hic explicatur, ut non tam in veſtibulo, quam ipſis penetralibus Lector conſtitutus ſibi videri, eadem hæc certe tanto dein conſultius occupare poſſit. Optandumque eſt, ut cætera hujus argumenti, quorum ſpem hæ Lectiones in ipſo ſtatim limine fecerunt, & in quibus deſinunt, propediem ſubſequantur.

Ipſa Lectionum partitio minus operoſa ſub manu nata videtur. Excuſſa enim Matheſeos & mathematum appellatione, eaque ex communi uſu temporum illorum, quibus apud Græcos coli Matheſis, & ſola in ſcholis tradi cœpit, derivata, objectum eidem ex communi ſententia magnitudinem & multitudinem tributum, eandemque in puram & mixtam, quarum partium rationem luculentis exemplis declarat, diſtinctam eſſe enarrat. Diſtinctius deinde diviſiones veterum, Pythagoreorum, Platonis, & Gemini proſequitur, & quid in hac aliisque fere omnibus recentiorum deſideret, ſtrictim innuit. *Lect. I.* *Lect. II.*

Propria vero & peculiaris circa hoc caput Autoris ſententia eſt: non aliam reipſa quantitatem exiſtere, diverſam ab illa, quæ magnitudo aut quantitas continua dicitur: hanc proinde ſolam Matheſeos objectum merito reputari, cujus ea generales inprimis proprietates, tum

Digitized by Google

tum ſpecies proximas, & congruas paſſiones inquirat & demonſtret: hinc Matheſin omnem Geometriæ terminis contineri & circumſcribi: mixtas vero mathematicas, utut ſuo unaquæque modo (quem per ſingulas eundo ſcite exponit) ad mathematicam dignitatem titulumque adſpiraverit, Geometriæ verius exempla eſſe, quam partes Matheſeos, quippe quæ poſt exutas particulares circumſtantias, admiſſasque fundamentales ſuas hypotheſes, evadant pure geometricæ; pro naturalis autem ſcientiæ partibus habendas, totidemque eſſe (niſi adjunctione mere ποιητικῶν, quales Pictura, Sculptura, Statuaria, Architectonica, hisque affinium artium augendus ſit numerus) quæ ſint Phyſicæ ipſius; adeoque mathematicam vulgo ſic dictam Phyſicæ coextendi; Algebram etiam vel facultatem analyticam (quatenus a Geometriæ & Arithmeticæ pronunciatis diſtincti quid innuat) non magis ad Matheſin, quam ad Phyſicam, aut Ethicam, aut quamvis aliam ſcientiam videri ſpectare; eſſeque duntaxat Logicæ partem, ſeu modum ratione utendi circa quæſtionum ſolutionem, inventionemque aut probationem concluſionum, & ob hoc inſtrumentum

Lect. III. mathematicæ, ut contradiſtincta illi Syntheſis. Ipſam Arithmeticam, nobiliſſimam illam ſcientiam, a Geometria divulſam temere, ab ea prorſus indiſtinctam eſſe: liquere hoc cum ex nomine Geometriæ, μετρεῖν enim, ſuffragio vel ipſius Ariſtotelis, X Met. cap. I, nihil aliud ſignificare, niſi magnitudinem numero notificare vel exprimere, quidni ergo, quæ nomine numerum ſuo involvat, eundem non reipſa contineat? tum ex natura numeri diligentius perpenſa. 1. enim nullum numerum ex ſe quicquam diſtincte ſignificare, cuiquam determinato ſubjecto convenire, ullam rem certo determinare, ſed utcunque pro arbitrio aptum natum eſſe cuivis quanto deſignando. 2. prout ſinguli numeri ſeorſim nihil certi ſignificant; ſic nec inter ſe collatos, duos pluresve, ullam ex ſe determinatam habitudinem proportionemve ſortiri aut indicare. 3. nec numeros ex ſe invicem addi poſſe, nec ſubtrahi, vel ut ſummam aliquam componant, vel ut differentiam commonſtrent; contingere vero hoc ipſis, ex rerum, quibus attribuuntur, conditionibus. 4. hanc ipſam magnopere diverſam eſſe: aliter enim tribui numerum rebus quantis certam menſuram deſignantibus; aliter rebus nonniſi generica aliqua ratione inter ſe convenientibus, ex quo duplex genus numeri conſurgat, mathematica unum,

alterum

alterum tranſcendentalis & metaphyſici, ipſi Platoni in Philebo agnitum. 5. numerum mathematicum non eſſe aliquam rem diſtinctam a magnitudine quam denominat, ſed hujus certo pacto conſideratæ notam & ſignum, eundemque 6. triplicem, integrum, fractum & radicalem ſive ſurdum, qui poſtremus, cum ne ratione quidem, Autoris judicio, a magnitudine abſtrahi poſſit, ſatis oſtendat, numerum a magnitudine reipſa non differre. Ex junctione autem Arithmeticæ & Geometriæ maxima in rem Matheſeos commoda derivari. I enim perſpectum iri, nullum Geometriæ vel axioma generale, vel ſpecialem concluſionem, non etiam Arithmeticæ ſimili ratione convenire, nihilque viciſſim de numeris enunciari poſſe, quod magnitudinibus non pariter accommodetur: unde cum eximia lux utrique ſit affulſura ſcientiæ, tum ingens proventurum compendium, ſublata cauſa, eadem theoremata aut problemata ſupervacanee repetendi, diverſimodeque ſolvendi. II utrique etiam lautum acceſſurum incrementum, iisdem ſubſidiariam operam ſibi mutuo commodantibus: Geometria, theorematis circa numeros facilius reperiendis; Arithmetica, perſpicue explicandis muniendisque circa magnitudinem demonſtrationibus. III manifeſtum evaſurum, contra quam magni Vir, ſed infelicis ingenii (Hobbeſium innuere videtur, qui tr. de ratione motuum & magnitudinum p. 152. arithmeticum calculum a geometricorum problematum examinatione arcendum eſſe pronunciavit, idque aliis locis plurimis probare annisus eſt) non dubitavit aſſerere, nullum ratiocinium geometricum valere, cum arithmetico calculo non exquiſite conſentiens; & proinde commiſſos in Geometria paralogiſmos poſſe per computationem arithmeticam ut facillime, ita certiſſime juſtiſſimeque examinari & refelli. Proinde nec inconſulte feciſſe Euclidem, quicquid Ramus obſtrepat, geometricis elementis arithmeticas inſerendo ſpeculationes, meriturumque egregie de utraque, qui commodam in Geometria, ubi Quintiliano indice antiquitus videatur obtinuiſſe, ſedem aſſignaverit Arithmeticæ.

Rejecta dein mathematicarum in theoreticas & practicas ſcientias diviſione, tanquam non diverſas, ſed unius ſcientiæ diverſos reſpectus innuente; modum quo circa objectum ſuum matheſis verſetur, explicat: cum ſcilicet, quem quæque ſcientiæ, quoad ejus fieri poſſit, affectent, at qui ipſius tantum non proprius & peculiaris habeatur, *Lect. IV.*

M

beatur, demonſtrativum. Quo nempe res ſuſcipiantur contemplandæ, quarum in animo diſtinctæ & claræ ſint ideæ; propriis, adæquatis, & invariatis nominibus deſignatæ: ad indagandas affectiones, & veras concluſiones conſtruendas notisſima tantum, certisſima, & pauciſſima axiomata præmittantur; paucisſimæ item hypotheſes, & rationi ſummopere conſonæ, nec a quoquam mentis compote recuſandæ, præſtruantur: generationes etiam ſive cauſæ adſignentur faciliime intelligendæ, & promte admittendæ: ordo obſervetur exquiſitus, qui propoſitionem quamque liquido inferat ex prius poſitis & probatis: rejiciantur denique omnia, utcunque veriſimilia & ſpecioſa, quæ dictis legibus colligi deducique nequeant. Atque hæc omnia ut exemplis ex matheſi depromtis, nec incurioſa inter ipſam & cæteras ſcientias antitheſi inſtituta firmat; ſic mathematicorum ratiociniorum certitudinem, evidentiam, neceſſitatem & præſtantiam ab adverſantium, Pyrrhoniorum, Ἐφεκτικῶν, Epicureorum, & recentiorum quorundam Peripateticorum illationibus & offutiis acri diligentia vindicat; deque variis modis, quibus ſua propoſitionibus mathematicis conſtet certitudo, argute diſſerit.

Lect. V. & VI.

Lect. VII. Poſt, ipſos ſyllogiſmos ſeu demonſtrationes mathematicas aggreſſus, de partibus earum integralibus, præmiſſis & concluſione, dicere inſtituit. Illarum, quæ vel prima principia ſint, vel ab his continua ſerie derivatæ concluſiones, naturam, originem & veritatem generatim contemplatur; hanc etiam hypotheſibus, definitionibus & axiomatis in ſpecie explicatius adſtruit; indeque omnis ſcientiæ naturalis originem, & genuinam methodum a primis usque cognitionis fontibus ratiocinandi, ſic enunciat: mentem ex obſervatione rerum objectarum occaſionem arripere ſimiles ideas compingendi; quas, cum clare percipiat convenire rebus quæ poſſiint exiſtere, affirmet & ſupponat; tum affingendo & appropriando eis vocabula, definitiones efformare; ex his, quomodocunque verſatis & comparatis inter ſe, conſequentias elicere, & theoremata condere; e quibus in certa ſyſtemata coagmentatis conflentur particulares ſcientiæ.

Lect. VIII. Ultima διασκέψει tres principiorum mathematicorum conſtituit ſpecies: Hypotheſes, (Poſtulata) Definitiones, Axiomata: ita ut priores duas faciat principiorum ſimpliciter primorum, ſive in nulla ſcientia demonſtrabilium, tertiam vero ex prioribus per ſyllogiſticam conſe-

Digitized by Google

conſequentiam emergentem: ſive ex iisdem in aliqua ſuperiore præcedanea, ſive in ipſa, in qua axiomatis dignitatem ſuſtinet, ſcientia deducatur. Hanc τεχχοτομίαν adducta Ariſtotelis ſententia firmat; non tamen ſine gravi in ipſum, Proclum, Ramum, & Rivaltum Archimedis interpretem, aliud principii genus, ἐπιταγμάτων ſive ſubſidiorum, ex perperam intellecto Archimedis textu condentem, ſtricta cenſura.

Ex interſertis autem hinc inde eruditis digreſſionibus attentiorem merentur conſiderationem, quæ de numeris ſurdis; comparatio- p. 49 54.
ne puncti geometrici & unitatis; defectibus ſcientiarum præter ma- 61.
theſin in demonſtrationibus; judicio a ſenſibus petito; inductionis vi; 79. 82.
actuali figurarum mathematicarum, in quacunque cujusvis materiæ 85.
particula, exiſtentia; demonſtrationibus Logicorum cauſalibus; de- 97.
monſtratione quacunque, nonniſi ſuppoſita Dei exiſtentia poſſibili; 122.
demonſtrationibus rerum, quæ nec extiterunt, nec extituræ ſunt un- 123.
quam; de notitiis innatis, ad theoreticas ſcientias non neceſſariis, 129.
Autor non ingrato diſcurſu ventilat.

ULRICI HUBERI AUSPICIA DOMESTICA Exercitationum, quibus otium, quod Illuſtres Friſiæ Ordines ei apud Academiam ſuam fecerunt, occupare conſtituit. Accedunt amœniora quædam alia.

Franequeræ apud Johannem Gyſelaar, 1682. in 8.

Quanti olim eloquentiæ ſtudium Jurisprudentiæ junctum æſtimatum a Romanis fuerit, vel elogia JCtis nonnullis data poterunt eſſe argumento. Non ſolum enim Pomponius Trebatium cum Caſcellio comparans, illum hoc peritiorem, Caſcellium vero Trebatio eloquentiorem fuiſſe commemorat; ſed & Cicero de L. Craſſo & Q. Scævola acumine & juris ſcientia atque dicendi ornatu æqualibus ſcriptum reliquit, illum pro eloquentium juris peritisſimo, hunc autem pro juris peritorum eloquentisſimo fuiſſe habitos. Dubios nos relinquit præſentium Auſpiciorum domeſticorum, in quibus celeberrimus Huberus ſpecimina orationum quarundam exhibet, cum ſcriptis ejusdem reliquis collatio, utrum ex his Craſſi & Mucii elogiis ipſi aptemus. Sive enim Craſſi virtutes conſideremus, cui

Tullius ſummam gravitatem, cum gravitate vero junctam facetiarum & urbanitatis oratorium, non ſcurrilem leporem, accuratam inſuper Latine loquendi & ſine moleſtia diligentem elegantiam, in diſſerendo miram explicationem, cum denique de jure civili, aut de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copiam tribuit; ſive laudes Scævolæ perpendamus, quod non ſolum peracutus fuerit ad excogitandum, quid in jure aut in æquo verum aut eſſet aut non eſſet, ſed & verba ad rem cum ſumma brevitate mirabiliter aptare valuerit; ſingulas has duorum iſtorum Juriſprudentiæ luminum elegantias Auſpicia hæc domeſtica referre videntur, quorum titulus ex iis lucem capiet, quæ præcedenti menſe de Poſitionibus Huberianis retulimus. Continet autem libellus hic *Orationes XII*, ab eloquentiſſimo Auctore variis temporibus variis de cauſis habitas, quarum argumenta nec nos expoſuiſſe, nec Lectorem pigebit legiſſe. In *I. Oratione* oſtendit Auctor, cur ſuſceperit munus Senatorium, idemque poſtea indultu Ordinum depoſuerit; tum de veteri diſputandi more per quæſtiones & colloquia, ut & de hodierno per ſyllogiſmos diſſerit, eosque inter ſe comparat. Præmiſſa autem fuit hæc oratio primæ collationi juris Friſici cum Romano, domi Auctoris anno 82 habitæ, quam & ipſam orationi ſubjunxit, deciſioné nobilium quæſtionum juridicarum continentem. In *Oratione II* exponit, quibus rebus otium ſuum in Academia ſit occupaturus; qua occaſione, quid ſit Jureconſultus & quomodo formari debeat, docet, quaque via ipſe in poſterum cum ſtudioſis juris procedere cogitet, ut notitiam fundamentorum juris Juſtinianæi quam minimo temporis operæque diſpendio adipiſcantur, eruditiſſime declarat. *Oratione III* inquirit, quare jus publicum olim in Academia Franequerana profeſſione publica non ſit honoratum, & cur præter Germanos nullus populus hodie juris publici doctrinam in artem diſciplinæ redigi curaverit? Ab hoc jure publico diverſum eſſe jus publicum univerſale oſtendit, quod nimirum docet, quid in regimine cujusque civitatis fas & rectum ſit, quidque ſingulis in quaque republica ordinibus ſit tribuendum; tum hujus differentias a politica & tradendi neceſſitatem proponit, ſimulque reſpondet objectionibus multorum, civitates ſine magna injuſtitia non poſſe gubernari. Aliorum objectionibus, contra methodum diſcendi docendique jura oratione

Digitized by Google

oratione ſecunda commendatam, motis, reſpondet *Oratione IV.* In *Oratione V* poſtquam nonnulla in laudem Wiſſenbachii tum non pridem defuncti præmiſiſſet, hiſtoriam juris Romani & ex ejus argumento continuam probationem, literas humaniores cum jurisprudentia eſſe conjungendas, exhibet: *Oratio IV* breves dat laudum ſummas celebrium Friſiæ JCtorum, qui hoc & anteacto ſeculo floruerunt, puta *Viglii ab Ayta, Joachimi Hopperi, Boetii Roordahuſani, Cypriani Vomelii a Stapert, Aggai Albadæ, Andreæ Roordæ, Georgii Ratalleri, Hectoris Hoxvvirii, Suffridi Petreii, ex Popmana* familia, *Sixti, Cypriani, Titi, & Auſonii, Henrici Schetani, Julii a Beima, Johannis a Sande, Marci a Lyclama, Dionyſii Gotofredi, Johannis Althuſii, Timæi Fabri, Pauli Buſii, Joachimi Andreæ, Hectoris & Jacobi Bouriciorum, Thomæ Herbaii, Johannis Sackma, Gaii Nautæ, Bernhardi Schotani, & Henrici Rhalæ,* ſimulque de fundatione Academiarum in Friſia diſſerit. Sequentibus *tribus* orationibus argumentum præbuit ſtatua *Eugnomoſynes*, quam Codinus ſcriptor Græciæ recentioris in foro novæ Romæ a Conſtantino fuiſſe poſitam narrat, dextra manu *ſceptrum*, ſiniſtra *librum* tenentem, juxtaque eam ſtetiſſe ſtatuam *Hermetis Emporii* cum *marſupio*, putatque Codinus per *ſceptrum* denotari *ingenium*, per *librum* vero *memoriam*, quaſi hæc duo, ingenium & memoria ad *bonam mentem* ſeu Eugnomoſynen requirantur. Sed Huberus *in oratione VII* occaſione loci alicujus ex Ariſtotele allati per *ſceptrum* denotari dicit *rationem*, per *librum eruditionem*, ſenſumque eſſe: *Rationem ad imperandum factam regni ſui partes nullo modo feliciter explicare poſſe, niſi libro veraque prælucente doctrina inſtructam.* Porro *Hermen cum marſupio* denotaſſe: *Bonam mentem pecuniæ imperare debere*, & Conſtantinum adeo voluiſſe indicare, *urbem ſuam ſludere debere doctrinæ pariter & pecuniæ.* Cum vero alii *Eugnomoſynen* exponant per *æquitatem*, inde Autor *Oratione VIII* demonſtrare aggreditur, per *librum* intelligi *legem*, per *ſceptrum*, *rationem*; æquitatem enim ſive judicium corrigendi leges nihil aliud eſſe, quam rationem cum lege conjunctam. Hanc æquitatem juxta Hermen Emporium præſidem mercaturæ Deum fuiſſe poſitum. Ut enim per hanc urbi frequentia, civibus abundantia, imperio toti flos vigorque conferretur, palam eſſe debuiſſe non jure ſtricto rigidoque, non herili tyrannicoq; imperio, ſed ex libro, id eſt, ſecundum leges atque benigne humaniterq;

cum mercatoribus actum iri. Sed quemadmodum æquitas tota in lege & ratione conſiſtit, bona mens vero plura complectitur, ita tamen reſpectu juris ſtudioſi bonam mentem in legem & rationem reſolvi docet Orator jurisperitisſimus *Oratione IX.* Poſtquam enim oſtendiſſet, legum doctrinam non poſſe ſine ratione ſubſiſtere, neque rationem ſine legibus jurisprudentiæ nomen mereri, ſimulq; contra ſentientibus reſpondiſſet, fuſe ſtudioſos in diſcendo, profeſſores in docendo & ſcribendo, advocatos denique & judices in poſtulando ac judicando ad legem & rationem reſpicere debere probat. In *X Oratione* de *Pædantiſmo* agit, convitio in omnium quidem ore poſito, ſed a paucis intellecto, a nemine hactenus diſtincte declarato. In qua quidem oratione dicendi gravitatem, ac urbanum facetiarum leporem, quas virtutes in Craſſo laudabat Cicero, ita miſcuit, ut ejusdem lectio vel decies repetita nullam moveat nauſeam, ſed deſiderium potius in lectore excitet eorum, quæ facundisſimus Orator amplius de hac materia dicere poterat, certis de cauſis vero ſubinde omittere aut prætermittere coactus fuit. Refutat autem non ſolum graviter eruditorum oſores, falſo & ex invidia aut ignorantia nomen pædantiſmi virtutibus aut vitiis eorundem facile condonandis imponentes, tum lepide per ſingulas fere quatuor [illegible] ſpecies demonſtrat, pædantiſmum nihil aliud eſſe, quam doctrinam faſtu & virtute ficta ineptoque judicio corruptam, remque exemplis ex omni hiſtoria petitis illuſtrat. Reliquæ *Orationes duæ* Panegyricæ ſunt, in quarum *XI* vitam glorioſam & exitum tragicum celſisſimi herois Guilielmi Friderici, Principis Naſſovii exhibet; in *XII* vero *& ultima*, natales, vitam, ſtudia & exitum Guilielmi Cupii Anteceſſoris & Collegæ ſui more oratorio exponit.

MARTINI LISTER, e S. R.
De Fontibus medicatis Angliæ Exercitatio nova & prior.

Eboraci, 1682 in 8, & Lipſiæ ap. Joh. Groſſium 1684.

ANtequam celeberrimus Vir de ipſis fontibus medicatis Angliæ tractat, cap. I. deſcribit figuras atque iconibus adpictis illuſtrat ſalium foſſilium, qualia ſunt quatuor magis cognita, *Vitriolum* (viride

ride e pyrite ferreo natum.) *Alumen, Sal commune, Nitrum*, (alias Sal petræ & halonitrum ;) quibus adjungit minus cognitum quintum, *Sal sive Nitrum Calcarium* (aliis Murale dictum) quod fere e lapide calcario, tam crudo quam cocto, in parietibus vetustissimis ædificiorum sponte nascitur. *Vitrioli* crystalli maturæ perpetuo ex utraque



parte acuminatæ sunt, & ex decem planis lateribus inæqualibus constant: scilicet, ex quatuor mediis planis pentagonis, & ad singula quæque extrema acuminata, terna plana triangula habent, uti Figura 1 exhibet. *Aluminis* crystallis figura paululum compressa est; ex altera parte, quasi vertice, planum sexangulum habet, ex altera & opposita parte sive basi plano similiter sexangulo insidet; ejus autem latera claudunt tria sexangula plana, quibus alternatim bina plana quadrangula interponuntur. Ita qualibet integra aluminis crystallus in sua simplici & primaria concretione, (quæ & in cæteris itidem salibus hic attendenda,) ex XI planis conficitur: scilicet e quinque sexangulis, & senis quadrangulis planis. Vide Figuram 2. *Salis communis*

nis cryſtalli cubicæ ſunt, ſive ex aqua marina, ſive ex ſale gemmeo, ſive ex fontibus ſalſis eliciantur. vide Figuram 3. *Nitrum* in cryſtallos ſexangulas, tenues, longas & æqualiter craſſas concreſcit. Quæ cryſtalli ſua latera parallelogramma habent. Eædem autem deſinunt ex altera tantum parte, vel quadam acie, vel mucrone pyramidis in modum acuminato, ſcil. ob varium poſitum duorum planorum laterum. vide Figuram 4. Iſte mucro acuminatus ad modum coni figuratus, ex ipſa priſmi extremitate eſt conſtitutus, & nullatenus ipſum priſmi corpus extenuatur, quod multi de his nitri cryſtallis ſomniant. *Salis Calcarii* cryſtalli tenues longæque ſunt, iisque mediis quatuor latera parallelogramma ſunt, at fere inæqualia; ex altera vero parte, ipſe mucro ex binis planis lateribus triangularibus formatur: ex altera & adverſa parte duo plana quadrata habet, perpetuo ad contrarium cum priori illa parte poſitum. Majuſculæ ex his cryſtallis ad dimidium digitum longæ ſunt, & quædam alias varietates, v. g. quina latera media habent &c. quæ ſingulæ ſuis figuris in Tabula adpicta demonſtrantur. vide Figuram 5. Idem ſal calcarius in ignem impoſitus ſine flamma liqueſcit & in bullas intumet, pumicisque albiſſimi inſtar indureſcit, plane ad modum aluminis.

Cum autem dictorum ſalium quidam glebas aliquas velut parentes habeant, nimirum vitriolum viride *ferri venam*, & ſal calcarium *lapidem calcarium*, illa metalla breviter cap. 2. explicat. De *Ferri metallis* incipiens, diſtinctionem Gilberti, venam ferri metallicam a ferrea materia diſcernentis l. 1. de Magnete c. 8. repudiat, experimentum, quo venæ ubertas aut penuria exploratur, ab Agricola traditum approbat, venas ferri varias enumerat, in quibus (1) præcipua, magnes, (2) vena rubra ſcintillans quaſi aranacea; (3) alia vena ferri rubra interdum mollior inſtar argillæ, (4) hæmatites, (5) vena ferri in arena ſoluta ac lapide arenaceo, (6) in vicinia & inter ipſos carbones foſſiles ex meris rupium ſtratis ſolidis & dilatatis, (7) in marga, (8) ocra ruſeſcens a pyrite fere nata; (9) pyrites, de cujus cum plurimis metallis miſtura & varietate diſſerit. Ex *lapide calcario*, de quo capite 3 agit, eſſe in Anglia montium terrenæque glebæ longe maximam partem exiſtimat, plurimas ejusdem differentias recenſere omittit, communem notam tradens, in calcem uri poſſe. Eidem annumerat cretam albam hujusque albam argillam, ſilices in montibus creta-

cretaceis naturaliter inventos, Seleniten, gypſum, ejusque differentias plurimas, Stalactiten &c.

His principiis poſitis, capite 4 fontes medicatos Angliæ enarrat, in quibus, quos ipſe experimentis exploravit, duo tantum genera Salium ſe inveniſſe ſcribit, Nitrum ſcilicet Calcarium, & Sal commune, & terrenam glebam duplicem, Ochram & Lapidem Calcarium. Hinc fontes prius refert, in quibus ex duobus illis Salibus, alterum tantum deprehenderit, ut in fontibus ſalſis fœtidis merum Salem vulgarem, in fontibus lapideſcentibus & atramentoſis frigidis, (quos atramentoſos ab effectu, quem cum galla habent, nominat; alii cum Plinio a ſapore ferrugineos vocant, uti monuit in præfat.) ſalem & LapidemCalcarium, alicubi etiam Ochram. Deinde fontes, in quibus ambo ſalia reperiuntur, docet eſſe fere Thermas easque atramentoſas, inter quas paucas in Anglia celeberrimæ Bathonienſes, quibus item Ochra & lapis calcarius inſunt. Adjicit, univerſa circa Thermas, maxime lapides, prope ipſos fontes ex Ochra ſumma flavedine infici; ipſarum aquas, dum calent, atramentoſas fieri; vehementer calere & aſſidue vaporare; æqualiter caleſcere tam hyeme quam æſtate; e luto nigro profundius emergere; ſaturatiorem colorem tempore gelu, quam cœlo aperto cum gallis dare; tempore gelu diu ſervatas tingendi facultatem retinere, aperto cœlo cito amittere; bene clauſis vaſculis aſſervatas, poſt plures dies cum gallis tingere; earum fontium arenam ignitam, limum reſiduum de aquis a coctione crematum, ſulphuris modo in tenebris flammam emittere.

Poſt hæc, cap. 5 Salium, ſcil. Nitri Calcarii & Salis vulgaris in fontibus medicatis contentorum, item glebæ eorum terrenæ, nimirum tam Ochræ quam Lapidis Calcarii, originem ſeu naſcendi modum traditurus, dicit, ſalis marini ſeu vulgaris nativitatem ſimpliciſſimam, ac nihil aliud, quam meram liquationem eſſe; nitrum calcarium non reperiri, ubi non ſit lapis calcarius, e quo nitrum calcarium germinet. Et cum nitrum calcarium eodem modo naſcatur, quo vitriolum, de hujus generatione diſſerens, *vitriolum* pilorum inſtar e pyrite naſci tradit, quibus naſcentibus color albidus, adultis viridis ſit. Eosdem pilos initio tenues, craſſos validosque fieri. Id probat iſto artificioſo elaborandi modo: Aquæ fontanæ ſtillicidium in pyritem ferreum gleboſum artificioſe cedat: In principio, quousque

Digitized by Google

aqua cum gallis atramentoſa non fit, ſalem albidum dat in cryſtallos cubico-rhomboides concreſcentem. Vide Figuram 6. Si vero eadem aqua in pyriten deſtillat, donec atramentoſa cum gallis fit, exhibebit ſalem immaturum in cryſtallos multorum laterum concreſcentem more aluminis, & ſubviridem. Eædem ſtiriæ temporis ſpatio colore & conſiſtentia perfectæ, in vitrioli maturi cryſtallos tandem abeunt. Quod experimentum in aere fieri debet: nam ex pyrite ſub aqua ſervato vix ullum ſal extrahetur, certe nihil vitrioli generabitur.

Quibus ſtabilitis, de Vitrioli generatione aliter opinatos Helmontium, Du Clos, alioſque confutat c. 6; & c. 7. oſtendit, vitriolum maturum in aquis medicatis Angliæ raro aut nunquam reperiri, pyriten autem, qui in aere in merum vitriolum propria germinatione ex toto convertitur, ut ante demonſtratum, eundem ipſum lapidem ſive metallum ſub aquis atramentoſis ex tota natura fieri ſpiritum ſive halitum ſulphureum, Ochramve. Pyritæ & lapidis calcarii halitibus, intra aquas fontium quorundam ligna craſſa facile penetrantibus, petrificationem adſcribit cap 8. Ab iisdem vaporibus thermas Anglicas calere ſatagit evincere, rejectis aliorum ſententiis cap. 9. Pluviarum materiam non ſolum aquas a calore Solis exhalantes, ſed etiam omnium animalium, plantarum ac maxime ſalium ſubterraneorum, præcipue pyritæ & lapidis calcarii vegetantium halitus facere docet cap. 10. mentione ſimul facta experimenti de alga in aqua marina facti, quo aquam dulcem & potabilem elicuerit. Fontium ex ſulphure fœtentium rationem exponit cap. 11.

Exercitationem ſuam finit examinando varia, quæ fontes medicati Angliæ ab Anglis ſcriptoribus comprehendere dicuntur, cap. 12. Poſterioris vero exercitationis, de utilitate & effectibus fontium medicatorum Angliæ in corpora humana, edendæ ſpem nullam certam facit.

VVILHELMI MOMMÆ OECONOMIA TEMporum Teſtamentaria triplex, & Prælectiones Theologicæ.

Amſtelodami 1683. in 4.

SCripſerat hic Momma anno 1661, cum Theologiæ cultorem indefeſſum Lugduni Batavorum ageret, diſputationem de *Oeconomia Tem-*

Temporum, inque ea, quomodo Deus olim locutus ſit egeritque cum Patribus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, in poſtremo autem dierum nobiſcum in Filio, Hebr. I 1. luculenter oſtenderat, præſide non alio in tuendā illa uſus, quam cui unice adhærebat, & cujus ſcripta diurna nocturnaque verſata manu in ſuccum ſanguinemque converterat, h. e. celeberrimo illo Reformatorum Theologo *D. Johanne Coccejo*. Ea diſputatio, uti ſereno a multis vultu excepta, ita mox recuſa eſt, autore inſcio & tale quid nihil opinato. Rogatus autem anno 1670, cum Belgium tanquam patriam alteram inviſiſſet, ut diſputationem eandem tertiā vice, ſed auctam illuſtratamque emitteret, ad domeſticos reverſus lares mox manum admovit operi; ſed novum hoc opus ob magnam rerum varietatem, quæ ſe undique offerebat, juſtam diſputationis molem exceſſurum prævidens, ſemota diſputatione plenum compoſuit tractatum, inque illo pro dignitate materiæ egit de periodis Eccleſiæ, deque viciſſitudine diſpenſationis cœlitus circa illam obſervatæ. Id omne in tres dividendum libros cenſuit; quorum primus Eccleſiam inde a lapſu ad introitum uſque Iſraelitarum in Ægyptum; ſecundus ab exitu illorum ex Ægypto uſque ad Chriſtum natum; tertius a nato Chriſto uſque ad conſummationem ſeculi deſcriberet. Quia autem unum volumen tres libros illos ſic diviſos capere commode non poterat, priores duos in unum redegit, tertioque ſecundum deſtinavit, Eccleſiæ in eo fata ab exceſſu Apoſtolorum ad fines uſque mundi continuo filo deducturus. In volumine primo, quod 1672 prodiit, exorſus eſt a Geneſi, & quicquid poſt lapſum primorum parentum ad Joſephum uſque in Ægypto exaltatum accidit, illuſtriſſima quæque de Chriſto oracula, vitas virtutesque patriarcharum, peccata illius ſeculi & delicta, divinasque admonitiones, caſtigationes ac pœnas in illo enarravit. A Geneſi perrexit ad Exodum, inde ad Leviticum, Numeros, Deuteronomium, & nihil quicquam in illis obſervatu dignum notare atque illuſtrare intermiſit; inſignes præcipue mutationes tum in Eccleſia, tum Politia, populi defectionem a fœdere, a cultu, a fide patrum, & ſeveram tandem rejectionem, ſeu captivitatem tum decem tribuum, quæ in Aſſyriam, tum duarum, quæ in Chaldæam ſunt abductæ, recenſet. Extraxit etiam ex vaticiniis Prophetarum compendium doctrinæ de Chriſto θεανθρώπῳ, & quis populi in captivitatem Babylonicam abducti ſtatus

atque conditio; quæ item Judæorum ex captivitate illa reverſorum ad nativitatem uſque Chriſti ſub Regibus Perſis & Macedonicis vel Syris, nec non Romanorum imperio fata fuerint, ſcite atque erudite expoſuit. Emiſſis libris duobus hiſce de ſtatu & conditione Eccleſiæ, quæ ante Chriſti in carne manifeſtationem in terra militavit, agentibus, reſtabat tertius de Eccleſia per Chriſtum exhibitum collecta. Sed cum & hunc ob fertiliſſimum rerum variarum cornu in duo volumina diviſerit, prius in lucem emiſit anno 1673, reliquaque in aliud volumen reſervavit. In hoc primum egit de æterna Chriſti divinitate & de admiranda ejus incarnatione, deinde de Chriſto prodeunte in publicum & officii ſuſcepti munia exequente, de paſſione ejus & morte, & denique de ejusdem gloriis. A Chriſto progreſſus eſt ad Acta Apoſtolorum, & difficilia pulchraque hac occaſione omnia in libro, cui titulus *Acta Apoſtolorum*, occurrentia delibavit; peculiari etiam capite benedictiones ac prærogativas Eccleſiæ novi teſtamenti expoſuit, caputque tandem, coronidis quaſi vicem, de *Regimine*, quod Chriſtus obſervandum in Eccleſia uſque ad finem ſeculi inſtituit, ſubjecit. Huic volumini commode ſubjungi poterat illud, quod promiſerat, poſterius. Nam in illo de iis, quæ Spiritus S. poſt Chriſtum & Apoſtolos in Eccleſia eventura prædixerat, agere, hiſtoriam etiam compendioſam ſeculorum omnium a temporibus Chriſti & Apoſtolorum componere, inque ea incrementa Eccleſiæ & decrementa, hæreſes, ſynodos, ortum progreſſumque myſterii iniquitatis oſtendere; quin & conſummationem ſeculi, ſtatumque Eccleſiæ glorioſæ ac triumphantis in cœlo, qui abolito mundo habitoque extremo judico futurus eſt, deſcribere propoſuerat. Sed filo vitæ ſpe & opinione citius abrupto, pertexere & hoc Oeconomiæ ſuæ filum D. Momma non potuit. Quanquam autem ultimum huic labori complementum ab Autore non fuerit additum, vel addi potius ob ſubitaneam ejus mortem non potuerit, denuo tamen, quicquid illius ante decennium emiſerat, Amſtelodami anno ſuperiore prodiit, idque non emendatius tantum ac nitidius, ſed & priore editione longe auctius. Acceſſerunt enim huic editioni *Prælectiones* Autoris *Theologicæ*, ſed poſthumæ ultimaque illius manu deſtitutæ, quarum priores VIII ſunt de *adventu Schilo*, ad Geneſ. cap. 49, v. 10, quibus profeſſionem Theologicam in Athenæo Hammonenſi exorſus eſt; poſteriores CXXII de variis Theologiæ capitibus, quorum ſeries lectionibus ipſis eſt præmiſſa.

Fuit

Fuit alias hic Momma, ſi natales, ſtudia fortunasque ejus ſciſciteris, natus Hamburgi d. 29 Septembr. ſeu die Michaeli ſacro A. 1642. patre *Wilhelmo Momma*, mercatore, qui natus Stolbergæ in Ducatu Juliaco prope Aquisgranum, ob tumultus Germaniæ bellicos Hamburgum cum familia ſe receperat, & matre *Anna Boiſot*, quæ affinitate tetigit Carolum & Ludovicum Boiſot, viros nobiles, & in Annalibus Belgicis celebratos. Oſtenſis felicis ingenii tenaciſſimæque memoriæ indiciis, puer miſſus eſt in Scholam Bremenſium trivialem, ubi ductu pædagogi ſui & præceptorum publicorum pulcherrimos fecit progreſſus. Anno ætatis XIII Hamburgi linguæ Ebraicæ dedit operam, præceptore famigerabili Polyglotto illo Dn. *Etzardi* uſus. Anno XVI ablegatus in Academiam Lugduno Batavam, Theologis illis clariſſimis adhæſit indivulſus, *Heidano* puta, *Hornbeckio*, & *Coccejo*; ſed *Coccejo* cum maxime, a quo & filii loco ob dotes eximias fuit habitus. Præter ſtudium Theologicum, & linguis Orientalibus navavit operam, Hebraicæ inprimis & Rabbinicæ, Rabbinum quendam Amſtelodamenſem ſortitus ducem. Anno 1662 diſputationem illam, quam initio innuimus, de *Oeconomia Temporum* conſcriptam ſub Gamalielis ſui *Coccejı* præſidio cum applauſu habuit. Anno 1664, cum patrem anno antegreſſo amiſiſſet, Hamburgo exiit, iter per Gallias confecturus. Confecto illo, anno 1666 vocatus eſt ad miniſterium Eccleſiæ Reformatæ Lubecenſis. Sed cum Eccleſiæ illi per ſeptennium & tantum non gratuito, ut ipſe ſcribit in præfatione volumini II præmiſſa, præfuiſſet, Reformati, inſtante Miniſterio Lubecenſium Lutherano, ex omnibus ditionis Lubecenſis locis ſunt ejecti. Ejectus itaque & inde Momma eſt; ſed vocatus non multo poſt ab Hammonenſibus, ut Profeſſoris pariter ac Paſtoris munere apud illos fungeretur. Has ſpartas cum accepiſſet, utramque probe ac ſedulo adornavit, magnamque ſui admirationem apud doctos ac bonos excitavit. Atque hinc factum, ut Anno 1676 Medioburgum, quod primarium Zeelandiæ oppidum eſt, vocaretur ad Profeſſoris itidem atque Eccleſiaſtæ ibi partes obeundas. Verum Hammona Medioburgum vix diſceſſerat Momma, cum ex tranquillo veluti portu in vaſtum aliquod moleſtiarum pelagus conjectum ſe videret. Tametſi enim utrumque munus, applaudentibus Medioburgenſibus, iterum atque iterum fuiſſet auſpicatus, ob novitates tamen quasdam (Coccejanas puta) a fratribus

tribus quibusdam Zeelandis apud Principem Arauſionenſem accuſatus, ab utroque diſcedere munere ob ſeveraPrincipis interdicta neceſſe habuit. In creperis hiſce rerum fluctibus, ex Zeelandia in Hollandiam, & quidem Amſtelodamum ſe contulit, receptusque ibi abs conjunctiſſimo amico D. *Wilhelmo Anslano*, verbi ibidem divini in Eccleſia Reformata miniſtro, *analyticas explicationes* Epiſtolarum Pauli ad Galatas & Romanos ſcriptarum concinnavit, ab Hoſpite ad id laboris perficiendum inſtigatus; quanquam nec poſteriores morte præventus perducere ad colophonem potuit. Anno 1677 ſub initium Septembris a febri quartana, ſymptomatisque aliis, palpitatione inprimis cordis fuit infeſtatus. Quamvis autem non optime ſic valeret Momma, a menſa tamen & ſtudiis non abſtinebat. Sed mox mane quodam, cum veſpera antecedente & menſæ aſſediſſet, & cibi vinique aliquid ſumpſiſſet, abs domeſticis Anslani ex ſomno eum, prout juſſerat, excitaturis, mortuus & ad ſomnum veluti compoſitus fuit deprehenſus. Ita enim Anslanus ipſe refert in prolixa præfatione, quam editis a ſe Mommæ ſui meditationibus in Epiſtolas Pauli ad Romanos & Galatas præmiſit; ex qua & potiſſima vitæ Mommianæ capita hæc tranſtulimus.

PARASELENÆ,

Anno 1684, d. 24. Jan. ſt. v. Lipſiæ obſervatæ.

INtenſa frigora, quæ per hebdomadas aliquot hucuſque auram noſtram conſtanter occupavere, ut alias, ſic & per hos dies locum dedere meteoris emphaticis frequentioribus. Inter ea vero notatu dignisſimum eſt, quod die 24 Jan. veſperi de cœlo ſuſpenſum, Lipſiæ, Dreſdæ, Halis Saxonum (quo loco die 19. Jan. & Solem in cruce cum Halone arcuque verſus eundem convexo obſervatum accepimus) Erffurti, Vratislaviæ, alibique videndum ſe præbuit: cujus hiſtoriam, uti ſe quidem hic loci habuit, naturalium rerum ſcrutatoribus exhibendam putavimus.

TAB. III. D. 24. Jan. Hora poſt octavam veſpertinam dimidia, cœlo ſereno, auraque frigidiſſima, videbantur radii BA, HA, CA, KA, candidiſſimi & crucis quandam formam præ ſe ferentes, in quorum communi concurſu Luna A incedebat: bini tamen BA, CA, ſenſim ſe exporrigebant, ut circa Horam XImam integrum conſtituerent circulum ADE, Horizonti quamdiu comparebat parallelum,

In

TAB. III. ad A. 1684. pag. 100.



In hujus punctis B & C toto hoc tempore conſpiciendæ erant binæ Paraſelenæ, ſed imperfectiores, & quas portiunculas dixiſſes Iridis, colorum vivaciſſimorum: nec enim diſcum exacte rotundum referebant, & colores utrinque verſus K & H aliquouſque producebantur in circulo BHCK ſatis undiq; albicanti luce conſpicuo. Diameter hujus poſterioris circuli radio dimenſa deprehenſa eſt 45 graduum; peripheriæ vero pars inferior Horizontem ſpectans, Luna non multum adhuc elevata, in ellipſin faſtigiare ſe videbatur.

Binæ aliæ Paraſelenæ D & E, prioribus B & C non abſimiles, niſi quod longe dilutioribus tingerentur coloribus, cum Luna A in circulo Horizonti parallelo triangulum æquilaterum efficiebant: eundemque circulum interſecabat alius FGL, tenuiſſimæ lucis, circuloque HBKC concentricus, & ab hujus peripheria $22^{\circ}30$ diſtans; cujus cum priori illo interſectiones itidem duas Paraſelenas exhibebant, ad obſcurioris Cometæ ſpeciem accedentes. Toto porro apparitionis tempore arcus MLN, circulo ipſi BHCK æqualis, certe non multo minoris, ſecundariæ Iridis coloribus conſpicuus, ſuper Lunam, ad contactum circuli FGL, eminebat. Duravit ſpectaculum ad mediam uſq; noctem, circa quam partes phænomeni hujus una poſt aliam ſenſim diſparuere.

JACOBI ROHAULTI TRACTATUS PHYSICUS Gallice emiſſus & recens Latinitate donatus per Th. Bonetum, D. M. Cum Animadverſionibus Antonii le Grand.

Londini 1682. in 8.

PHyſicæ hoc ſyſtema principiis Carteſianis eleganter ſuperſtructum e Gallica lingua in Latinam verſum a Boneto, Genevæ prodierat an. 1674. Quam verſionem cum valde corruptam, vel Typograhi incuria, vel Translatoris vitio, cognoviſſet Anton. le Grand, aptiori Latinitate efferre voluit, & inſuper animadverſionibus ad quædam capita adſcriptis locupletare. *Animadverſione XV.* Tabulam exhibet obſervationum in Academia Regia Pariſiis factarum, circa mutationem caloris & frigoris in aere, beneficio duorum Thermometrorum, quorum unum in parenti cubiculo, alterum in cavea aſſervatum eſt. *Animadv. XIV* novas ſtellas an. 1671 & 72 aliasque ſubinde a Caſſino detectas enumerat. *Animadv. XIV* accuratiorem methodum, quam vulgaris eſt, metiendi

Digitized by Google

tiendi circulum terræ quodam ex Regia Pariſienſi Academia repertam tradit. *Animadv. XVII* de Mercurii ac Veneris; *Animadv. XVII* de Martis, Jovis, huncque cingentium ſatellitum, Saturni atque circa hunc trium comitum motibus phaſibusque laudati Caſſini potiſſimum obſervationes habet. *Animadv. XIX,* quæ circa Lunæ motum & diſtantiam a tellure notavit idem celeberrimus Aſtronomorum, refert. Ex eodem *Animadv. XX* quinque Cometas, an. 1652, an. 64, an. 65, an. 65, an. 72, breviter deſcribit. *Animadv. XX* in cauſam virtutis in aere elaſticæ inquirit. *Animadv. XXVI* pro Carteſio contra Harvæum de cauſa motum ſanguinis in animalibus efficiente diſputat.

P. ILLUMINATI MORONI BERGOMENSIS, E Strict. Obſerv. Franciſci, alias SS. Inquiſ. Conſultoris, Centum Reſponſa centum Quæſitis.

Mediolani 1682. in Fol.

NOnus jam ſupra trigeſimum annus lapſus eſt, ex quo præſens Reſponſorum opus, quod Cenſoribus Moralis Theologiæ firmiſſimis fundamentis, Sacrorum Canonum & Legum ſanctionibus valide munitum, optima doctrina, pari facilitate, qua plures & fere inextricabiles difficultates dilucide in utroque foro ſolvantur, diſpoſita reſperſum dicitur, primo lucem publicam adſpexit. Materiæ, circa quas Auctor in eo occupatur, ſunt, (ceu ex ipſo Libri frontiſpicio apparet) varii & implexi caſus de Cenſibus, Alienatione Bonorum Eccleſiaſticorum, aliisque Contractibus, Legatis, Bonis dotalibus, Hypothecis, Prælatione, de Bonis Proſcriptorum, Filiorum familias, Depoſito, Succeſſionibus, Vectigalibus, Sepulturis, Quarta Funerali, Concurſu ad Beneficia, ut & de ſtatu Regularium, Reclamatione ſuper invaliditate Profeſſionis, Conſuetudinibus, præcipue contra Regulas Religionum, Approbatione ad Confeſſiones, Adminiſtratione Sacramentorum extra proprias Eccleſias, Proviſionibus ſuperiorum, de actibus Capitularibus, Irregularitate, Ignorantia, Scandalo, Occaſione proxima, Indulgentiis, utroque Jubileo, Caſibus tam ſecularibus quam Regularibus Prælatis reſervatis, deque poteſtate & modo reſervandi; aliæque quamplurimæ ex S. Theologiæ & utriusque Juris principiis explicatæ atque ſolutæ: quibus omnibus in fine locupletiſſimus Rerum ac Verborum index adjicitur.

N. III.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Martii, Anno MDC LXXXIV.

VINDICIÆ DOCTRINÆ MAJORUM SCHOLÆ Pariſienſis, ſeu conſtans & perpetua Scholæ Pariſienſis doctrina de autoritate & infallibilitate Eccleſiæ in rebus fidei ac morum, contra defenſores monarchiæ univerſalis & abſolutæ Curiæ Romanæ, Autore EDMUNDO RICHERIO Doctore ac Socio Sorbonico.

Coloniæ 1683, in 4.

DE Richerio ejusque fatis nonnulla diximus, cum Novembribus ſuperioris anni Calendis hiſtoriam generalium conciliorum, quæ eundem Autorem habet, recenſuimus. Plura ſuggerit hiſtoria cenſuræ adverſus *Andream Santarellum* latæ, & *Claudius Bartholomæus Moriſotus* in Epiſtola A. C. 1633, quo Richerius ſeptuagenario major obiit, ad *Curetum* ſcripta, in qua optimum virum, Romani Pontificis inſidiis, modo per ſatellites a Duce Eſpernonio immiſſos, e collegio Cardinalis Monachi abreptum, & carceri intruſum, ac ægre amicorum & Academiæ Pariſienſis interceſſione ad Senatum, in quo cauſam ſuam egregie peroravit, libertati ſuæ reſtitutum; modo in ædes *P. Joſephi* Capucini ad prandium & amica colloquia doloſe invitatum, & poſtmodum præſente Notario Apoſtolico, ad ſubſcribendam libelli ſui de eccleſiaſtica & politica poteſtate retractationem ſtrictis pugionibus adactum memorat. Hoc igitur lucubrationum ſuarum præmium Richerius tulit, ut, quod ipſe dicere ſolebat, in medio regno jura regni tuens velut exul fieret, & violentas manus metuens Collegio ſuo pedem efferre non auderet. At ne ſic quidem Richerii de ariſtocratico eccleſiæ regimine doctrina aboleri potuit; cui defendendæ & vindicandæ uſque adeo incubuit, ut plus

quam viginti ejus volumina ſe typis mandaturos ſpondeant, qui hoc quadripartitum vindiciarum opus ediderunt, eum in finem a Richerio collectum, ut Majores ſcholæ Pariſienſis opinioni ſuæ de regendis utriusque poteſtatis finibus conformes demonſtraret.

Primus igitur liber e publicis inſtrumentis, quid Facultas Theologica, Pariſienſis A. C. 1408 contra Fr. *Johannem de Gorello* Ord. Minorum A.C. 1429 contra Fr. *Johannem Sarraſia* Ord. Præd. qui ſolam Papalem poteſtatem de jure Divino & immediate a Chriſto inſtitutam eſſe, reliquas autē poteſtates & jurisdictiones eccleſiaſticas omnes a Papali dependere docuerat, A.C. 1482. contra Fr. *Johannem Angeli* Ord. Minorum, qui inter alia Papam totum Jus Canonicum deſtruere & novum ſancire poſſe aſſeruerat, ac A. C. 1516. contra *Claudium Cognatum* Ord. Prædicatorum, ejusque propoſitiones ſtatuerit, exponit, ac ejusdem Facultatis reſponſum A.C. 1497 *Carolo VIII* Franciæ Regi datum repetit, quo definitum fuit, Pontificem Romanum, ut ſingulis decenniis, maxime Eccleſiæ neceſſitate id exigente, generale concilium convocet, vi eccleſiaſticorum canonum teneri, & ſi id facere negligat, tunc Principes eccleſiaſticos & ſeculares, & inſigniores eccleſiæ Patres, nomine eccleſiæ univerſalis, concilium generale celebrare, & rebus eccleſiæ neceſſariis etiam ſine Papæ conſenſu providere poſſe.

Avitam hanc ſcholæ Pariſienſis doctrinam, abſolutæ Pontificis Romani monarchiæ e diametro adverſam, confirmant quatuor Sorbonicorum Doctorum opuſcula, quæ *ſecundo* libro continentur, ad tuendam *Philippi Pulchri* cauſam elucubrata, & iniquis *Bonifacii VIII* poſtulatis oppoſita. Primum inter ea locum obtinent, *Ægidii de Roma* Archiepiſcopi Bituricenſis quæſtio pro & contra Pontificiam poteſtatem in utramque partem diſputata, & Fratris *Johannis de Pariſiis* Ord. Præd. de poteſtate papali & regia tractatus, quem diſputatio inter clericum & militem, ſuper poteſtate Prælatis atque Principibus commiſſa, per modum dialogi incerto autore compoſita, & aliud anonymum ejusdem argumenti ſcriptum excipit.

Secundæ huic Vindiciarum parti, appendicis loco ſubjunctæ ſunt Pariſienſium quorundam Theologorum notæ in cenſuram Hungaricam, quibus quatuor propoſitiones a Clero Gallicano haud ita pridem aſſertæ defenduntur. Cum enim *Georgius Szelepcheny*, eccle-

ſiæ me-

ſiæ metropolitanæ Strigonienſis Archiepiſcopus & regni Hungariæ primas, in epiſtola Synodica ad univerſos & ſingulos Chriſti fideles, in regno Hungariæ conſtitutos, quatuor illas propoſitiones eo usque configendas & proſcribendas cenſuiſſet, donec infallibile Apoſtolicæ ſedis oraculum prodiret, Pariſienſes illi Theologi in hanc epiſtolam animadverſiones nonnullas ſtrictim ediderunt, & adductis variis Scripturæ, Patrum, Academiarum & ipſorum Pontificum teſtimoniis, doctrinam quatuor illis propoſitionibus contentam, nec novam, nec Chriſtianis auribus abſurdam eſſe demonſtrarunt; mirantes non modo *Labbeum* & *Coſſartium* in editione Conciliorum, quæ A. C. 1672 Pariſiis prodiit, in ſecundo tomo apparatus ad concilia p. 329. cum *Jacobatio* docere, quod Papæ Imperatores, Reges & quoscunque alios deponendi poteſtas competat, verum eos etiam, qui *Regiæ conciliorum collectioni*, in domo Regia & impenſis Regiis impreſſæ, præfuerunt, tom. 28. p. 676 dicere auſos, quod *Bonifacius VIII Philippum Pulchrum* juſte excommunicaverit.

Altera libri ſecundi appendix complectitur ſummam eorum, quæ acta ſunt Pariſiis A. C. 1611, in diſputatione Capituli Generalis Dominicanorum, Præſide Magiſtro *Coſma Morelles* Regente & Prof. P. conventus Colonienſis, & reſpondente *Wiberto Roſenbach* ejusdem conventus lectore agitata, quæ inter alias theſes articulos ſequentes continebat: 1. Romanum Pontificem in fide & moribus errare non poſſe. 2, in nullo caſu concilium eſſe ſupra Papam. 3. ad Papam pertinere, dubia conciliis proponere, deciſa confirmare vel infirmare &c. Quod cum Richerius Facultatis Pariſienſis Syndicus animadvertiſſet, cum aliis quibusdam ejusdem Facultatis Doctoribus in pergulas Dominicanas ſeſe contulit palam teſtatus, niſi publicum illud ſcandalum publica ſatisfactione elueretur, majorem Facultatis ſuæ Apparitorem Magiſtrum *Ludovicum de la Court* prædictis concluſionibus, ſeptimo, octavo, & nono articulo contentis publico nomine interceſſurum eſſe. Quid ad hæc reſponſum & circa theſes illas ulterius actum fuerit, vitandæ prolixitatis cauſa referre ſuperſedemus, & ad tertiam libri ſecundi appendicem properamus.

Exhibet ea Richerii teſtamentum A. C. 1630 impenſis Autoris Pariſiis editum, & nunc a Richerii fautoribus ea occaſione typis iterum mandatum, quod *Martinus Grandin*, cum d. 17. Martii A. C. 1683

de propoſitione, quam Curia Pariſienſis Facultati Theologicæ examinandam miſerat, ſententiam diceret, de Richerio multa a veritate aliena commentus fuerit, quæ ex hoc ejus teſtamento confutari posſint. Coronidis loco additur epiſtola a quodam Richerii amico Gallice ſcripta, quæ ejus noviſſima & in tuenda ſententia conſtantiam exponit.

Tertius liber nonnulla *Petri Alliaceni* & *Johannis Gerſonii* Cancellarii Pariſienſis, cujus opera integra Richerius A.C. 1606. novis typis excudi procuraverat, ſcripta ad has de poteſtate Papæ controverſias pertinentia, hoc ordine continet:

Magiſtri Petri de Alliaco Cardinalis Cameracenſis quæſtio in ſuis veſperiis: utrum Petri eccleſia lege reguletur? Ejusdem quæſtio de reſumpta, ſeu ſententiæ, quam in ſuis veſperiis, & uberius in prima ſua lectione ſupra Magiſtrum ſententiarum tractaverat, a quodam Theologiæ Magiſtro impugnatæ defenſio.

Ejusdem de eccleſiæ & Cardinalium autoritate liber, in concilio Conſtantienſi ſcriptus.

Johannis Gerſonii tractatus de poteſtate eccleſiaſtica & de origine juris & legum, Conſtantiæ tempore generalis concilii editus.

Ejusdem ſermo die 21. Jul. A.C. 1415 ſuper proceſſionibus faciendis pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna, in quo ponuntur duodecim concluſiones ſeu regulæ practicæ in ſacro generali Conſtantienſi concilio.

Ejusdem tractatus de ſtatibus eccleſiaſticis.

Ejusdem tractatus, quomodo & an liceat in cauſis fidei a ſummo Pontifice appellare, ſeu ejus judicium declinare.

Ejusdem reſolutio circa materiam excommunicationum & irregularitatum.

Ejusdem diſcusſio illius aſſertionis: ſententia Paſtoris etiam injuſta tenenda eſt.

Ejusdem tractatus de examinatione doctrinarum.

Ejusdem propoſitiones utiles ad exterminationem ſchiſmatis per viam concilii generalis.

Ejusdem libellus articulorum contra Petrum de Luna.

Ejusdem libellus de auferibilitate Papæ ab eccleſia.

Quartus & ultimus vindiciarum liber *Jacobi Almaini* quæſtio-

Digitized by Google

nem reſumptivam, ejusdemque libellum de autoritate eccleſiæ ſeu conciliorum *Cajetano* oppoſitum, & tractatum de poteſtate eccleſiaſtica & laica, nec non aliquas *Johannis Majoris* Doctoris Pariſienſis diſputationes, ex ejusdem in libros ſententiarum & in Matthæum commentariis excerptas, exhibet.

Ultimo loco cenſuræ quædam Facultatis Pariſienſis, antiquæ pariter & novæ, contra propoſitiones nonnullas *Nicolai Quadrigarii, Iohannis Munerii, Ludovici Coubont, Antonii de Dominis, Ludovici Cellotii, Franciſci Guillou, Iacobi de Vernant, Amedei Guimenei, & Andreæ Santarelli*, nec non excerpta e cenſura propoſitionis, de infallibili ſolius ſedis Apoſtolicæ in rebus fidei judicio, die 19 Maji ſuperioris anni 1683. facta, & paulo poſt publica autoritate peculiari libello, cujus argumentum ſtatim ſubjungemus, edita; item Richerii adverſus aliquos ejus calumniatores defenſio, & Richerianæ pro *Johanne Gerſonio* apologiæ epilogus accedunt.

CENSURA SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ Pariſienſis, ad dandum Senatui reſponſum lata in propoſitionem, de qua ille quæſierat, quid ipſa ſentiret.

Pariſiis excudebat Sebaſtianus Mabre-Cramoiſy Regis Typographus, *1683.* in 4.

Propoſitio, quam Senatus Pariſienſis d. 30. Januarii ſuperioris anni 1683 Facultati Theologicæ dijudicandam tradidit, ita ſe habet: *ad ſolam ſedem Apoſtolicam divino immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare.* Videtur autem deſumpta ex epiſtola ſynodica Archiepiſcopi Strigonienſis, quam ſecundo Richerianarum vindiciarum libro, una cum ſtricturis & animadverſionibus Theologorum quorundam, appendicis loco adtextam paulo ante diximus. In ea enim quatuor Clerici Gallicani propoſitiones eo usque configuntur & proſcribuntur, donec ſuper eas prodierit infallibile *Apoſtolicæ ſedis* oraculum, *ad quam ſolam* (en totidem verba) *divino & immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare.*

Hanc igitur propoſitionem cum Facultas Theologica a Syndico ſuo *M. Edmundo Pirot*, cui ea in publico Senatus conſeſſu porrecta fue-

fuerat, Calendis Februarii accepiſſet, aliquot Magiſtros delegit, qui eam expenderent, & quid de ea ſtatuendum videretur, poſtea referrent, quod Calendis Martii ab iis factum eſt. A quo tempore tribus prope menſibus, Martio, Aprili, Majo, comitiis frequentibus quadrageſies & quinquies habitis, omnes ac ſinguli propoſitionem illam diligenter expenderunt, & re mature deliberata tandem, perpetuam ſuam erga Romanam ſedem reverentiam præfati, propoſitionem iſtã, quatenus ab Epiſcopis & Conciliis etiam generalibus judicandi de fidei controverſiis autoritatem, quam immediate a Chriſto habent, excludit, temerariam, erroneam, praxi eccleſiæ adverſam, verbo Dei contrariam, & a Facultatis doctrina alienam eſſe cenſuerunt.

Ad confirmandum hoc reſponſum, a Facultate Theologica die 18 Maji in Sorbona datum & ſequenti die recognitum, ſubjiciuntur e publicis actis plures talium propoſitionum cenſuræ, ab eadem Facultate hoc & ſuperioribus ſeculis promulgatæ, illæ nimirum ipſæ, quas Richerius in primo vindiciarum libro, ejusque fautores in appendice libri quarti collegerunt; quamobrem earum catalogum hic denuo contexere ſupervacaneum exiſtimamus.

HISTOIRE ABBREGE'E DES MARTIRS FRANçois, du temps de la Reformation &c.

Sive

Compendium Hiſtoriæ Martyrum Gallicorum, tempore Reformationis; cum conſiderationibus & rationibus neceſſariis, quibus demonſtratur, quomodo illorum exempla imitari debeant, qui nunc perſecutionem patiuntur.

Amſtelodami, apud Andr. de Hoogenhuyſe, 1684 in 12.

SCopum libri hujus Autor (cui nomen ſuum ſupprimere placuit) breviter in ipſo titulo, dein uberius in monitis ad lectorem proponit. Præmittit etiam præfationis loco ejusdem argumenti concionem parænеticam, ex dicto *Matth. XVI 24, Hagæ Comitum, in Templo Gallo-belgico* habitam. In ſummo nempe periculo verſari ſcribit, Reformatos in Gallia, ut, quoniam non ſatis ex perſecutorum inſtituto & voto procedant, quæ hucusque adverſus illos duris & iniquis modis

modis intentata ſint, ad rigorem ſuppliciorum, rebellionis & alio prætextu progreſſus fiat, qualia olim exercita fuerint, quorumque jam initia facta eſſe tradit, capite plexis, qui cultum divinum negligere noluerunt, & in dirutorum templorum areis concionati ſunt. Ut igitur exemplis firmentur adverſus ingruentem ſævitiam fidelium animi, contemplandam eſſe ſuadet hiſtoriam martyrum, qui ſuperiori ſeculo ob doctrinam Evangelii (quæ tunc, in Gallia etiam, *Lutheraniſmus* vocabatur) vel combuſti, vel alio mortis genere crudeliter ſublati fuerint, cum propoſita vitæ optione, ejurare religionem reformatam & ad Romana ſacra redire nollent: His enim proprie *Martyrum*, ſive teſtium veritatis divinæ, titulum competere, non omnibus, qui perſecutionum tempore per tumultum & promiſcuas cædes interimuntur. Excerptum autem eſt compendium hoc ex *Martyrologio Gallico*, ante plus quam centum annos edito, incipitq; ab anno 1523. (præmiſſis tantum duobus antiquioribus caſibus, anno 1417, & 1436) & continuatur ad annum 1569. Poſtea enim, ſtabilito per edicta regia exercitio religionis reformatæ publico, hoc modo ſæviri deſitum eſt. Licet autem *Jacobus Severtus*, Theologus Sorbonicus, operi illi Martyrologico *Anti Martyrologium* oppoſuerit, *Lugduni* An. 1622 editum, admonitusque de eo fuerit compendii hujus autor; tam miſerum tamen & ineptum id ſcriptum eſſe ſtatuit, ut refutationem neutiquam mereatur: imo veritatem hiſtoriæ martyrum mirifice confirmet, cum adverſus facta ipſa, Martyrumq; conſtantiam, & ſuppliciorum crudelitatem, paucisſimis caſibus exceptis, nihil omnino habuerit, quod reponeret, ſed ſolummodo hæreſeos crimen crepet, & jure cæſos pronunciet. Itaque nihil aut parum inveniſſe ſe ait, quod ad illum librum regereret, cum de facto jam, non de jure quæratur. In eo vero diligentiam adhibuit non contemnendam Epitomator, ut ſuccincte & eleganter referret, quæ ex hiſtoria illa ad excitandum pietatis & patientiæ ſtudium, & conſtantiam adverſus imminentes acriores perſecutiones facere exiſtimavit, additis admonitionibus, & vituperatis artibus, quibus ab aliquot annis ad affligendos, & a profesſione religionis reformatæ avertendos homines in Gallia opera data fuit, & adhuc datur. Sed id ex aliis libris & relationibus ſatis ſuperque innotuit.

HISTOI-

HISTOIRE DE LA LIGUE par Monſieur Maimbourg. ſive Ludovici Maimburgii Hiſtoria Ligæ..

Lutetiæ 1684 in 4 & 12, apud Cramoyſium.

NOndum ceſſat hiſtorias ſcribere ſæpe jam nobis memoratus *Maimburgius;* prodit itaque hæc, quam titulus indicat, de factione illa Gallica famoſiſſima, quæ ſub ſpecie & nomine *ſanctæ Unionis ſive Ligæ*, pro religione Romana tuenda, ſuperiori ſeculo Pontificiis & Hiſpanicis auſpiciis conflata, regnum florentiſſimum in ſummas anguſtias adduxit. Egerunt de ea tot ſcriptores veteres ac recentes, ut Maimburgius non immerito veritus videatur, ne parum laudis ex compilatione rerum vulgatisſimarum reportaret: ſed inſtitutum ſuum ita defendit, ut non exiguæ induſtriæ eſſe dicat, ex aliis Autoribus novum quoddam opus concinnare, & inventionis, diſpoſitionis, & elocutionis artes oſtendere. Sequelam eſſe hanc hiſtoriam ait, hiſtoriæ ſuæ *de Calviniſmo*, & probaturum ſe eſſe confidit, Henrici IV evectionem ad regnum Galliæ non deberi Reformatis, qui id jactent, neque converſionem ejusdem Regis ad ſacra Romana, Ligæ; ſed utrumque hoc beneficium a Catholicis regiarum partium profectum eſſe. In narratione rerum autores margini adſcriptos ſequitur, &, quæ ex bibliothecis aut ſcriniis producit aut allegat, ſunt Diarium *Antonii Oiſellii* Advocati, qui Ligæ tempore Lutetiæ fuit, & Tabulæ quædam conjurationum, inter quas moderatior cæteris eſt, quæ in *Picardia* præeunte *Iacobo Humierio*, nobilitatis principe & *Peronæ* gubernatore, Anno 1577. inita p. 529. refertur. Id quoque ſæpe inculcat, bellum Ligiſticum minime ob religionem, licet prætenſa ea fuerit, ſed ob cauſas mere politicas, geſtum fuiſſe. At reformatorum fœdera & bella, rebellionis, ad opprimendam religionem Catholicam excitatæ, confidenter accuſat, iisque, propoſiti ſui tenax, quavis occaſione dicam ſcribit, aut laudatis, qui nunc adverſus eos adhibentur, converſionis modis minime (ut ipſi videtur) violentis, imo benignis & juſtis, interitum totius Sectæ denuo ominatur, Regique de ſpe hujus triumphi propediem adipiſcendi, magnifice gratulatur. Scribit

inter

inter alia, reformatos omnium hæreticorum crudeliſſimos & maledicentiſſimos fuiſſe, qui inimicos ſive vi & armis, ſive, cum id non poſſent, acerbisſimis conviriis, ſummaque & plus quam barbara ſævitia perſequerentur. Poſtremum hoc probare vult exemplo *Petri Victoris Cayeti*, miniſtri eccleſiæ reformatæ in aula Henrici IV. omnium, ut judicat, doctiſſimi, ſed qui poſtea religionem Romanam amplexus, Profeſſor Regius Linguarum Orientalium Pariſiis conſtitutus & ob id a ſociis olim ſuis plurimis conviriis impetitus fuerit. Ex hujus *hiſtoria novennali*, qua partium, quas deſeruerat, ſecreta detexit aut venditavit, paſſim deſumit, quibus res reformatorum in odium aut contemtum adducat. e. g. cum p. 680 commemorat, quomodo anno 1584 miniſtri Eccleſiarum reformatarum in Aquitania parati fuerint, proponente id legato Henrici III & ipſo Navarræ tunc Rege, omnibus controverſiis circa religionem renunciare, dum largis penſionibus & ſtipendiis ſibi proſpiceretur, nec alia cauſa tractatus illos effectu caruiſſe, quam quod pecunia ad præſtandum, quæ deſiderabantur, deeſſet. Ipſum etiam Navarræum Regem, poſtea Gallicum, de religione reformata, quam profitebatur, jam tum dubitaſſe, & objeciſſe miniſtris, nullam ſe in illa pietatis devotæ formam invenire, cum omnia in elegantia concionum Gallicarum conſiſterent, ſibique ſemper viſum eſſe, corpus Domini noſtri in ſacramento Cœnæ adeſſe: id enim alias pro ſimplici & externa ceremonia habendum fore. Inde factum, ut Rex iſte, cum inſtrui ſe in religione Romana anno 1593 ab Epiſcopis pateretur, in hoc articulo ſine difficultate aſſenſus fuerit Romano-Catholicis, poſtquam tres alios, nempe de *Invocatione Sanctorum*, de *Confeſſione auriculari* & de *Poteſtate Pontificis*, contra dubitationes, quas habebat, aſſeri intelligeret. At in ultimo Articulo, *de Pontificia Poteſtate*, ita fuiſſe informatum, quod ea tantum circa res pure ſpirituales, & plane a temporalibus ſeparatas, verſaretur. Hanc theſin in hoc libro, ubicunque occaſio datur, maſcule defendit autor, & Pontifici omne in Reges jus abjudicat, ut exiſtimandum ſit, ob hæc & alia liberius dicta, non magis evitaturum eſſe hunc librum cenſuram Romanam, quam alios quosdam ab autore hucusque editos. De rebus Germanicis haud multa in hac hiſtoria occurrunt; nec tamen deſunt inter ea, quæ emendationem admitterent, v. g. ubi *Fridericum Wurtembergicum* Ducem, fervidum

Calvinistam nominat, qui, ut constat, Augustanam confessionem sive *Lutheranismum* semper & cum zelo professus est. Dein de *Burggraviatus* dignitate promiscue dici nequit, quod inter maxime conspicuas Germaniæ censeatur. Sunt enim *Burggravii*, qui in Baronum & Comitum classe subsistunt; sunt, qui etiam in equestri ordine; pauci vero, veluti *Magdeburgensis* & *Norimbergensis*, Principum axioma habent. Sed hæc facile condonari possunt de rebus externis scribentibus.

HISTOIRE GENEALOGIQUE ET CHRONOLOgique des Dauphins de Viennois &c.

Historia Genealogico-Chronologica Delphinorum Viennensium, a Guiguone I usque ad Ludovicum V Ludovici Magni filium, Tabulis genealogicis Principumque insignibus exornata; auctore Domino de Caya.

Parisiis apud Steph. Michaletum, 1683. in 12.

Viennensium in Gallia Comitum, qui Delphini jam ab antiquo salutantur, Historiam adornaturus præsentis libelli auctor, in *Prolegomenis* de origine primum Comitatus illius disserit, eamque in seculum a nato Christo undecimum conjicit, quo Arelatense Regnum post Rudolphi ignavi ultimi Regis obitum, Germanico coaluit imperio. Nam ut alii tum in eo regno Principatus surrexerunt, proceribus ditiones, quibus regendis præfecti a Germaniæ Regibus erant, inter turbas bellicas paulatim patrimonio suo vindicantibus: ita eodem tempore eademque occasione Viennensem quoque Comitatum natum Auctor existimat, modicam Regni illius partem complexum; Delphinatus vero titulum a Comitissæ cujusdam Viennensis, *Delphinæ* dictæ, nomine proprio Comitatui illi accessisse memorans. Inde brevem ditionis hujus, quæ versus meridiem Provincia, versus occasum Vivariensi tractu, Septentrionem versus Bressia & Lugdunensi agro, versus ortum Sabaudia & Pedemontio terminatur, descriptionem exhibet, urbesque recenset, quarum præcipuæ *Gratianopolis* (Grenoble) princeps totius Delphinatus sedesque Parlamenti,

Ebro-

Digitized by

Ebrodunum (Ambrun) & *Vienna Allobrogum*, quarum illa superioris, hæc inferioris Delphinatus caput, utraque vero Archiepiscopatus sede illustris est. Denique qua ratione Delphinatui seculo decimo quinto *Comitatus Valentinus* accesserit, Carolo Delphino nimirum, qui VII ejus nominis inter Galliæ postea Reges fuit, a Ludovico Pictaviensi, Comite Valentino, hærede instituto, commemorat.

Opus ipsum quatuor Familiis, penes quas a prima origine usque ad hæc tempora Comitatus Viennensis seu Delphinatus possessio fuit, distinguitur. E *prima*, quam a Carolo M. derivare Auctor nititur, ordine sibi invicem successisse perhibentur *Guigo I, II, III*, & *IV*: quorum *Primus* tamen non Viennæ, sed provinciæ Gratianopolitanæ (de Graisivaudan) Comitem se dixit, *Alter* Comitis d' Albon titulum paterno adjunxit, *Tertius* Delphini cognomen primus gessit, & *Quartus* demum Viennensis Comitis titulum usurpavit, jure a Bertholdo Zeringensi acquisito. Nec prætereunda hic *Delphinatus Arverniæ* (quem hoc tempore Serenissima virgo, Anna Maria Ludovica Aurelianensis, *Madamoiselle de Montpensier* communiter dicta, possidet) origo. Nimirum Guiguonis III filia Beatrix, Roberto VI Arverniæ Comiti nupta fuit, ex quo conjugio natus filius, *Delphinus* salutatus est, ac ea Comitatus Arverniæ pars, quæ ex paterna ad eum hæreditate pervenit, Delphinatus titulo armisque insignita; eo tamen servato discriminine ut Viennenses Delphini delphinum vivum cum auribus rubentibus, Arverniæ vero mortuum cum auribus subalbidis in insignibus exhiberent.

Altera Delphinorum Viennensium (hos enim a Delphinis Arverniæ distinguendos esse, ex jam dictis patet) familia *Burgundica* fuit. Filia enim Guiguonis IV, qui a. 1163, non relicta mascula sobole decessit, Beatrix Hugoni III Burgundiæ Duci nupta, in filium *Andream* ex eo susceptum jus in Comitatum paternum transtulit. Huic vero ex Burgundica Domo in Delphinatu filius *Guigo V*, & illi pariter filius *Johannes I* successit; quo a. 1282. defuncto, quod liberos non reliquisset, ad aliam iterum familiã Delphinatus connubii jure transiit.

Nam Guiguonis V filia Anna, soror Johannis, Humberto Domino de la Tour du Pin in matrimonium collocata, *Turriæ* familiæ, quæ proinde *tertia* est, Delphinatum intulit, ex qua post *Humbertum* hunc I, filius ejus *Johannes II*, & nepotes *Guigo VI*, & *Humbertus II*

tus II, Delphinatum ordine tenuerunt. Humbertus vero hic II, vir alioquin magni animi, ut Regiam etiam dignitatem ambivisse dicatur, cum unicum filium tristi fato amisisset, præcipiti ex fenestra lapsu exstinctum, ac gravissimis præterea bellis a Sabaudiæ Comite affligeretur, ditionem suam potentiori cuidam Principi, a quo Sabaudi validius retunderentur, permittere decrevit. Ac primum quidem ad Clementem VI Papam, qui Avenione sedem habebat, adjecit animum, sed obnitente, nec Papam dominum patiente Equestri in Delphinatu ordine, ad Philippum Valesium Galliæ Regem se convertit, eique a. 1343 Delphinatum concessit, summam sibi 40000 Imperialium, ac annuam 2000 florenorum pensionem pactus, ea inter alias lege adjecta, ut primogeniti deinceps Galliæ Regum filii, simulac lucem aspexissent, titulum nomenque Delphini gererent, ac Franciæ insignibus, tribus nempe liliis in area cærulea, arma Delphinatus, delphinum scilicet cæruleum cum cristis & auribus rubeis in campo aureo, quadripartitim jungerent.

Sicque ad *quartam* familiam, *Regiam* nempe *Gallorum*, Delphinatus transiit. Tametsi enim Hubertus post mortem uxoris suæ mutasse sententiam visus est, animumque ad secundas nuptias spe prolis suscipiendæ adjecit, ab hoc tamen instituto dimotus, a. 1349 novis pactis ditionem omnem *Carolo* Johannis Normanniæ Ducis filio, Philippi Valesii Galliæ Regis nepoti, ejus postea inter Galliæ Reges nominis V, traditis Delphinatus insignibus, gladio Delphinali & vexillo S. Georgii cum sceptro & annulo, concessit; filio tamen suo naturali Amedeo Viennensi (cujus posteri hodieque superesse dicuntur, Domini *de Visan* dicti) annua pensione assignata. Ipse vero monasterium ingressus, ac in presbyterorum ordinem, ne relinquere vitam monasticam posset, receptus, & a Papa Patriarchatu Alexandriæ, nec non administratione Archiepiscopatus Rhemensis donatus, a. 1355 diem obiit. Hincque porro Auctor a Carolo V Galliæ Rege, primo ex hac familia Delphino, ad hæc nostra usque tempora Historiam Gallicam juxta Delphinorum seriem pertexit.

HISTOIRE DES TROIS DERNIERS EMPEreurs des Turcs. Depuis 1623 jusque à 1677. Traduite de l' Anglois du Sr. Ricaut.

id

id est,

Historia trium posteriorum Imperatorum Turcicorum ab a. 1623 ad 1677, ex Anglico Dn. Ricalti versa.

Parisiis 1683. in 8.

MEmorabilem Germaniæ, nostræque Saxoniæ, annum proxime elapsum, inter alias causas merito facere debet, *Vienna* ab infestissima Turcorum obsidione, auspiciis *Augustissimi Imperatoris*, nec sine Heroico auxilio *Serenissimi, Potentissimique Electoris Saxonici, Domini nostri Clementissimi*, maxime vero per singularem Divini numinis gratiam liberata. Tantarum rerum descriptio ut sine dubio multorum calamum occupabit, ita quæ merito metuitur, belli cum immanissimo hoste continuatio, ad diligenter considerandas res Turcicas, incitamento omnibus esse debet. De his insignem librum exhibemus, viri docti & eloquentis, qui pleraque a se relata suæ debet experientiæ, cum per annos bene multos legatis Britannicis ad aulam Turcicam missis, a secretis fuerit. Ejusdem est *Tractatus de præsenti Imperii Ottomannici statu*, qui Germanice ex Gallico versus, Diarii Europæi continuationi XXI, anno 1671 insertus est, & alius Latine & erudite scriptus, *de septem Ecclesiis in Apocalypsi memoratis*, quarum rudera miseranda autor inspexit & descripsit. In hac vero historia, quam excerptam damus, narrationem orditur ab anno 1623, cum *Amurathes IV* quatuordecim annorum puer, deposito a Prætorianis patruo *Mustapha* successit; tyrannus postea, suis quoque fere intolerabilis factus; qui tamen patrui lenitati & profusioni, qua imperium potentissimum pene destruxerat, contrarium vitium opponens, servati auctique dominatus causa fuit, dum stricto & plusquam herili imperandi modo, disciplinam & gloriam militarem restituit, & ærarium quod vacuum invenerat, quindecim auri millionibus impletum reliquit. Interea it eum, multis præliis servatum, & ætate florentem, immodicus vini usus, cui contra sectæ suæ præcepta, a transfuga Persa, quem ad intimam familiaritatem admiserat, incitatus indulsit, ita ut crapula anno 1640 suffocaretur. Hujus historia primam libri partem eamque brevissimam constituit. Altera *Ibrahimi* primum gesta, aut potius obscœnum otium, quo Sardanapali tupitudines æ-

 quavit

quavit aut vicit, paucis proponit. Frater is Amurathis erat, ex vinculis, in quibus mortem expectabat, & contra antecessoris testamentum, quo Tartarorum Principem fratri socordi prætulerat, in solium evectus; sed post annos octo, anno 1648, cum filiam summi sacerdotis, (Muphtin vocant.) vi rapuisset, in carcerem reductus, & quia id impatienter ferebat, strangulatus. Deinde initia filii & successoris ejus *Mahometis IV*, qui hucusque regnavit, usque ad annum 1662 referuntur. Pars tertia quinque annorum gesta a Mahomete usque ad annum 1666 completum, continet. Quarta usque ad annum 1677 incipientem progreditur. *Opus*, non minus quam de historia sua *Tacitus* profitetur, *opimum casibus, atrox præliis, discors seditionibus, ipsa quoq; pace sævum*: ut adeo legentibus propter rerum magnitudinem & varietatem, tum narrandi brevitatem & perspicuitatem, non possit non esse gratum & jucundum. Nec operam perdet, qui librum, hoc præsertim tempore utilissimum, Latine vel Germanice versum publico donaverit. Ut autem stimulus ad talem laborem accedat, & judicii nostri ratio appareat, pauca quædam, quæ præ aliis memoratu digna, aut ad capienda Christianis populis documenta, proficere visa sunt, hinc inde excerpta, non invito ut speramus lectore consignabimus.

Notum est, *Tartaros* Chersonesi Tauricæ incolas, sive *Præcopenses* vel *Crimæos*, maximum Turcicæ potentiæ adminiculum præstare, dum auxilia equestria, quo militiæ genere gentes alias longe antecellunt, quoties jubentur, submittunt. Hos tamen non ita, ut vulgo creditur, Turcis fidos, deditosque esse, apparet ex iis, quæ autor *Tom. I. p. 35. & seqq.* aliisque locis, de discordiis & aperta etiam hostilitate inter utrosque orta narrat, ut adeo desperandum non sit, Tartaros, si Christiani Principes industriam adhibeant, separari a Turcis, aut funditus everti posse; quod a Polonis Anno 1629 fieri potuisse memoratur, si victoria tunc parta uti scivissent.

Sæpe sed frustra deploratum fuit, discordia nostra Turcorum imperium, plus quam omni prudentia aut potentia illorum, stare & augeri. Id luculenter autor demonstrat. Legi possunt quæ *T. I. p. 55.* de amissa occasione debellandi Turcos anno 1630 observavit, cum ex caussis nunquam probandis, Principes Christiani arma tunc in se verterent, totamque inde Europam diuturno & exitiali bello implicarent.

Deinde

Deinde quantum damnum neglecta anno 1635, contra graviſſimum, quod refert, Hannibalis Gonzagæ conſilium, *Ragoſcii* defenſione, rei Hungaricæ & Chriſtianæ illatum, idemque altera vice peccatum ſit anno 1661, diſſimulata aut ſero nimis conſiderata *Varadini* validiſſimi ad Tranſylvaniam conſervandum propugnaculi, expugnatione. Agnoſci hoc dicit, & prædicari a Turcis, ut ſummum Dei erga *Muſulmannos* beneficium, quo fiat, ut interceſſione *Mahometis*, continuis diſſidiis Chriſtiani inter ſe committantur: & de hoc adeo confidere Turcos refert, ut pro fabulis habeant, ac ſalſe irrideant, & explodant, ſi quis Legatus de concordia & fœderibus Chriſtianorum aliquid proponat. Exemplum inſigne, ipſaque verba *Caimacani* (ita vocatur qui principis Purpuratorum abſentis vices gerit) quibus Legatum Venetum excepit, habentur *Tom. I. pag. 57*. Nec rationes & media Turcis deſunt, quibus ipſi ſimultates inter Chriſtianos ſerant & foveant; *vid. Tom. II. p. 292*.

Inter alias difficultates tractandi cum Turcis non minima ab *Interpretibus* naſcitur, qui ex Turcis aut Græcis ſumuntur. Sed eos adeo indigne & crudeliter habent miniſtri Turcici, ut ſi quid a legatis propoſitum fideliter & libere eloquantur, capitis periculum incurrant. Factum id (*Tom. I p. 68*) narrat anno 1632, interprete Gallicæ legationis palo infixo, & anno 1649, (*Tom. II. p. 231*) ſtrangulato, qui Veneto operam dabat: inde fieri dicit, ut non audeant maſcule & cum fide, legatorum dicta aut ſcripta interpretari, ſed pleraque emolliant, interpolent, aut caſtrent, unde tumor Barbarorum inflctur, & pactorum formulæ variis explicationibus ſubjaceant: propterea operæ pretium fore, ſi quantum ſatis eſt, impendatur ad juvenes noſtrates in lingua Turcica, Græca & Arabica inſtruendos, qui legationibus utiliora & fidelia officia præſtare poſſint. Magnam vero circumſpectionem adhibendam eſſe monet, ne intempeſtiva excandeſcentia, præſertim ubi minas exequendi non paratæ ſunt vires, exaſperentur magnates aulæ Ottomannicæ. Narrat, ut legatus quidam Anglicus, exemplar pactorum inter Sultanum & Regem, quod animi calore, dum cum purpurato diſceptabat, projecerat, iſte vero, commotionem diſſimulans ſublatum ſervaverat, non niſi multis precibus & mille quingentorum imperialium ſolutione recipere potuerit. Aliquando tamen maſcula verba multum fatetur profeciſſe, & Turcos

exco-

Digitized by Google

ex eorum genere esse, qui rogando fiunt deteriores, exemplo Legati Polonici confirmat *Tom. II. p. 189.*

Quicquid olim de fide Turcorum ab aliquibus jactatum est, experientia destruitur, ita quidem, ut quanto speciosius promittunt, tanto minus fidendum sit. Notabile est, ut Veneti quantumcunque cauti, ante bellum Creticum non blandis tantum verbis, & profunda dissimulatione decepti fuerint, sed & Legato sive Consuli, (Bailum vocant) omnis armorum suspicio exemta; missis ad eum monachis Turcicis, celeberrimæ sanctitatis, qui juramentis & diris execrationibus asseveravarent, nihil Venetis metuendum esse, quos tamen statim terra marique aggressi sunt, *Tom. II. p. 202.* Ita gens pessima fidem & religionem utilitati & nocendi nobis occasionibus omnino postponit. Eadem fraude usos esse tradit, cum ab anno 1661, usque ad annum 1663, per pacis tractatus Hungaros & Germanos deluderent, & cum conclusum pacis negotium esse videretur, copiæque Imperatoriæ vel exauctoratæ, vel aliorsum missæ essent, tum demum præcipitanter abrupta tractatione improvisi irruerent. *Tom. III p. 3. & seqq.*

Cæterum in narratione belli, ante annos hos viginti in Hungaria gesti, autor non sine acrimonia, de lentitudine consiliorum & auxiliorum, & de erroribus Cæsarei exercitus, ejusque ducum judicat, solum fere *Nicolaum Serinium*, ex quo Principem supremum facit, ultra modum laudans, (*vid. Tom. II. p. 288. Tom. III. p. 61 117.*) Victoriam ad Rabam flumen anno 1664 reportatam majorem fuisse scribit, *Tom. III. p. 100*, quam in Germania creditum fuit; periisse enim exemplo raro audito una illa pugna Turcorum *decem & septem millia*, tantamque consternationem inter Turcos fuisse, ut bellum, nisi intempestiva pax intervenisset, egregio cum successu continuari potuisset. Inter pacis vero conditiones hanc quoque recenset & improbat, quod Cæsar sexcenta aureorum millia, quæ *Michael Abaffi* Transylvaniæ Princeps, velandæ ignominæ causa, a se solvenda receperit, dependere Turcis debuerit, *d. l. p 112. sq.* Hoc cum inter publicatas pacis leges, quod sciamus, non reperiatur, fide stat autoris, cui forte a Turcis, vanis & mendacibus, impositum est. Male etiam stetisse pactis illis Turcos notat, excursiones maximas continuantes, easque conquerentibus ministris Cæsareis ita excusantes, quod pax non rumpatur, si agmen per quod prædæ aguntur, non sit supra numerum quinque millium, aut tormenta bellica non adhibeantur, *d. l. p. 146.*

Ad

Digitized by Google

Ad intelligendam legem & religionem Mahometanam pertinet, quod narratur de decreto, (Fetſam vocant) a *Muphti* adverſus *Ibrahimum Sultanum* anno 1648 publicato; nempe quod quilibet Sultanus accuſantibus eum de tyrannide vel incapacitate ſubditis, in judicio reſpondere teneatur, idque ter repetitum, & in contumacem Imperatorem executioni mandatum fuit. *Tom.II.p.225.* Quæ non ſatis congruunt, cum ſummo illo & illimitato dominatu, quem ſibi arrogant Sultani, & qui in tractatu hujus auctoris de *præſenti ſtatu Imperii Ottomannici*, *Cap. I*, ex doctorum Mahometicorum ſententia confirmatur. Aliud non minus notabile de precibus tempore publicæ calamitatis, non attento religionis diſcrimine, inſtitui ſolitis, refertur. Cum enim peſtis Conſtantinopoli ultra modum graſſatur, non ſolum Turci cum ſacerdotibus ſuis, ſed & Chriſtiani, Græci & Armenii, cum patriarchis in loco ſpatioſo, qui Hippodromus vocatur, ad preces faciendas ſimul congregantur. *vid. Tom II.p 295.* pro belli vero ſucceſſu ſoli, ut videtur, Turci orant. Controverſia tamen de loco precum anno 1664 inter Muphtin, & monachum, quem *Schegk* vocant, prædicatorem aulæ, incidit: illo in publico, hoc in templis orandum eſſe contendente; prævaluit aulicus, & Muphtis revocare ſententiam vi adactus, quique eam acriter defenderat monachus ſive *Schegk* alius, in exilium pulſus fuit. *Tom.III.p.70.*

Novo plane exemplo a.1661 factum eſt, ut Purpurati primarii, *Mahometis Kiuperli* filius *Achmetes* vivo parenti in tanto munere ſucceſſor ab Imperatore deſtinaretur, juvenis licet, nec bello expertus, ſed in legum patriarum ſtudio & negotiis Cancellariæ educatus. Datum id parentis meritis & induſtriæ filii, quam patris loco, ſenium obtendentis, in aula, ad expedienda negotia, relictus Sultano probaverat. Ita pater, raro etiam hactenus caſu, morte naturali paulo poſt obiit, cum de tribus his Imperatorem monuiſſet: (1.) ut nunquam fœminarum conſilium admitteret. (2.) ut ærarium ſuum etiam cum aggravatione populi ſemper haberet repletiſſimum. (3.) ut continuo bellis operam daret, militesque exerceret. *vid. Tom. II.p. 296. & ſeqq.* Uxor defuncti, fœmina callidiſſima, & maritum & filium juvenem conſiliis juviſſe perhibetur, creditaque eſt vulgo incantationibus aut philtris animos hominum permoviſſe. *vid. Tom.III.p. 118.* Guilleterius vel *Guilletus*, aut quisquis autor eſt deſcriptionis *Athenarum* A. 1676

Q publi-

publicatæ, modum quo *Achmetes* ad paternam dignitatem aſcenderit, artificio matris ſingulari adſcribit, ut legi poteſt libri ejus *Part. IV.* Sed iſta & alia ab autorę illo tradita *Jacobus Sponius* Turcicarum rerũ non imperitus in fabularum dulcedinem flexa eſſe opinatur, eaque conjectura hiſtorici hujus Anglici relationibus cum ſcriptis Guilleti collatis firmari videtur. Quanta vero autoritate & gratia apud herum fuerit *Achmetes* iſte, qui bellum Anno 1663 Hungariæ intulit, multis exemplis Autor oſtendit; nam abſente aut inſcio Purpurato miniſter nullus quidquam negotii cum exteris tractare aut concludere audebat, etſi jubente Imperatore. *v. Tom. III. p 319.* at qui a matre Sultani, Achmeti infenſiſſima, ſubornati, aut ſua invidia inflammati, detrahere illi conati ſunt, ſibi ipſis exitium procurarunt. Inter alios maxime memorabilis fuit *Samozades* ſecretorum princeps ſive Cancellarius, (*Reis Effendi* vocant,) vir, cui ſimilem, rerum agendarum peritia, Turcia vix putatur habuiſſe. Hic dum Achmeti initia obſidionis *Neuheuſelianæ* non procederent, occaſionem calumniandi purpuratum, ut togatum & literatum, inveniſſe ſe ratus, epiſtola ad eunuchum in aula gratioſum ſcripta ſuadere auſus eſt Sultano, ut Achmeti ſucceſſorem immitteret, & quidem generum ſuum nomine *Ibrahimum.* Verum Imperator literas illas Achmeti miſit, & decernendi de æmulis poteſtatem fecit. Is igitur ſocerum & generum ſine ulla mora ſibi ſiſti & capite plecti juſſit, bonis eorum fiſco addictis. Mirum vero dictu, & documento eſt tum opulentiæ Turcicæ, tum rapacitatis miniſtrorum, quod *Samozades* iſte *tres milliones Imperialium* paratæ pecuniæ reliquerit, cujus indicium filio ejus per tormenta extortum fuit. Habuit etiam mille & ſexcentos camelos: ſexcentos equos optimos & militares, non computatis jumentis: cingula argentea quatermille: pugiones, quorum plerique gemmis pretioſis ornati erant, trecentos: nonaginta veſtes, pellibus martium Scythicarum ſuffultas, quarum ſingulæ mille Imperialium pretio æſtimabantur, aliaque innumera. *vid. Tom. III. pag. 18. 19. 20.*

Achmetes vero purpuratus vino, præter morem gentis, immoderate ſe ingurgitans, & inde hydrope correptus, obiit anno 1676, & ſucceſſorem habuit affinem ſuum eundemque vicarium ſive *Caimacanum*, cui nomen *Kara Muſtapha.* Is ob modeſtiam & humanitatem hucusque laudatus, obtenta ſumma dignitate, nudavit animum; & aulæ faciem, quæ ſub Achmete benigna erat, torvam & inviſam faſtu & auſteri-

auſteritate ſua effecit: detracto etiam aliqua ex parte legatis exteris, quo ante fruebantur, honore, nec quidquam attentis eorum querelis.

Pſeudo-Meſſiæ Judæorum, qui *Sabatai Sefi* vocabatur, hiſtoria accurate expoſita eſt *Tom. IV. 169. & ſeqq.* Huic vaticinia veteris Teſtamenti applicabant, & præcurſori ejus Eliæ imaginario, dapes inſtruebant, reſiſtentibus tamen ſapientioribus, quorum literæ credulitati plebis oppoſitæ, *p. 200. & 204.* exhibentur. Narratur etiam, ut ad impoſtoris illius exemplum non pauci Judæi Mahometiſmum ſint amplexi; quidam tamen nihilominus verum Meſſiam fuiſſe, & ſubſtituto, qui Turcis fucum faceret, per miraculum in locum ſuum alio, rediturum in tempore fore ſibi perſuaſerint.

Monachi Franciſcani, qui hucusque cuſtodiam ſepulchri Servatoris, quod Hieroſolymis oſtenditur, indulgentibus Turcis habuerant, cum Græcis tamen ſemper rixantes, horum artibus & *Panajoti* Interpretis Græci apud purpuratum favore, anno 1674 ab illa dejecti ſunt, non ſine ſanguine certantium inter ſe monachorum: nec juvit Latinos querela ad aulam Sultani delata, nec Legati Gallici officium, quin cauſa pluries cognita ſemper pro Græcis decideretur. *pag. 347. & ſeqq.*

ΑΡΡΙΑΝΟΥ ΤΑΚΤΙΚΑ, ΠΕΡΙΠΛΟΙ, ΚΥΝΗΓΕΤΙΚΟΣ, *καὶ Ἐπικτήτου ἐγχειρίδιον.*

hoc eſt,

ARRIANI TACTICA, PERIPLI, LIBER DE venatione: Epicteti enchiridium, & alia: edente NICOLAO BLANCARDO Zelandiæ Ordinum Hiſtoriographo & in Academia Franekerana Profeſſore publico.

Amſtelodami apud Waesbergios, 1683 in 8.

Compluſculos Arriani Nicomedienſis libellos, qui ſuperſtites ex longævi temporis naufragio, in quo plures periere, ad noſtram ætatem pervenerunt, hoc volumen exhibet. Hic φιλόσοφος τὴν ἐπιστήμην, εἷς τῶν ὁμιλητῶν Ἐπικτήτου, dicente Photio p. 54 edit.

Schotti,

Schotti, & Luciano in Pſeudomante p. 474 edit. Bourdelotii cenſente, ὁ τοῦ Ἐπικτήτου μαθητὴς, ἀνὴρ Ῥωμαίων ἐν τοῖς πρώτοις, καὶ παιδείᾳ παρ' ὅλον τὸν βίον συγγενόμενος, Hadriani & Antonini Pii ac Marci Antonini Imppp. temporibus vivens, ad conſularem tandem dignitatem, poſtquam alios in republica magiſtratus geſſiſſet, evectus, excellentiſſimi Philoſophi, inſignis Hiſtorici, præſtantiſſimi (ut quidam arbitrantur) Jureconſulti, & fortiſſimi Ducis militaris laudem ſuſtinuit. Quam non immerito ipſi fuiſſe tributam, operum ejus oſtendunt fragmenta, elegantia non magis rerum quam dulcedine ſermonis (ob quam alter & novus fuit dictus Xenophon, memorante Photio l.c) quæ ſe commendant. Major autem longe ipſum manebat gloria, ſi ad nos perveniſſent a Photio indicati *Parthicorum* libri ſeptendecim, in quibus bella a Parthis & Romanis ductu & auſpiciis Trajani Imperatoris geſta deſcripſit; *Bithynicorum* item, in quibus patriæ ſuæ hiſtoriam pretexuit, & *Alanicorum* commentarii, quos l. c. & p. 218 citat Photius; tum *vita Tillibori latronis*, a Luciano in Pſeudom. ſeu Alexandro pag. 474. indicata; nec non *de rebus Dionyſii* Syracuſarum tyranni; & alius *de Timoleontis Corinthii in Sicilia geſtis* liber Photio citatus; & decem *de rebus poſt Alexandrum geſtis* libri, quorum argumentum idem tmemate XCII. p. 215. ſqq enarrat.

Quæ induſtriæ Arriani monumenta omnia, & his forte plura, cum interciderint, deque iis vix tituli, a Suida & Photio conſervati, reſtent: librorum qui ſuperſunt tanto accuratiorem rationem ſibi habendam putavit Blancardus, ſeptemque περὶ ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου ſive *de expeditione Alexandri Magni* libros, cum octavo, qui *Indicorum* nomine inſignitur, anno 1668 emiſit in publicum, cum interpretatione Latina Bonaventuræ Vulcanii, & ſubſtratis cuilibet paginæ notis: quarum tamen exiguam laudem ab acerrimo cenſore Jac. Gronovio Supplem. in Arrian. p. 160 161 tulit. Reliquis autem Arriani opuſculis, quæ extant, omnibus (præter quatuor *de diſſertationibus Epicteti* libros a Jacobo Schegkio Baſileæ 15534, & Hieronymo Wolffio ibidem 1560 editos, Coloniæ 1595 recuſos) in unum volumen compingendis ſuperioribus annis idem ſtuduit. Primo loco *Tactica*, ſive de ſcientia rei militaris ac inſtruendæ aciei commentarium Arriani collocavit, exhibens editionem Joannis Schefferi Upſaliæ anno 1664 evul-

evulgatam, cujus etiam annotationes textui ſubſtravit; adjecta deſcriptione *aciei contra Alanos* inſtructæ, quam & ipſam Schefferus Tacticis junxerat. Secundo & tertio loco *Periplum Ponti Euxini* p. 109, & *Erythræi* p. 139, cum tabulis chorographicis Ortelii & interpretatione Jo Guil. Stucki, ejusdem editionem Genevenſem anni 1577 ſecutus, poſuit. Quartum Κυνηγετικὸς ſive *de venatione* liber, ac Holſtenio Pariſiis anno 1644 antehac editus, tenet: cui ſubjecit Henrici Stephani nonnulla, quæ ad intelligenda quædam ejus loca faciunt, ſchediaſmata. Epicteto autem, philoſopho Stoico, addictiſſimus cum fuerit Arrianus, eiusque διατριβὰς, διαλέξεις, λόγους & περὶ τοῦ βίου τοῦ Ἐπικτήτου καὶ τῆς αὐτοῦ τελευτῆς commentarium ſcripſerit: (de quibus legendus Salmaſius ad Simplicium) non ſolum Diſſertationes, quas obiter in via, domo, ſchola, doctor iſte habuit, collegit ac digeſſit; ſed ex iiſdem epitomen concinnavit, cui Stoicæ philoſophiæ velut animam includeret, dicente Lipſio, ſelectis iſtius philoſophiæ locis maxime neceſſariis & animos vehementisſime permoventibus: quem libellum Ἐγχειρίδιον Ἐπικτήτου inſcripſit, quod ad manum ſemper & in promptu cuivis eſſe debeat. Hoc *Enchiridium* cum interpretatione Hier. Wolffii & Angeli Politiani, eorumque notis, & Merici Caſauboni, Snecani, & Abrahami Berkelii animadverſionibus, ac Græca paraphraſi incerti auctoris, quæ & ipſa Caſauboni notis illuſtrata eſt, quinto loco exhibetur; ſubjunctis Epicteti apophthegmatibus & fragmentis elogiisque, quæ editor ex Stobæi eclogis moralibus, Marci Aurelii Antonini libris, & Auli Gellii Noctibus Atticis petiit.

CYLINDRI AD INSCRIPTAM SPHÆRAM, PARALLElogrammi ad Triangulum, & Parallelepipedi ad pyramidem ejusdem altitudinis & baſeos, proportio, nova arithmetica infinitorum methodo oſtenſa.

Excerpta ex literis viri clariſſimi, Joannis Chriſtophori Sturmii, Lipſiam ſcriptis Kal. Febr. anno 1684.

QUandoquidem experimentum ejus rei, quam circa variationem declinationis magneticæ præciſius obſervandam propoſuit Dn. Hautefeuille, capere commode propter inclementiam hyemis, tuoque

que adeo ſatisfacere deſiderio, nondum licuit, aliud interim qualiumcunque cogitatorum meorum, quæ in Euclidis & Archimedis Elementis Geometricis conciſius, directius & oſtenſive magis demonſtrandis nunc occupantur, eo communicare magis auſus ſum, quod obiter hiſce diebus Acta apud vos edita percurrens, obſervarem, in demonſtranda proportione cylindri ad inſcriptam ſphæram, parallelogrammi ad triangulum, & parallelepipedi ad pyramidem ejusdem baſeos & altitudinis, eodem fere me nixum eſſe principio, quod exempli loco Nobiliſſimus Dn. Leibnitius Actorum anno I (qui fuit 1682) menſe Febr. p. 45. adduxerat; atque adeoque ſpes eſſet, ut acutisſimi hujus viri aliorumve ejus ſimilium accurato judicio, aut confirmaretur hæc mea demonſtrandi ratio, aut, ſicubi forte deficiat, de eo mature ſubmonerer.

Ad demonſtrandum igitur primo, *quod parallelogrammum*
TAB. IV. *ABCD (Fig. I) ad Triang. ABC ſe habeat ut 2 ad 1;* pro altitudine communi BC ponendo *a*, pro baſi AB *ea*, & altitudine diviſa in 4 partes æquales, triangulo dato totidem circumſcribo parallelogramma BF, EH, GK & IL, quorum areas (altitudinibus æqualibus in baſes ex proportione facile notas ductis) has ordine reperio $\frac{4}{16}$ eaa, $\frac{3}{16}$ eaa, $\frac{2}{16}$ eaa, & $\frac{1}{16}$ eaa; ſummamque adeo $\frac{10}{16}$ eaa, ſ. $\frac{5}{8}$ eaa: ita ut parallelogrammum totum, quod eſt $\frac{16}{16}$ ſ. $\frac{8}{8}$ eaa, ad omnia hæc circumſcripta ſe habeat ut 8 ad 5, h. e. (utrinque dividendo per 4) ut 2 ad $1\frac{1}{4}$, h. e. ut AB, ad AC + CD, in lin. ad Fig. I. Porro vero nunc biſecando altitudines BE, EG &c. octo alia produco parallelogramma, Bd, co, Ef, &c. eorundemque areas eodem quo ante modo (altera nunc vice obſervans, *ea ordine exprimi totidem fractionibus quarum numeratores ab 1 ordine naturali creſcunt, denominator autem communis eſt quadratum numeri partium in altitudine BC*) invenio $\frac{8}{64}$, $\frac{7}{64}$, $\frac{6}{64}$, $\frac{5}{64}$, $\frac{4}{64}$, $\frac{3}{64}$, $\frac{2}{64}$, $\frac{1}{64}$ eaa, cum totum parallelogrammum ſit $\frac{64}{64}$ eaa, adeoque hoc unum ad illa ſimul ſumpta ſe habeat ut 64 ad 36, h. e. (utrinque dividendo per 32) ut 2 ad $1\frac{1}{8}$, ſive ut AB linea, ad AC + CE. Similiter ulterius biſecando, cum parallelogrammum totum ad circumſcripta reliqua reperiatur hac tertia vice eſſe ut 2 ad $1\frac{1}{16}$, ſive ut AB, ad AC + CF, & ſic in infinitum, exceſſibus CD, CE, CF, &c. perpetuo decreſcentibus in ratione ſubdupla, & parallelogrammis circumſcriptis æque ad triangulum, ac exceſſus illi ad punctum C, ſemper propius

Digitized by Google

Digitized by Google

pius accedentibus, nec illos tamen limites supergredi unquam valentibus; secure tandem inferre licebit, esse parallelogrammum ABCD ad triangulum ABC, ut linea AB ad AC; h. e. ut 2 ad 1. Quæ quidem veritas, tametsi multo facilius ac brevius demonstrari a nobis possit, imo ex trianguli quadam genesi tanquam consectarium fluat, hoc modo tamen demonstrata facem quodammodo præferre potest sequentibus.

Secundo igitur ut similiter demonstrem, *parallelepipedum BF ad pyramidem ABCDE (Fig. II) se habere ut 3 ad 1*, divisa communi altitudine CE in 3 partes æquales, & pro illa ponendo *a*, pro longitudine baseos *b*, pro latitudine *c*, ut soliditas totius parallelepipedi sit *abc*, reperio circumscripta pyramidi tria parallelepipeda BX, bx, βξ, super tribus basibus ABCD, abcd, αβγδ, æqualia $\frac{9}{27}abc$, $\frac{4}{27}abc$, & $\frac{1}{27}abc$, ad summam $\frac{14}{27}abc$; ita ut totum parallel. BF ad partialium horum summam se habeat, ut 27 ad 14, sive (utrinque dividendo per 9) ut 3 ad $1\frac{5}{9}$ h. e. ut AB ad AC † CD in linea ad Fig. II. spectante. Bisecando vero porro altitudines tres priores, produco parallelepipeda pyramidi circumscripta sex, eorundemque capacitates singulas (observans nimirum, *has exprimi totidem fractionibus, quarum numeratores ab 1 per numeros quadratos ordine ascendunt, denominator autem communis est cubus numeri partium in altitudine CE*) reperio $\frac{36}{216}$, $\frac{25}{216}$, $\frac{16}{216}$, $\frac{9}{216}$, $\frac{4}{216}$, $\frac{1}{216}abc$, ad summam $\frac{91}{216}abc$, cum totum parallelepipedum sit $\frac{216}{216}abc$, adeoque hoc ad illorum summam se habeat ut 216 ad 91, h. e. (utrinque dividendo per 72) ut 3 ad $1\frac{19}{72}$, sive ut AB ad AC + CE; dum superior proportio fuerat, ut 3 ad $1\frac{40}{72}$, adeoque excessus prior CD hac vice decrevit $\frac{1}{72}$ plus quam dimidio. Similiter igitur ulterius bisecando, cum parallelepipedum totum ad omnia circumscripta reperiam esse ut 3 ad $1\frac{37}{288}$ h. e. ut AB ad AC + CF, dum superior proportio fuerit ut 3 ad $1\frac{76}{288}$ excessum priorem CE hac vice decruisse video $\frac{1}{288}$ plusquam dimidio, adeoque decrementum posterius ultra dimidium esse prioris $\frac{1}{4}$ &c. Quamobrem & hæc decrementa ultra dimidium infinito progressu in ipsa dimidia, & dimidiorum dimidia tandem in ipsum punctum C (quod supergredi certe non possunt) terminari evidenter cognosco, indeque concludo: parallelepipedum esse ad pyramidem, ut AB ad AC, h. e. ut 3 ad 1.

Tertio ut evincam id quoque, quod est principale meum propositum,

poſitum, *cylindrum quemvis ad globum inſcriptum ſe habere ut 3 ad 2*; pro communi diametro ponendo *a*, & ejus quadrato *aa* pro baſi circumſcripti cubi ſive cylindri (parallelepipeda enim hic pro cylindris ponere licebit, cum ſit utrorumque eadem proportio) communemque hemiſphærii ac ſemicylindri altitudinem dividendo in 3 partes æquales, primi cylindri partialis baſis AB (quæ jam non lineam, ſed quadratum aut circulum notat in Fig. III) erit $\frac{9}{9}aa$, ſecundi CD $\frac{8}{9}aa$, tertii EF $\frac{5}{9}aa$, atque adeo (multiplicando has baſes per altitudines æquales $\frac{1}{3}a$) primus cylindrus $\frac{9}{27}a^3$, ſecundus $\frac{8}{27}a^3$, tertius $\frac{5}{27}a^3$, ad ſummam $\frac{22}{27}a^3$, cum totus cylindrus ſit $\frac{27}{27}a^3$, adeoque hic ad illorum ſummam ut 27 ad 22, h. e. (utrobique dividendo per 9) ut 3 ad $2\frac{4}{9}$, h. e. ut AB ad AC † CD, in linea ad Fig. III. Biſecando jam porro altitudines omnes, proveniunt cylindri partiales ſex, habentes ſe ut 36, 35, 32, 27, 20 & 11 (*Prima enim baſis & ejus cylindrus ſemper eſt ut numerus quadratus partium altitudinis, ſequentes vero decreſcunt ſecundum numeros impares*) *cum totus cylindrus ſit* ut 216, h. e. *ut cubus partium altitudinis*, adeoque ad partialium illorum ſummam ſe habeat ut 216 ad 161, h. e. (dividendo utrobique per 72) ut 3 ad $2\frac{17}{72}$, nempe ut AB ad AC † CE in linea AB. Ita vero continuando biſectiones, reperio plures ejuſmodi rationes ſubſequentibus conditionibus:

Prima ratio AB ad AC † CD eſt ut 3 ad $2\frac{512}{1152}$ ʃ
Secunda AB ad AC † CE, ut 3 ad $2\frac{272}{1152}$ ʃ
Tertia AB ad AC † CF ut 3 ad $2\frac{140}{1152}$ ʃ
Quarta ut 3 ad $2\frac{71}{1152}$
ʃ Sive dividendo per 16, ad $2\frac{32}{72}$
ʃ hoc eſt dividendo per 4, ad $2\frac{68}{288}$, i. e. div. per 4, ad $2\frac{17}{72}$
ʃ ad $2\frac{35}{288}$

Ex quibus apparet, hoc loco ſecundam rationem decreviſſe $\frac{1}{72}$ infra dimidium exceſſus CD, tertiam $\frac{1}{288}$ infra dimidium CE, quartam $\frac{1}{1152}$ infra dimidium CF &c. ſemperque adeo particulam infra dimidium in decremento poſteriore eſſe præcedentis $\frac{1}{4}$ &c. Quamobrem & hæc decrementa infinito progreſſu in ipſa dimidia, & dimidiorum dimidia in ipſum punctum C (quod ſupergredi nunquam poſſunt) incidere neceſſum erit, indeque concludendum: cylindrum eſſe ad ſphæram ſibi inſcriptam, ut AB ad AC, h. e. ut 3 ad 2.

Nam

Digitized by Google

Non inficior, aliqua in his demonſtrationibus ſupponi, quæ deducta eas prolixiores redderent: ſed ſi & iſta, & multa alia, quæ hic in unam demonſtrationem congeſta ſunt, per ſeparatas propoſitiones, ſuo quæque loco, more geometrico prius eſſent (uti poſſunt) oſtenſa, hæ quoque ſua brevitate & veritatis directa magis & quaſi experimentali exhibitione gratiores eſſent futuræ; cumprimis autem uſu multiplici in deducendis pluribus aliis nullo negotio veritatibus, quibus demonſtrandis alias integros inſumere libros oportuit.

Etenim, (ut hujus rei breve adhuc ſubjungam ſpecimen) oſtenſa ſemel illa cylindri ad ſphæram proportione, ſequitur ſua ſponte in

Conſectar. 1. ſphæræ ſoliditas & ſuperficies. Poſito enim pro diam. cylindri & ſphæræ *a*, & pro circumf. *ea*, baſeos area erit (ex alio fundamento facillime demonſtrando) $\frac{1}{4}$ *eaa*; quæ multiplicata per diam. dabit $\frac{1}{4}$ *ea*^{3}, pro cylindro. Jam ut 3 ad 2, ſic $\frac{1}{4}$ *ea*^{3} ad $\frac{1}{6}$ ea ^{3}, ſoliditatem ſphæræ: quæ, cum proveniat ex multiplicatione $\frac{1}{6}$ diam. in ſuperficiem (quod planisſime rurſus & facile oſtendi poteſt) diviſa per $\frac{1}{6}$ *a*, dat ſuperficiem ſphæræ *eaa*.

Conſect. 2. Erit igitur ſphæræ ſuperficies *eaa* manifeſto quadrupla areæ circuli maximi, quæ erat $\frac{1}{4}$ *eaa*.

Conſect. 3. Cum Cylindri ſuperficies, excluſis baſibus, proveniat ex altitudine *a* in ambitum baſeos *ea*, ſitque adeo *eaa*, patet ſuperficiem cylindricam ſolam eſſe æqualem ſuperficiei ſphæræ.

Conſect. 4. Additis autem duabus baſibus, quarum utraque eſt $\frac{1}{4}$ *eaa*, erit ſuperficies cylindrica univerſa 1$\frac{1}{2}$ *eaa*, adeoque ad ſuperficiem ſphæræ *eaa* ſesquialtera.

Conſect. 5. Cum diametri quadratum ſit *aa*, & area circuli $\frac{1}{4}$ *eaa*, erit illud ad hanc ut *a* ad $\frac{1}{4}$ *ea*, h.e. ut diameter ad quartam partem circumferentiæ.

Conſect. 6. Cum conus ſit tertia pars cylindri ejusdem baſeos & altitudinis, area circularis baſeos $\frac{1}{4}$ *eaa* multiplicata in $\frac{1}{3}$ *a*, dat coni ſoliditatem $\frac{1}{12}$ *ea* ^{3}, cum ſphæræ ſoliditas fuiſſet $\frac{1}{6}$ *ea* ^{3}. Eſt ergo conus ad ſphæram ut 1 ad 2, adeoque conus, ſphæra & cylindrus ut 1, 2, 3.

ORDONNANCE DES CINQ ESPECES DE COlonnes, selon la methode des anciens, par M. Perrault de l'Academie Roayle de sciences.

hoc est,

Claudii Perraltii Ordinatio quinque specierum Columnarum, juxta methodum Veterum.

Parisiis apud Joannem Bapt. Coignardum, 1683 in fol.

PRodiere ante hos decem annos, auspiciis *Illustrissimi Colberti*, magni nuper regis Galliarum ministri, *Marci Vitruvii*, Scriptoris Romani clarissimi, *sex de Architectura libri*, Gallico idiomate tersissime descripti, & notis adjectis, figurisque elegantissimis exornati, opera *Claudii Perraltii, e Regia scientiarum Academia, & Facultatis Medicæ Doctoris.* Quibus cum ad plenam omnibusque partibus absolutam tractationem quinque ordinum Columnarum, deesse multa *doctissimus Vir* deprehenderet; recens hoc Opus velut in supplementum adjecit eorum, quæ in libris Vitruvianis circa hoc argumentum poterant desiderari. Depulsis enim ab autore isto, quibus hinc inde profundissime condebatur, tenebris, lucique suæ restitutis principiis & præceptis Architectonicæ, miraculisque temporum lapsorum inibi descriptis: superesse adhuc censuit *Perraltius*, ut remedium etiam quæreret tollendis difficultatibus & confusioni, in quibus scriptores recentiores maximam partem eorum, quæ ad doctrinam Columnarum spectant, ita reliquerant, ut nulla fere iis ordinandis restaret constans regula; commissis inter se varie autoribus, de proportione bellis his partibus constituenda, a quibus splendor & majestas pendet operum magnificorum.

Reconcinnandis autem proportionibus ipsarum Columnarum, earundemque partium, sub Architectorum dissidio hucusque tantopere laborantium, fundamenti loco insigne Paradoxon, in *Præfatione Operis*, præstruit *Autor*: quo utut omnem proportionum struem convellere videatur (has quippe plerasque a solo arbitrio derivat Architectorum; lubricas proinde & mutationibus obnoxias) nihilominus tamen rationes earum ita munit, ut constantiæ legum architectonicarum optime censendus sit consuluisse.

Has

Has enim, ait, creditas antiquitus fuisse, regulas suas in Architectura a corporis humani proportionibus accepisse; quæ pro diverso corporum habitu diversæ, diversas etiam in ædificiis, non uni usui destinatis, servandas esse rationes præmonstrarint. Usu venire ædificiis idem, quod corporibus venustis; quæ non tam certæ proportionis mensura constent, quam gratia formæ, in differentium etiam proportionum faciebus conspicua. Quanquam autem nulla certa proportio absolute necessaria sit, ad conciliandam sive faciei, sive ædificio gratiam: esse tamen utrobique aliquas, a quibus citra jacturam illius non nimis liceat recedere. Has vero in Architectura eam habere latitudinem, ut artificibus sat amplam relinquant libertatem, augendi partes diminuendive, prout exigunt necessitates obviæ; cujus licentiæ privilegio factum sit, ut nec bina, quæ ex antiquitate supersint, Opera, nec bini inter se conveniant Scriptores, easdemque regulas sequantur.

Constare inde porro putat *Autor*, quam parum firmo talo nitatur opinio eorum, qui proportiones Architecturæ Musicis proportionibus geminas esse contendunt. Has enim ab ipsa natura tanta præcisione impressas esse atque stabilitas, ut migrari nequeant citra offensam aurium vel mediocriter delicatarum; proindeque ne minimum quidem a se invicem dissentire Musicos, circa justam harmoniarum proportionem; cum Architecti, in determinanda v. c. *capituli Dorici* projectura, bis mille annorum indagine, inter $2\frac{1}{2}$ & 17 minuta varie hærentes, tanto (videlicet septuplo ipsius minimæ quantitatis) divortio, & a proportione, si qua foret, debita & naturali discessu, nihil quicquam sint offensi.

Quod tamen proportiones regulis architecturæ conformes sæpius mentem in consensum trahant, ignaram unde ille affectus sit, rationem aliquam ejus subesse debere: sive ea semper fundetur super aliquo positivo, quemadmodum consonantiæ musicæ; sive super consuetudine aliqua, illi forte simili, ob quam vestitus ad morem præsentem compositi proportio se commendat; qui quanquam nihil immutatus, antiquato more mutatisque rationibus, ob quas ante placuit, desinat esse in pretio.

Quæstioni huic decidendæ, Autor *duo elegantiarum* in Architectura sancit *genera:* quorum *primum fundetur super rationibus manifestis*,

quo nomine cenſet materiæ præſtantiam, ædificii magnificentiam, accurationem & artificium operis, partiumque ſymmetriam, qualesque elegantias *poſitivas* nuncupat: *alterum a ſolo dependeat arbitrio, certam proportionem, formam & figuram rebus tribuenti, quæ citra difformitatem, aliam inducere poſſent*; quæque adeo ſola adeo conſuetudine placeant, ob nexum cum altero quopiam, cujus valor cognitus præjudicium ſenſui pariat, ad æſtimandum prius *illud*, cujus pretium aut valor non proinde proſtet. Quale præjudicium eſt a perſonis, de quibus bene ſentimus, ad fidem illis habendam in rebus alias non exploratis; ad imitandum habitum aut ſermonem, illis familiarem.

Et ad poſteriores has (quas *arbitrarias* vocat) referendas eſſe pronunciat, quas circa proportionem, diſpoſitionem, & ordinationē partes Columnæ habere credimus: quæ quamvis ex ſe tales, h.e. elegantes, non ſint, tanquam naturæ, ſano ſenſui & rationi (quod exemplis pluribus firmat) ſæpius adverſæ, toleratæ tamen ſint primitus, ob nexum cum elegantiis prioris generis; tandem etiam longo uſu ita comprobatæ, ut gnari Architecturæ, prima artis hujus Opera, materiæ pretio, operis magnificentia, partiumque juſta convenientia & æqualitate adeo commendabilia, normam aliorum credentes, proportionum harum, quæ circa imminutionem elegantiæ revera aliæ eſſe poterant, mutationem ferre nequiverint. Hujus comprobationis autem impoſſibile eſſe aliam rationem reddere, præter aſſuetudinem præjudicio dicto innixam, quo elegantiæ *poſitivæ*, adjunctis ſibi proportionibus certis a ſola idiognome primorum inventorum procedentibus, ſuffragium conciliarint elegantiæ; quo eædem iterum ſubinde exciderint, nova phantaſia novas proportiones introducente, itidem ad tempus aliquod valituras.

Elegantiarum porro *arbitrariarum* cognitione A*utor* verum Architectum ab aliis diſtinguit: cum cæterarum perceptio ſenſui communi ſubjecta ſit, hanc vero diuturna inſtructio regularum ſuppeditet, ſolo uſu ſtabilitarum: ad exemplum multarum legum civilium, quas voluntas legiſlatoris aut populi conſenſus, nulla manifeſta æquitate intercedente, fixerint.

Ex occurrentibus itaq; Operibus diverſarum proportionum, ubi Architecti veri ea tantum approbarint, quæ mediæ ſunt inter extremas propor-

proportionis, reliquorum exceſſum non reputandum eſſe offendiſſe ſanum ſenſum difformitate aliqua ſua naturali & poſitiva, ſed ſolummodo diſſenſu a norma, cui in Operibus antiquis elegantibus aſſueverimus, ubi exceſſus ejusmodi ut plurimum non reperiatur.

Sed cum mediocris iſte modulus latitudinem habeat, nec ratio aliqua urgeat eundem adeo præciſum eſſe; conſequenter in Architectura non habeantur proportiones ex ſeipſis veræ: diſpiciendum ſibi putavit *Autor*, de conſtituendis probabilibus & veriſimilibus, ſuper rationes poſitivas extructis, a receptis tamen proportionibus non nimis recedentibus.

Itaque cum Scriptorum ævi recentioris quidam in ſolo recenſu & comparatione Operum illuſtrium antiquorum & recentiorum ſubſtiterint; eorum differentias, nullo delectu inſtituto, indicaſſe contenti: cæteri ſuper diverſas Architectorum celebrium ſententias judicium ſibi quidem permiſerint decernendi, opinionemque propriam tanquam regulam certam propoſuerint: nec tamen, quod optandum, vel horum autoritas ſuffecerit condendæ legi inviolabili; vel etiam regulæ hactenus in promtu fuerint evidentis veritatis, aut ad minimum probabilitatis, ut cæteris præferrentur: tertium Architecturam tractandi modum *Autor* adjunxit, quem eleganti ſimili cum prioribus ita comparat, ut, ſi faciei pulchræ proportio a ſingulis determinanda ſit, *primum* dicat faciem Helenæ, Andromaches, Lucretiæ, &c. propoſiturum, in quarum unaquaq; frons, naſus, & inter hunc & extremitatem menti ſpatium, prope ſint æqualis longitudinis, ſed differentis in diverſis. *Secundum*, fronti attributurum minuta novendecim cum ſemiſſe; naſo viginti cum tribus quartis: & reliquæ parti novendecim cum tribus quartis Sibi *tertio* ſuo modo, ſingulas has partes fore viginti exacte minutorum, hoc eſt, inter ſe prorſus & ubiq; æquales. Hanc vero ſuam methodum cæteris ſtatuit ad minimum faciliorem & commodiorem: quandoquidem, utut centeſima viceſima totius faciei pars, fronti, naſo &c. addatur aut dematur, nec plus facies futura ſit venuſta, nec minus; proportioni tamen debitæ efferendæ, memoriæ infigendæ, & retinendæ, nullius alterius modi menſuram aptiorem.

Atque hanc rationem non tantum ſecutos fuiſſe *antiquos*, ſed & uſurpatam a *Vitruvio*, methodicas ubique diviſiones, nec memoriæ graves, adhibente: deſertam vero a *modernis* eam ſolum ob cauſam,

 quod

quod mensuris irregularibus, quæ circa Opera antiqua occurrunt, accommodare eam non potuerint; cum persuasi forent, ne tantillum quidem addi demive posse partibus illorum, citra jacturam omnis elegantiæ.

Concipi enim non posse, quousque processerit Architectorum reverentia erga Opera Antiquitatis, in quibus præprimis proportionũ mysterium profundo respectu admirati sint, nullo conatu in earum rationes penetrandi, quas præsumendum sit nec ipsis earum autoribus aliquas fuisse.

Condonandam autem fuisse Architectis hanc venerationem, si æque in confesso foret, aut proportiones in Operibus nobis conspicuas nihil differre ab iis, quas primi inventores Architecturæ statuminarunt; aut vera esset *Villalpandi* assertio, ab Architectis Templi Salomonei, peculiari inspiratione divina de omnibus ejus proportionibus edoctis, easdem Græcos, pro primis Inventoribus vulgo habitos, accepisse: ac certum est, nimium hunc cultum antiquitatis ab illo, quem rebus sacris debemus, ortum trahere.

Barbariem enim lapsorum seculorum, quæ bello scientiis indicto, eas in exilium miserit, nulli præterquam Theologiæ pepercisse: unde exiguum quod restabat literaturæ, compulsum sit in claustra monachorum, bonæque mentes adactæ, præter cæteras & artem ratiocinandi ibi quærere. Hanc artem adeo longo tempore nonnisi a Theologis tractatam, quorum sensa missa sint sub jugum veterum decisionũ, amisisse usum libertatis suæ, qua in indaginibus curiosis opus habet; ut eruditi pluribus seculis solam inquisitionem opinionum Veterum curæ habuerint (plus scilicet honoris indeptos se rati, sensu textus Aristotelici evoluto, quam veritatis inventione) nec satis distinxerint inter reverentiam rebus sacris debitam, & æstimationem earum, quas examinare & censere nobis integrum est.

Hoc fato Architecturam plus cæteris artibus damnatam ab eruditis: quibus sola autoritas pro argumento fuerit, credentibus Autores admirandorum Antiquitatis Operum nihil sine ratione effecisse, quanquam illa nos lateret.

Inconveniens autem non esse credere, res quarum pulchritudinis ratio reddi nulla posit, eadem revera destitui, soloque impetu & idio-

idiognome susceptas operariorum, quibus pensi non fuerit, ex ratione aliqua agere, ubi accuratio operis non esset alicujus momenti.

Paradoxo hactenus explicato, plurimisque qui cœco amore tenentur Operum antiquorum, bilem moturo, *Autor* veniam proposito suo parare instituit, quod est, *proportiones cujusque membri Columnarum, ideis Architectorum, quas circa easdem formarunt illæsis, reducere ad mensuras facile commensurabiles & verosimiles: insigni indicio, primos proportionum in unoquoque Ordine inventores, has non constituisse tales, quales Opera Antiqua præ se ferunt, quæ suis verosimilibus solum propinqua sint; sed exacte justas: defectumq; adeo illarum uni negligentiæ operariorum transscribendum, cum nulla in promptu sit ratio, quæ Architectos induxisse credi possit, sectari præter omnem necessitatem proportiones ruptas & impeditas, missis Veterum facilibus, utpote numerorum integrorum. Quo intuitu, quicquid est novi profectus sui in hac arte,* Autor *non tam correctionem esse vult Antiquitatis, quam conatum eidem restituendi priscam perfectionem. Atq; hoc omne se non evincere* pronunciat *propriæ autoritatis præsumtione, nec domesticis argumentis, sed perpetuo exemplorum ex Operibus antiquis depromtorum suffragio; rarissime in subsidium vocatis conjecturis aut rationibus, quas tamen Eruditorum examini decentissime submittat.*

Hanc enim sibi esse sententiam, si Opera Antiquitatis sint veluti libri, e quibus proportiones Architecturæ petendæ sint; eadem non esse autographa primorum & verorum autorum, sed solummodo exempla inter se differentia, quorum hæc fida sint & correcta in hac, alia in alia parte: ita ut restituendo veluti sano sensui in Architectura, necesse sit ex differentibus exemplis operum probatorum, selectum instituere earum rerum, quæ fundantur in ordinata & commoda, nec temere interrupta divisione, quales perpetuo sint Vitruvianæ.

Quod porro attinet mutationes illas, quas in unoquoque Ordine circa characteres ejusdem suscepit, exemplo omnium Scriptorum post Vitruvium se tuetur *Perraltius*: quorum videlicet nullus non addiderit aliquid, aut emendaverit earum rerum, quæ tanquam leges inviolabiles a Veteribus sancitæ credantur; idque vel ipso Antiquorū, qui monumenta sua vice librorum nobis reliquerint, exemplo. Innovationes enim has nunquam non habitas esse fructum laboris & studii fertilium ingeniorum, in perficiendis illis, in quibus defecerit aut substiterit

terit industria antecessorum. Has vero mutationes sibi propositum esse aliquanto longius extendere, ac hactenus factum sit: ut hortatu suo ad operas socias incitatis, qui plus ingenio & scientia polleant, Architecturæ regulæ eam perfectionem, præcisionem & facilitatem nanciscantur, quæ ipsis deest.

Partes ipsius Operis sunt duæ, quarum *prima* circa principales totius columnæ partes, *Stylobatam, Columnam* speciatim sic nuncupatam, & *Trabeationem* occupatur. Hanc postremam per omnes Ordines æqualem facit sex modulorum (est vero modulus sive mensura, ad quam magnitudines partium Columnæ exiguntur, *Autori* ob commodum usum tertia pars imi *scapi Columnæ*;) reliquas æquali incremento (in *Stylobata* unius moduli; in *Columna* duorum) a *Tuscano* ad Ordinem *Compositum* producit; *Tuscano Stylobata* æqualis cum *Trabeatione* altitudinis; *Columna* vero ejusdem Ordinis viginti duorum modulorum. Singularum harum partium, in tres alias subdivisarum (*Stylobatæ*, in *Basin, Truncum & Coronicen; Columnæ* in *Basin, Scapum & Capitulum; Trabeationis*, in *Epistylium, Zophorum* & *Coronicen*) altitudines, projecturas, *scapique* diminutionem ita determinat, ut expositis ubique in Tabula mensuris famosiorum Operum antiquorum & Autorum, utplurimum inter se longius, nulloque certæ alicujus rationis indicio, dissidentium, mediam concinna proportione commendabilem seligat: geminum esse *judicium* suum cupiens illi, quod Consulti Juris *rusticum* appellare soleant, in causis tantopere implicatis, ut nec oculatiores judices cognoscendis earum momentis pares sint, adhiberi solito, *differentia partium* (*interesse litis*) æqualiter inter ipsas divisa.

Constitutis ita generatim partium principaliorum proportionibus, *secunda parte*, per singula Ordinum genera eundo, partes supradictas specialius, per suas iterum partes & proprios characteres distinguit, & proportiones cum altitudinis, tum projecturæ, dicta modo ratione, numeris & divisionibus memoratu facillimis aptatas, definit. Ut quemadmodum, exempli causa, *Stylobatæ* altitudini *Autor* a primo ad extremum Ordinem unum continue modulum supra adjecerat; sic numerum membrorum ipsius *Basis* & *Coronicis* ejusdem *Stylobatæ* per singulos ordines unitate augeat, ita ut *Stylobatæ Tuscani Basi* duo, *Coronici* tria; *Compositi basi* sex, *Coronici* septem obtingant: simili compendio adhibito in dividenda altitudine

harum

harum partium pro commode aſſignanda altitudine ſingulis membris earundem; *Tuſca Baſi Stylobatæ* in ſex, *Dorica* in ſeptem; *Coronice Tuſca* in octo, *Dorica* in novem, & ſic deinceps, æquales partes diſtributis. Sic eodem fine porro altitudinem *Dorici Capituli* in ratione ſubtripla; *Corinthiacæ Baſeos* ſubquadrupla continue ſubdividit; *Doricam* vero *Baſin* in partes tres, quatuor & ſex (numerorum harmonice proportionalium) æqualiter partitur. Singulas autem Columnæ ſpecies cum partibus ſuis partiumque proportionibus & characteribus, elegantisſimis iconiſmis exhibet, adjunctis hinc inde etiam delineationibus, celebriorum Autorum placitis, & Operibus Veterum convenientibus.

Coronidem *Autor* Operi imponit, altero Paradoxo adſtructo, quo *proportionum ſemel ſancitarum & receptarum immutationes in differentibus ædificiis ex optica aliqua ratione, & ob diverſitatem aſpectus, contra unanimem Autorum conſenſum* (quos tamen ipſos obſervat in ſtructuris ſuis morem hunc minime tenuiſſe) *ſtrenue impugnat.* Creditum enim eſt vulgo, quando imagines rerum remotarum in oculo minores pingantur, minusque diſtincte, quam propinquarum, intuituque directo res aliter compareant atque obliquo, defectui huic remedium ex arte afferri debere: quo v. c. *Columnæ* (quæ ordinarie ſurſum verſus contrahuntur) altiores minus diminuerentur, quam curtæ; *Trabeationes* grandium columnarum conſtituerentur ſolito majores, quod elevatio major easdem utrinque ab oculo longius removens, minores apparere faceret.

At vero medelam hanc *Perraltius*, nec in his, nec aliis caſibus, in quibus neceſſaria eſſe prætenditur, adhibitam, exemplis Operum probatisſimorum oſtendit, & ſicubi ea inveniatur, temere factam credi debere pronunciat: cum tantum abſit, ut ædificia optimæ notæ & valoris mutationem ejusmodi paſſa ſint, ut ſæpius contrario plane modo ſe habere deprehendantur.

Non diſſitendum quidem eſſe, exempla ejus tam ex Antiquitate, quam recenti ævo extare; ſed præterquam quod rara ſint, eſſe ea etiam effectus pesſimi, viſumque maxime offendere: quippe cui nihil magis ſuetum ſit, quam judicio ſuo errorem ſupplere aut corrigere, qui ex differente ſitu aut majori diſtantia provenire poſſet; ipſo hoc judicio per longi temporis experientiam pene infinitam, examinandi

S

nandi, jungendi, comparandi res obvias, tantæ promtitudinis & perfectionis, ut in discernendis magnitudinibus, figuris, distantiis, coloribus, aliisque accidentibus objecti disiti, pene sit infallibile.

Unde facile inferre liceat, visu circa res longius distantes non aberrante, non solum inutilem esse proportionum mutationem, sed & vitiosam: quod oculus spectatoris de justa e. c. *Trabeationis* mensura debite instructi, statim apprehendat, si illa super altiori columna major statuatur, quam super minori, non obstante altitudine; non secus ac quivis promte dignoscat naturæ vitium, in despiciente ex editiori fenestra, capite solito grandiori: atque hoc ipso, *Trabeatio* (quæ ad *Columnam* eam rationem habere debet, quam moles aliqua ad momentum eandem sustinens) majoris mensuræ, ac convenit *Columnæ* eam portanti, visum necessario sit offensura.

Ut autem vel maxime certum non esset, judicium visus in cognoscenda exacta magnitudine objectorum remotiorum non falli; remedium tamen hoc minime sufficiens futurum, cum nonnisi ad certam aliquam distantiam, effectum optatum præstare possit, oculoque situm suum non mutante: gemina plane ratione, ac figuræ opticæ, quarum proportiones ita comparatæ sunt, ut ex certo loco visæ gratum oculo præbeant spectaculum, statim ac iste loco motus fuerit, difformes comparere incipiant.

Brevibus, re bene pensitata, manifestum fore arbitratur, nullam esse rationem vitiandi proportiones, ut ne videantur vitiosæ: nec æque certum esse, easdem, intercedente distantia majori, alias videri ac sunt; ac certum est, mutationem earundem, esse revera ipsarum destructionem, quodque plus periculi sit, ne proportio aliqua vitiosa videatur, quando revera corrupta est, quam quando non est.

Hanc interim opinionem, a se damnatam, unanimi Architectorum consensu receptam, & a *Vitruvio* limitibus certis circumscriptam, per annos bis mille ideo invaluisse, quod ii, qui quæstionem hanc definire potuissent, *Vitruvii*, a quo decisam existimarint, autoritate præoccupati, eandem neglexerint; quodque mutationem proportionum statarum hinc inde locum quodammodo habere posse animadverterent.

Ambitionem denique, qua quisque laborat, provehendæ existimationi artis ejus quam profitetur, imposuisse Architectis, ut in mera myster i-

Digitized by Google

mysteria res converterent, quarum rationem reddere nequibant. Advocata enim in auxilium valida illa opinione, quam vulgo de rebus lapsi temporis fovemus: cum antiquius fere nihil habeamus ruderibus ædificiorum Græcorum & Romanorum; pro fundamento immobili annisos esse obtrudere, nihil superesse admirabilium illarum reliquiarum, quod non grandi ratione constet. Et quando illis objectæ sint diversitates proportionum in monumentis æqualiter comprobatis, rejecisse id Architectos in diversitatem adspectus; quem caussam voluerint mutationis proportionum, quæ pro diverso situ, differentibus regulis subjectæ esse deberent. Recenset vero *Autor* casus quatuor, in quibus mutatio proportionum locum habere possit, citra ullum tamen ad opticam causam respectum: præter quos ejusmodi mutationes abusibus accenset, in Architecturam modernam invectis, quos ultimo *Tractatus secundi* capite persequitur.

LES PROPORTIONS DU CORPS HUMAIN, MEsurées sur les plus belles figures de l' Antiquité,
hoc est,
Dimensio Proportionum corporis humani, in Statuis Antiquitatis præstantissimis obviarum.
Parisiis apud Girardum Audran, in via S. Jacobi. 1683. fol.

JUngimus hunc libellum mole exiguum (constat enim præfatione modica, & foliis omnino triginta, statuarum iconismos exhibentibus) ob materiæ quandam cognationem antecedenti; diversissimo licet utriusque instituto. Hujus enim præsentis Autor nihil aliud agit, quam quod Scriptores Architectonicos primi generis apud *Peraltium* fecisse modo indicavimus, quibus satis fuit exempla Operum egregiorum proposuisse: nullo suo judicio super iisdem lato: quanquam eum sibi delectum habitum asseveret, ut ex pluribus potiora tantum Antiquitatis Opera, & quæ famosioribus Delineatoribus ita admirationi sint, ut ab iis mensuram conficiendis aliis capiendam putent, modulo suo subjecerit. Consulto autem exhibet effigies diversorum characterum, & plerasque a fronte, tergo, ut & lateribus conspicuas, diversasque eapropter in Tabulas, cum mensuris partium

pro situ unoquoque relatas: ut vel hinc, vel inde Lector, Picturæ Sculpturæve deditus, in commodum proprium aliquid possit derivare. Sunt vero, *Laocoontis* (cujus simulacri meminit *Plin. l. 36. hist. nat. cap. 5.*) *ejusq; filiorum*; *Herculis*, Gliconis manu facta; *Antinoi* & *Apollinis Pythii*, in hortis Vaticani; *Pirami* & *Mirmillonis* moribundi, in Ludovisianis, asservatarum; *Veneris Aphrodisiæ*, Mediceorum; *Pacis* & *puellæ pastoralis*, Operis Græci; aliaque pauca anonyma.

In harum aliquibus cum advertisset Autor, quod autoribus eorum vitio verti, opinionique de perfectione Operum istorum officere posset, inæqualem nempe pedum longitudinem: rationem ejus refert in diversum situm, altitudinem, & distantiam, membrorumque attractionem, quatenus apparentem magnitudinem varient, locumque dederint huic artificio, a Veteribus usurpato. An autem Veterum felicitas & sagacitas hoc nomine, ut visum est Autori, deprædicanda sit, judicet *Perraltius*, qui paradoxo supra pag. 135 memorato, calamum acriter in eos stringit, qui corruptelis ejusmodi, quas oculis conciliare student, nativas rerum formas pessime deturpant.

VIPERÆ CAUDISONÆ ANATOMIA, DESCRIPTA ab Eduardo Tyson, Medico Londinensi & Societatis Regiæ Socio.

Excerpta ex Transactionibus Philosophicis Anglicis mensis Febr. 168$\frac{2}{3}$. no. 144.

QUum ad Historiam animalium non minus amplificandam, quam ad corporis humani œconomiam evolvendam ac illustrandam, plurimum faciat Zootomia: Viperæ Caudisonæ (sic enim animal hoc exoticum vocare voluit, quod crepitaculo a natura instructum, viperæ in plerisque simile est; Marggravio, Pisoni, Jonstono, Nierembergio, Læto, aliisque *Boiguinga*, & *Boiquira*, Brasiliana voce; Lusitanis *Cascavela*, & *Tangador*; Mexicanis *Teutlacocauhqui*, i. e. domina serpentum; Batavis *Raëtel Schlange* appellatum) ex Virginia transmissæ, sectionem in se suscepit Nobilissimus *Tyson*, dexteritate Anotomica clarus, cujus observata potissima, ea qua licuit brevitate, Actis his inserenda judicavimus.

Confor-

Digitized by Google

TAB. V.

ad A. 1654
pag. 139.

Conformationem externam hujus exotici animalis expoſiturus, quatuor pedes cum quinque digitis longum, in cervice tres, in medio ſex cum dimidio, & circa caudam duos digitos craſſum illud pronunciat. Capitis ſummitatem deprehendit, ut in vipera, complanatam, & hoc ob protuberantes maxillas cuſpidi bipennis ſimile: in cujus extremitate nares, (*Tab. V. fig. 5. a*) & inter has atque oculos duo alia orificia (*fig. 5 b*) notavit, quæ primo aures crediderat, poſtmodum vero ad cavitatem tantum oſſis largiorem, ſine hujus perforatione abeuntia obſervavit. Oculi rotundi diametrum quartam circiter digiti partem æquare; alias vero ratione coloris, pupillæ configurationis, & reliqua conformationis externæ, ſi crepitaculum excipias, animal hoc Viperæ perquam ſimile ait. Tegebat eundem oculum ſquama latior, quæ palpebræ vicem gerere videbatur; haud tamen poterat animadvertere *Tyſon*, an facultate occludendi polleret, utut intrinſecus membranam nictitantem habuerit.

De cætero ſquamæ capitis omnium minimæ erant, dorſi latiores, reliquæ pro craſſitie corporis diverſa majores minoresve; omnes vero figura ſemen paſtinacæ æmulabantur, colore nihilominus adhuc diſtinctæ. Nam quæ in capite, plumis dorſi avis, Chloritis dictæ, ſimiles erant, parvis interſperſis maculis nigricantibus; cæteræ mixtum ex nigro & luteo obtinebant colorem, eumque quo caudæ propinquiores, obſcuriorem: ſquamæ dorſi medii acuta eminentia gaudebant, verſus latera paulatim ſubſidente: venter autem lævis magis comparebat. Hujus etiam ſquamæ, (quarum a cervice usq; ad anũ 168, ſub ano duæ dimidiæ & 19 integræ ac majores, hincque ad crepitaculum 6 minorum ſquamarum ſeries numerabantur) ſingulæ coſtis adaptatæ, diſtinctis invicem connectebantur muſculis, (*fig. 1. ssss*) ſine dubio pro motu hujus animalis juvando; quippe quæ totidem ejus pedes velut exiſtant, quibus terræ infixis, ac corpus modo contrahendo, modo extendendo progrediatur, iisque inſimul tanquam lorica contra injurias externas ſe defendat. In quem finem pariter ſpinæ vertebræ mirabiliter formatæ obſervantur, quatenus, quæ in inferiore ſuperioris vertebræ parte eſt, eminentia in ſcapum ſeu ſinum ſuperiorem vertebræ inferioris inſeritur; ſimili fere modo, ac caput rotundum oſſis femoris acetabulo coxendicis committitur; ut hac ratione ſe ad lubitum in latera convertat. Tendines muſculorum abdo-

abdominis in medio ventris ſquamarum lineam albam faciebat, per quam vas ſanguineum, a vena cava oriundum, deferebatur.

Quæ in viſceribus ac partibus interioribus obſervavit *Tyſon*, hæc ſunt. Sc. trachea, non, ut in aliis animalibus, ex cartilaginibus annularibus & membranis contexta fiſtula erat, ſed uti in cunctis viperis, ſtatim ac thoracem ſubingrediebatur, pulmonibus obvia (*fig. 1. aaa*) ex ſemiannularibus tantum cartilaginibus conſtabat, quæ dum utraque ſua extremitate membranæ pulmonis connectebantur, canalem apertum formabant, aerem veſiculis pulmonalibus immediate advehentem, quemadmodum ex *fig 4. aaaa* eluceſcet. Cum enim trachea diſſecaretur, ultra digitum cum dimidio lata obſervabatur, & hujus cartilagines extra pulmones annulares: longitudine viginti æquabat digitos, prope cor & confinium epatis in eam partem pulmonum, quam major veſica conſtituebat, deſinens; cartilaginibus tamen haud ſemper adeo diſtinctis, ſed ſæpisſime ſatis confuſis.

Pulmones a gutture initium nacti, ad trium pedum longitudinem deſcendunt, eorumque ſuperior pars (*fig. 1. b*) quæ pedem longa, & in anteriore corporis parte ſita ad cor usque abibat, ex veſiculis ſeu cellulis exiguis, inſtar ranarum pulmonum, conflabatur, ob frequentem autem ac teſſulatam vaſorum ſanguiferorum ramificationem coloris conſpiciebatur rubicundi, cellulis illis in parte inferiore ſenſim & ita evaneſcentibus, ut reticularem valvularum convenientium, ſuperficiei membranæ pulmonum interioris, compagem formare, tandemque in veſicam largiorem (*fig. 1. cccc*) minus cavernoſam abire viderentur.

Gulam in hoc animali non canalis tantum, ut in aliis, ſed ſtomachi quoque munere fungi, probabile fiebat; inflata ſiquidem in duos tumores ſatis amplos (*fig. 1 d. f.*) ventriculi latitudinem ſuperantes, diſtendebatur. Longitudo totius œſophagi duorum pedum ac trium pollicum cum dimidio, ſtomachi vero (g) 5 pollicum erat: hicque illo craſſior exiſtebat; una quippe adhuc tunica notabili interiore præ illo gaudebat, glanduloſa ſc. plicis exornata & ſuperficiem gulæ interiorem aliquantum conſcendente.

A pyloro ductus (*fig. 1. h & fig. 2. a*) denuo ad ſesqui pollicis latitudinem arctatus, mox in largum inteſtinum, (*fig. 1. i. fig. 2. eee*) explicabatur,

cabatur, quod propter rugas, interiori tunicæ intertextas, viſu erat egregium, & poſt aliquales flexus tandem in rectum anguſtius (*fig. 2. fff*) terminabatur. Sicut autem totus a faucibus ad anum tractus, continuus ſolummodo canalis in cunctis animalibus eſt, ita gulæ iſtos antea memoratos tumores in Vipera caudiſona pro receptaculis, ventri magno in ruminantibus, & ingluviei in pennatis ſimilibus, habet *Tyſon*, retinendis ſc. alimentis, quæ ventriculus commode admittere non poteſt, deſtinatis; viderique receptacula ejusmodi huic animali perquam neceſſaria, utpote quod ſemel tantum in anno victum capit. Imo quia ſæpe in promiſcuo illo alimento, quod ſine maſticatione integrum deglutit, partes aliquæ minus digeſtibiles, ideoque rejiciendæ ſint, gula autem ratione longitudinis ad vomitum præſtandum inepta, naturam cavitates has formaſſe, in quas heterogeneitates iſtæ tantiſper ſecedant, donec animal receptis viribus ſecundo ac tertio demum conatu eas revomat; & ſi fides adhibenda foret illorum relationi, qui viperam, periculis expoſitam, pullos ſuos intra fauces recondere affirmant, eſſe ſane eadem ſpatia his recipiendis maxime idonea.

Cordis, (*fig. 1. k*) quod ad fundum tracheæ & ejus dextrum latus ſitum, longitudo ſesquidigitalis, figuraque plana potius, quam rotunda erat: pericardio idem obvolvebatur, & auriculam (*fig. 1. l*) ſe ipſo majorem, unum ventriculum quatuor aut quinque ſulcis transverſis diſtinctum, ac valvulis carneis exilioribus inſtructum habebat; hujus autem vena cava unum aſcendentem unumque deſcendentem, (*nnn*) & aorta binos aſcendentes & unicum deſcendentem (*mmm*) truncos formabat.

Paulo infra cor hepar (*oo*) jacebat, parte ſua latiore digitum latum, & in una parte per venam cavam in duos lobos, inæqualis magnitudinis, diviſum videbatur: quorum ſiniſter decem digitorum, dexter unius pedis longitudinem obtinebat. Hujus color erat obſcure rubeus & uſus ſine dubio ſeparare bilem, quæ in veſicula, inferius nonnihil locata (*fig. 1 p. & fig. 2. b*) continebatur, per ductum (*fig. 2. c*) ſub parte, quam *Charras* pancreas, (*fig. 2. d*) Veteres lienem vocant, ad inteſtinum demittenda.

Copioſior intertexta erat pinguedo omento, quod coſtis utrinque annexum, ſaccum formabat ad rectum usque inteſtinum deſcenden-

ſcendentem, & cuncta inferioris trunci partis viſcera involventem.

Renes ad latera ſpinæ ſiti ſeptem circiter digitos longi exiſtebant, dexter tamen ſiniſtro paulo longior, uterque dimidium digitum latus. Hi quamvis corpus continuum comparebant, in plures tamen parvulos renes affabre formatos (unus eorum in quindecim) divelli ac ſeparari valebant, qui ſubtiliſſimorum vaſorum ſanguiferorum & candicantium ſeu ſecretoriorum ſibi implicatorum compages videbantur. In *figura ſecunda* renes ita expreſſi ſunt, ut ſiniſtri ſuperior & antica, dextri poſtica facies conſpiciatur, & vaſorum ſanguiferorum rami majores bini per utriusque latera feruntur, quorum unus literis *nnn & QQ* notatus, alter, ubi vas deferens, deſcendit, quamvis haud delineatus. A majore exſurgebant ſurculi minores (*ooo & rrr*) inſtar diverſorum vaſorum emulgentium, in totidem renulos abeuntium, in egregias ramificationes ſe diffundentes: quorum interſtitiis (*ppp & sss*) interjecta vaſa ſecretoria (*ttt*) cernebantur. Ureteres (*vv*) ſecundum potisſimam renum longitudinem decurrebant, a ſingulis renum glandulis propagines excipientes, & in cloacam, ſeu aperturam, binis uteris, recto & ureteribus communem abeuntes.

Prope cloacæ terminum duo alia inſuper conſpiciebantur foramina, a plicatura cutis maximam partem cooperta, per quæ duo ſacculi ducuntur (*mm*) quos fiſtulas odoriferas Noſter, Charras male paraſtatas vocat, cum in fæmella quoque *Viperina* obſerventur. Horum folliculorum alter digitum longus, craſſitie vero calamum ſcriptorium æquabat, alter paulo minor exiſtebat: uterque autem in ſua extremitate arctior liquorem craſſum & graveolentem continebat. In organorum genitalium deſcriptione teſticulos (*fig. 2. hh*) albicantes, diſparis longitudinis obſervavit *Tyſon*, quatenus ſiniſter dextri medietatem parum ſuperabat, qualis etiam diſparitas inter ovaria fœmellarum cernatur. In vaſis præparantibus nihil ſingulare: deferentia vero (*ii*) tenuiora & a teſticulis ad penem recto tramite decurrentia, complicata & convoluta valde exiſtebant, ita ut illa extenſionem epidydymidis ſaltem ſuſpicetur Autor, pari modo ac teſtis congeries tantum vaſculorum certa ratione convolutorum eſt, in epidydymidem abiens. Horum equidem aperturam in hac vipera caudiſona, propter ſubitaneam nimis partium harum explicationem, obſervare

ſervare non potuit, complet tamen hunc defectum per viperæ vulgaris ſectionem, in qua iſta vaſa ſingula per penem, quamdiu unicum corpus, ferebantur, hoc vero in partes & quaſi duos penes ſecedente, ſingulos horum comitabantur, veſiculis ſeminalibus ac proſtatis deſtituta.

Penes, numero quatuor, in corpore ita recondebantur, ut non ſtatim, niſi protracti, conſpicerentur (*fig. 2. kk*) quoad baſin aut radicem in quovis latere ſinguli, aculeis retrorſum ſpectantibus, inſtar erinacei, uberrime inſtructi, mox tamen in duo corpora teretia, calamo anſerino craſſitie paria, rubicunda, & longitudine tres digiti transverſi quartas emetientia abeuntes. Protruſi aut protracti penes, ope muſculorum craſſiorum (*ll.*) quos Charas, Baldus Angelus Abhatius, & Aldrovandus in viperis ipſos penes credunt, facile retrahuntur, prodeuntium ab extremitate caudæ, hisque implantatorum; unde *Retractores penum* appellantur. Sicut autem quædam animantia pene omnimode deſtituuntur, ut piſces plerique; alia, v. g. quadrupedia cuncta, & quædam aves, uno ſaltem inſtructa ſunt, paucis horum cum cancris &c. exceptis; ita viperam caudiſonam cum reliquis viperis ad utrumque latus duplicem penem obtinuiſſe autumat, ut poſtquam iisdem duplicem fœmellæ uterum ad ſimilitudinem literæ Pythagoricæ Y diſtenti ſubintrarunt, tanto commodius & firmius retineantur, uſque dum, diuturniore coitu (qui, quia veſiculis ſeminalibus carent caudiſonæ, vaſa deferentia vero valde complicata habent, neceſſarius ipſis eſſe videtur) ſufficientem ſeminis quantitatem ejacularint; ſimili ratione, ac canibus, veſiculis iisdem deſtitutis, natura provida remoram aliquam conceſſit. Imo moræ huic multum quoque conferre putat ſpinas illas penum reflexas, a quibus ne lædatur fœmella, naturam partem ejus uteri, quam illi ſubintrant, ſolidiorem & cartilagineam effeciſſe: iisdemq; ſpinis forſan idem animal, per naturã ſuã frigidius, ſtimulari.

In ore lingua (*fig. 5. g.*) viperinæ communi per omnia ſimilis, a faucium interiore parte exurgens & motus agillimi conſpiciebatur, conſtans duobus corpuſculis teretibus, ultra medietatem a radice contiguis & rubicundis, extremitatibus vero nigricantibus. Pro facilitanda ejusdem ejaculatione, inferior maxilla (*fig. 5. i.*) fiſſa erat, & quidem notabili hiatu, ne integra & dentibus in-

Digitized by Google

structa linguam læderet, neve hæc in actione sua turbaretur, quam *Charas* in capiendis muscis similibusque insectis, *Joh. Baptista Hodierna* apud *Severinum in Vipera Pythica*, in exturbando luto e naribus propriis, collocant. Linguæ superincumbebat larynx, (*fig.5.f.*) non adeo variis cartilaginibus, ut in aliis animalibus, exstructa, sed rima tantum simplici, pro in- & expiratione aeris, sibilatione iis solenni, instructa: quæ nulla epiglottide, propter arctiorem sui clausuram indigebat.

Dentium duo genera alebat, minorum sc. (*fig 5. cc b*) utriq; maxillæ infixorum, pro capiendis ac retinendis alimentis: & venenatorum hamorum (*fig. 5. dd fig.6.g h, & fig. 7.*) quibus interficiunt, qui omnes canini seu apprehensores sunt, & extra maxillam superiorem collocati: cum prædam integram & sine masticatione deglutientes, molaribus dentibus haud indigeant. Priorum dentium in maxilla inferiore duæ observabantur in utroque latere series, & in harum singulis quinque dentes, interiores vero exterioribus minores, in universum viginti; cum superior maxilla eorum sedecim tantum contineret, quorum quinque a quolibet latere siti retrorsum, 6 reliqui antrorsum spectabant; qui cuncti nihil mali morsu suo inferunt. Ast alterius generis dentes seu unci venenosi magis incurvati (*fig 7.*) numero 6 aut septem, extra maxillam superiorem hujusque os, secus ac reliqui dentes in anteriore oris parte locabantur; horum anteriores & majores (*fig.6.g*) in illo osse (*fig.6.f*) quod pro auris osse haberi posset, minores & posteriores musculis ac tendinibus vicinis duntaxat adhærescebant. Nullus tamen horum ad primum oris hiatum conspiciebatur: sub crassiore enim membrana seu vagina eousq; latitant, donec pro lubitu illos, simili ratione ac leo & felis ungues, exerant. Meatu gaudebant manifesto, & in radice amplo satis foramine conspicuo, qui ad apicem eorum tendens in fissuram sensibilem abibat, & per quem virus ad exteriora, compressis gingivis, ferebatur, coloris dilute lutei; qui forsan suspicioni illi occasionem dedit, qua illud per peculiarem canalem ex vesicula fellis huc derivari quidam scriptores asseruerunt. In quo venenum hoc consistat, & quæ ejus sit operandi ratio, secundum Charæ æque ac Redi hypothesin, Autor explicat; posteriorem tamen priori præfert, petito præprimis ex fabrica dentium argumento.

Tandem

Digitized by Google

Tandem Sceleti descriptionem tradit, ubi cranium integrum & sine suturis exhibet, (*fig. 6.a*) nisi ubi alia ossa ipsi junguntur, quemadmodum narium ossicula, (*c.c.*) quibus cartilagines aut potius ossa nasum dissepientia (*d*) adhærescunt. Reliqua capitis ossa singularem, pro dilatatione majore, qualis ad corporum non masticatorum deglutitionem in capite exiliore necessaria, conformationem acceperunt, quatenus maxilla superior jungitur ossi, quod dentes venenosos recipit, & ingenti cavitate gaudet, quæ pro meatu auditorio (*fig. 5.b*) habita, aperta tamen intrinsecus foramine, quod nervum auditorium admitteret, carebat, quem forsan recipit sub osse *fig.e.e.*) quod illud cranio connectit. Quæ quidem articulatio tam dentibus venenosis, quam ipsi maxillæ, inservit. Ast pro deglutiendis grandioribus corporibus, maxime facit articulatio maxillarum (*fig.6.m*) postica, quam ipsi duo ossa præstant, a Tysone *Maxillarum dilatatores* dicta, & cum duobus brevioribus ossibus, quibus illa cranio combinantur, *in fig 6.n.o*, delineata. Cum enim maxilla inferior mento hic, ut in aliis animalibus, haud continua, sed separata satis ab eodem observetur, quando faucibus majora corpora capit, quemadmodum membrana, maxillam mento connectens, facile extenditur; ita dum maxilla attollitur, & ossa illa duo ad rectam magis lineam reducuntur, rictum oris necessario valde dilatare potest. Inferior utriusque lateris maxilla duobus constabat ossibus, quorum anterius minores fovebat dentes, posticum vero latescebat; quemadmodum superior pariter in duo ossa secedebat, quorum unum ossi, quod venenosos dentes capiebat, exterius, alterum, cui minores dentes impacti, eidem interius connectebatur.

Vertebrarum spinæ a cervice ad anum usque totidem erant, quot ventris squamæ, sc. 168, ast ab ano usque ad crepitaculi adaptationem, præter squamarum numerum, adhuc 29. Priores vertebræ spinam planam recta (*fig. 8. a*) versus dorsum, aliamque tenuiorem ac teretem oblique ad interiora demittebant: (*fig 8. b*) quibus duo accedebant processus laterales (*c.d.*) pro costarum & vertebrarum invicem articulatione, & globulus (*e*) in inferiore superioris vertebræ parte, quem sinus vertebræ inferioris excipiebat, simili modo ac ossis femoris caput ab acetabulo ossis ischii excipitur; & quidem pro articulatione illa, ratione cujus Caudisonæ corpus suum adeo libere

in quævis latera torquere & volvere possunt. Costæ cervicis minores, circa medium corpus majores, id est duos digitos transversos longæ erant, ast circa caudam tenuiores ac breviores denuo evadebant; omnes vero in principio squamarum ventris terminabantur. In vertebris caudæ duo comparebant processus spinosi,(*fig 9.bb*)quamvis reliquis unus tantum contigerat; duo item processus transversi minores, (*cc*) costis analogi. Ultimæ caudæ vertebræ annectebantur interveniente musculo quodam crassiore (*fig 10.b.*) & membranis cuti continuis, crepitacula(*fig. 11.& 12*)quæ in hoc nostro subjecto numero tantum quinque erant, sed videbantur quædam esse abrupta: sunt ea nihil aliud quam concava, tenuia, dura & sicca, hincque fragilia & sonora valde ossicula, ejusdem fere magnitudinis & figuræ, ac os sacrum humanum. Cuncta rigida gaudent epiphysi, ita ut extremitas superioris ossiculi bina inferiora subeat: per quam conformationem articulatione non saltem egregia pollent, sed multiplicatum magis sonum edunt, quo ex mente *Guilhelmi Pisonis* admoniti homines æque ac bruta tempestive sibi cavere possint a tam pernicioso colubro. Idem Piso, Nirembergius & alii asserunt, singulis annis novum horum ossium accedere; unde Grevv *in Musæo regio* viperæ hujus ætatem sedecim annorum suspicatur, cum totidem utplurimum in illa observentur juncturæ, quamvis nonnulli earum ultra 20 se vidisse perhibeant.

Explicatio Figurarum.

Fig. 1.

Portionem corporis aperti monstrans, quæ pulmones, cor, gulam, stomachum &c. continet.

aaa Arteria aspera.
B Superior seu vesiculosa pulmonum pars.
ccccc Inferior pulmonum pars majorem folliculum formans.
d Prima Oesophagi intumescëtia seu prior spurius ventricul⁹.
eee Oesophagi potio rractior.
f Altera Gulæ intumescentia seu dilatatio, seu alter ventriculus spurius.
g Verus ventriculus.
h Brevis intestini angustia, mox sub pyloro.
i Intestinum.
k Cor.
l Auricula ejus.
mmm Tres arteriæ, quarum duæ

duæ aſcendunt, una deſcendit.

nnn Tres amplæ venæ, quarum duæ deſcendunt, tertia aſcendens epar in duos lobos dividere videtur.

oo Epar.

p Veſicula fellis.

q Lien, ſecundum *Charas* pancreas.

rr Notabile vas ſanguiferum in medio ſquamarum ventris decurrens.

Fig. 2.

Partes corporis inferiores exhibens.

a Inteſtina infra pylorum reſecta.

b Veſicula fellis.

c Ductus biliarius, medium lienis tranſiens & inteſtino implantatus.

d Lien aut pancreas.

ee Inteſtina largiora & anfractuoſa, aſt brevia.

ff Inteſtinum rectum.

g Anus.

hh Teſtes.

ii Vaſa deferentia.

kk Penes in utroq; latere duo.

ll Muſculi penem retrahentes.

mm Folliculi odoriferi.

nn Vas ſanguiferum amplum per unum latus ſiniſtri renis progrediens.

ooo Vaſa emulgentia inde prodeuntia.

ppp Vaſa ſecretoria.

QQ Vas ſanguiferum renis dextri.

rrr Emulgentia inde emanantia.

sss Corpuſcula rotunda ex vaſis ſanguineis coagmentata.

ttt Secretoria vaſa.

uu Ureteres.

Fig. 3.

Unius lateris penes exhibens.

a Vas deferens diviſum ad extremitates penum abiens.

b Penes.

c Muſculus penem retrahens.

Fig. 4.

Partem pulmonum exhibens, per tracheam apertam.

aaaa Arteria aſpera, per medium diſſecta.

bbb Rami quidam vaſorum ſanguiferorum majores.

ccc Veſiculæ aut cellulæ pulmonum.

Fig. 5.

Caput cum aperto ore ſiſtens.

a Narium apertura.

b Foramen ad cavitatem quandam

dam ingentem ducens, quæ nullo equidem meatu, pro admittendo nervo gaudet, auditorium tamen organum videtur.

cc Dentes exiliores in maxilla ſuperiore.

dd Unci aut dentes majores ſeu venenoſi.

eee Locus folliculorum, ſalivam virulentam continentium.

f Larynx.

g Lingua bifurcata.

h Dentes maxillæ inferioris.

i Hiatus maxillæ inferioris in mento.

Fig. 6.

Calvariam delineans.

a Cranium ſine ſuturis.

bb Oculorum orbitæ.

cc Duo oſsicula naribus incumbentia.

dd Cartilagineum aut oſſeum potius narium ſepimentum.

ee Oſsiculum, cranium & os illud interjacens, cui dens virulentus infixus.

ff Cavitas oſsis, cui dens virulentus impactus, cujus exterior apertura in fig. 5. ſub litera b exprimitur.

g Major venenoſus uncus, auditus oſsi inhærens.

h Reliqui venenoſi dentes, qui non oſsi, ſed muſculis, inſerti.

ii Maxilla ſuperior exiliores dentes continens.

kk Alterum maxillæ inferioris latus cum duplici dentium ſerie, quod in medio ſui per ſuturam videtur junctum.

l Hiatus ſeu fiſſura maxillæ inferioris.

mm Maxillæ utriusque junctura, ubi mediante tendine quodam alio cuidam oſsi combinantur, *dilatatori maxillarum* dicto.

nn Maxillarum dilatatores.

oo breve oſsiculum, quod dilatatores calvariæ connectit.

p Vertebræ cervicis.

Fig. 7.

Dentes virulentos exprimens.

Fig. 8.

Vertebram aliquam ſpinæ dorſi exhibens.

a Exterior complanata & recta vertebræ ſpina, ſeu proceſſus ſpinoſus.

b Interior ac teres ſpina.

c Major & complanatus proceſſus pro vertebrarũ articulatione.

d Exiles & transverſi proceſſus, coſtis deſtinati.

e Globulus ſinum inferioris vertebræ excipiens.

Fig.

Fig. 9.

Vertebram aliquam caudæ oſtendens.

a Spinoſus proceſſus, ad poſteriora tendens.

bb Spinæ duæ interiores ſeu anteriores.

cc Spinæ transverſæ, coſtis analogæ.

Fig. 10.

Vertebras caudæ cum carne muſculoſa primum crepitaculum affigente exhibens.

a Vertebræ.

b Muſculus.

Fig. 11.

Crepitaculum trium juncturarum exprimens, quarũ prima dum aliis jungitur, comparet, duæ reliquæ a ſubſequente crepitaculo excipiuntur & abſconduntur.

Fig. 12.

Oſtendens quinque crepitacula ſibi combinata.

Figuræ autem 13, 14, & 15, in eadem Tab. V. expreſſæ, ad ſequens argumentum pertinent.

EPITOME ALIUS DISCURSUS EJUSDEM EDWARDI TYSONIS de lumbrico lato.

Ex Transactionibus philoſophicis Anglic.

Menſis April. 1683. no. 146.

EDvvardus *Tyſon*, quum lumbricum latum, qualis in brutorum animalium perinde ac hominum inteſtinis naſcitur, aliquoties cum cura, adhibito etiam vitro, contemplatus eſſet, ſtructuram ejus prorſus ſingularem ac a communi vermium fabrica ita alienam invenit, ut inde novas peti rationes poſſe exiſtimet, quibus univoca generatio, hactenus tam bene a Franciſco Redi & aliis defenſa, oppugnetur. Dignæ proinde nobis viſæ ſunt obſervationes, quarum Latinam epitomen Actis noſtris inſereremus, ad excitandum aliorum ſtudium, quibus Transactiones Anglicanas legere integrum non eſt, ut hanc veritatem porro inveſtigent. Annotavit vero Autor ſeptem lumbrici lati proprietates, quibus ipſe potiſſimum a cujuſcunque generis vermibus aliis differat. Harum *prima* eſt ejus latitudo, cui ſimilem in vermium extra animalium ventrem nullo reperire licet. Definiri tamen ipſa non adeo certo poteſt, quoniam nec lumbrici plures inter ſe, nec *TAB. V. Fig. 13. 14. 15.*

ſe, nec

ſe, nec unius partes diverſæ hic ſatis conveniunt. *Altera* ſunt juncturæ, quibus lumbrici membra ita ſibi committuntur, ut extrema prioris ſuperficies, ſequens tegat, & unum ex altero veluti prodeat. Habent & alia inſecta hujusmodi inciſuras corporis, veruntamen nec tot ac tantas (autor enim earum 507 in lumbrico quodam numeravit,) nec adeo aſperas ac inæquales, nec denique tantum inter ſe diſſimiles. *Tertiam* lumbrici lati a vermibus in terra degentibus differentiam ſuppeditat duorum ejus extremorum diſparitas. Horum enim unum & latius eſt altero, & juncturas habet reliquis longiores. Plerumque illud extremum, cui appoſitum eſt caput (ſi modo tale quid lumbrico tribuendum,) cauda eſt exilius, & vix octavam latitudinis quam verſus caudam vermis obtinet, partem æquat. Annuli ſeu commiſſuræ itidem, quæ verſus caudam ſunt, fere quinquies longitudinem aliarum ſuperant. Diſparem tamen hic lumbricorum conditionem eſſe, diſſimulari non debet. *Quarto* loco occurrit vaſta vermis iſtius longitudo, quam nonnulli ducentorum pedum invenerunt. Autor quosdam in canibus quinque pedes, nonnullos unicum longos reperit: in hominibus ſibi viſos ſcribit, qui octo ulnarum Anglicarum, hoc eſt 12 Lipſienſium fuerint. Quum vero experientia teſtetur, medicamentorum purgantium ope lumbrici lati partes aliquas a reliquo corpore divelli, ut iſtæ ſolæ e ventre humano exeant, trunco autem in inteſtinis remanenti novæ juncturæ adnaſcantur, hinc certo affirmari nequit, in quam uſque longitudinem lumbrici creſcant, ac videtur hoc inſectorum genus ſuppeditare, unde impugnetur regula, quæ certos magnitudinis limites naturæ præſcribit. *Quinto* lumbrici lati caput obſervari meretur, quod ſcriptores medici, Spigelius, Brillus, Rondeletius, Foreſtus, Velſchius, Tulpius, Rhodius, Fehr, & alii vel male deſcripſerunt, vel prorſus ſibi viſum non eſſe confeſſi ſunt. Autor noſter, quum in diſſecti canis cujusdam viſceribus tres lumbricos inveniſſet, illico capitis ſtructuram inveſtigandam ſumſit, reperitque extremam ejus ſuperficiem crinium ſeu ſpinarum duobus ordinibus conſitam, quorum major ex centro ſurgebat & ultra circumferentiæ fines ſpargebatur, minor ex media a centro parte prodibat, uti ex *figura 13. & 14.* apparet. Foramen, quod oris loco fuerit, Autor nullum, quantumvis adhibita ſumma diligentia, hic animadvertit. Vidit autem caput in extremo lumbrici tenuiore, &
monet

Digitized by Google

monet in latiori nunquam quærendum esse, quod juncturæ sibi ita inserantur, ut prima a capite secundam contineat, & ex hac reliquæ eodem ordine quasi fluant. Crines istos seu spinas, quas observabat, scribit non ad faciliorem suctionem alimenti lumbrico datas esse (cum e chylo ad venas lacteas eunte vivat, ad quem intercipiendum non tantum non opus, sed & inutile sit, caput intestinorum tunicæ adeo infigere,) sed hunc usum animali præstare, ut isto adminiculo caveat, ne adstringentibus se intestinis simul cum fæcibus ejiciatur. *Sexta* proprietatis loco sunt ora, quorum in lumbrico major est, referente Autore, numerus, quam oculorum in Argo, aut manuum in Briareo. Nimirum quævis junctura lumbrici os suum peculiare habet, idque communiter in medio, ut ait Autor, ad latus alternatim, modo dextrum, modo sinistrum. Extuberant autem orificia ista instar papillarum, ac in medio foramen ejus latitudinis habent, ut setam suillam commode admittant; confer *figuram 15.* Momenta rationum, quibus lumbrico tot ora, quot foramina in juncturis, esse probat Autor, huc redeunt. Arguit 1. a magna chyli quantitate, qua ista foramina plerumq; turgent. 2. ab appetitu, siti, & macie quam lumbrici in homine aut quovis animali alio faciunt. 3. quod præter foramina illa in juncturis, nullum in lumbrico os aliud inveniatur. 4. quod hisce cavitatibus alius usus assignari commode non possit. Proprietatum *ultima* in eo consistit, quod quævis lumbrici pars a reliquo corpore sejuncta vivere pergat, imo crescat; quod quidem toties experientia comprobatum est, ut a nemine in dubium vocari debeat. Equidem Autor in refutandis aliorum erroribus passim, inprimis circa ultimum hoc caput, plurimum occupatus est: sufficere tamen poterunt, quæ hactenus ex ipso allata fuere. Ea enim cum aliis scriptoribus, quicunque profundius rem scrutari cupit, conferet.

EXPERIMENTORUM MEDICO-CHYMICORUM Decades tres in annum 1679. 80. 81. quæ Lectori communicant arcanissimas medicaminum præparationes; edente Daniele Menone Matthiæ, U. M. Ddo &c.

Francofurti 1683. in 12, apud I. I, Erythropylum.

EXperimenta Medico-Chymica, quemadmodum in Decades tres hic exhibentur distributa, ita non minus ad triplicem quoque finem seu usum collimare deprehenduntur. Nonnulla namque eorum circa morbos tantum non omnes, instar remediorum universalium, ex mente Autoris versantur, v. g. Panacæa catholica seu Aroth Paracelsi, item Antidotum pretiosum Angeli Salæ &c. Alia vero & pleraque ad certorum saltem morborum remotionem, tanquam appropriata interna pariter atque externa tendunt; sicut Balsamum minerale volatile contra lepram, spiritus æruginis volatilis adversus epilepsiam &c. interne, ad pustulas autem inveteratas putridas oleum de ulmaria &c. externe, efficacissima deprædicantur auxilia. Alia tandem velut menstrua circa extrahendas Tincturas occupantur, v. gr. spiritus vini alcalisatus, item Alcali tartarisatum sive acetum dictum alcoholisatum philosophorum, quod certissimum & verissimum circulatum Paracelsi minus esse, Autor sæpissime compertus testatur. Quod observationes autem attinet peregrinandum inter ab Autore collectas, & nunc experimentis modo nominatis adjunctas, earum decimam tertiam censoria non immerito notamus virgula, utpote ab ipso Dn. D. Schultzio, Medico Practico p. t. Roterodamensium famigeratissimo, edocti, quod nullam unquam virginem Delphis curaverit, quæ calculos istos ab Autore nostro delineatos ejecisset. Sine dubio autem Autori imposuit relatio alterius casus de virgine quadam Delphensi, *Catharina Swanshals* nominata, quæ primum a Dn. D. Schulzio, post Batavo quodam tractata Medico, plurimum calculorum ejusdem coloris, sed magnitudinis diversæ, excretionem summo cum cruciatu perquam dolose simulavit, eum tantum in finem, ut famæ Clariss. D. Schultzii, qui calculos præsentes semper negaverat, maculam inureret. Voto tamen malitiosæ hujus puellæ minus respondit eventus; quamprimum enim calculorum istorum nonnulli ad manus industrii hujus viri pervenerunt, ex colore statim, & examine per ignem instituto, veros eos esse lateres, ab ædium pavimento desumtos cognovit; fraude hinc feliciter detecta, & una cum calculis quibusdam supposititiis Facultati Medicæ Lugdunensi communicata, præclarum ab hac industriæ suæ reportavit testimonium.

IN

Digitized by Google

INTRODUCTIO AD LATINAM BLASONIAM.
An Essay to a more correct Blason in latine then formerly hath been used.

Autore Johanne Gibbono, Armorum Servulo, quem a *Mantelio* dicunt *cæruleo*,

Londini sumptibus Autoris, 1682. in 8.

NObilissima armorum scientia, posteaquam diu jacuerat, cumprimis inter Gallos cultores strenuos ac felicissimos invenit; nec ulla est natio, quæ æqualem industriam amœnissimo studio attulerit, quamvis Germanis nostris exteri haud inviti hanc laudem concedant, quod omnium primi artis heraldicæ inventores fuerint. Factum autem hinc est, ut quibus Latine de rebus ad tesseras gentilitias spectantibus agere visum fuit; quorum quidem plures, cum inter ipsos Gallos, tum inter Anglos, Germanos & Italos extiterunt; terminos Gallicos plerumque adhibuerint, ac barbarismis frequentissimis optimam linguam contaminarint. Quod cum animadvertisset Johannes Gibbon, *fecialis* Anglus, hanc sibi operam sumpsit, ut e variis Autoribus Latinas voces, quibus ipsi artis heraldicæ instrumenta exprimere voluerunt, colligeret, ac sicubi aliorum industria defuit, defectum suppleret. Constat autem tractatus duabus quasi partibus. Initio ordine alphabetico Termini *Gallic*-angli disponuntur, ipsisque subjiciuntur explicationes diversorum scriptorum, e quibus subinde quæ puriorem latinitatem redolent, seliguntur, rejectis plerumque satis feliciter barbarismis. Neque enim diffitendum est, Autorem, quod sibi proposuit, diligentissime urgere, ac Latinam illam Blasoniam, quam vocat, pro virili corrigere. Si qui autem termini heraldici forte in hoc catalogo omissi videbuntur, satisfaciet responsio, quam libri prooemium suppeditat. Videlicet tales erunt illi, ut aut quam rarissime occurrant, aut non habeant in arte heraldica significationem peculiarem, a nativa declinantem. Altera pars glossas ac observationes quasdam Camdeni, Chiffletii, ac Vredi explicationibus gentilitiorum scutorum addit; ut adeo præcepta prioris partis hic per exempla illustrentur.

THE ANCIENT USAGE IN BEARING OF ARMS, vvith a Catalogue of the present Nobility of England, by Sir William Dugdale Knt. Garter Principal King of Arms.

Hoc eſt,

Uſus antiquus gerendi Arma, cum Catalogo hodiernæ Nobilitatis Anglicanæ, Autore Wilhelmo Dugdale, Equite Aurato, Primario Rege Armorum, cognomento Garterii.

Oxonii 1682 in Theatro. in 8.

QUæ hodie virtutis præmia & rerum præclare geſtarum decora ſunt Teſſeræ gentilitiæ, eas quondam ab exercituum ducibus hunc potisſimum in finem aſſumtas fuiſſe ſtatuit Autor, ut quos non liceret in acie ex vultu aut reliqui corporis habitu, quæ plerumque eodem armorum genere, galea & lorica, tegebantur, diſtinguere, hos ex iſtiusmodi figuris vexillo ac paludamento intextis milites agnoſcerent. Poſtquam autem novas bellandi machinas humana indoles excogitavit, abolito priſtino inſignium uſu, hunc ſcribit invaluiſſe, ut diſtinguendis familiis, ac in eadem familia fratribus deſtinarentur. Quod cum nunc a plurimis perperam negligatur, & frequentisſimum inter nobiles Anglos ſit, arma aliena geri, aut diſcernicula, quæ adjici a poſtnatis debebant, omitti, (quemadmodum inprimis ſub libelli auſpicium literis dedicatoriis conqueritur,) id occaſionem ſibi miniſtrasſe teſtatur, ut ex heraldicæ artis ſcriptoribus colligeret, quæ ſui quemque officii commonefacere poſſent. Nimirum ut aliorum quorundam regnorum: ſic Angliæ conſuetudo fert, ut ad ſolum primogenitum dignitas & bona paterna deveniant, liberorum reliqui & inferiorem honoris gradum, & exiguam portionem hæreditatis ſortiantur. Atque hinc eſt, quod illic ſoli etiam natu majori jus arma familiæ plana ſive pura gerendi competat, alii fratres diſcerniculis, vel ſectionibus quibusdam adſcititiis utantur. Jam quales has ſectiones eſſe oporteat, & imprimis quo ordine ab ejusdem familiæ pluribus lineis debeant adhiberi, Autor ex Wilhelmo Wyrlæo, Roberto Glovero, Camdeno, Spelmanno, Carolo Segoigne & aliis ita oſtendit, ut horũ viro-

virorum verba ex ipſorum libris transſcribat, adeoque aliena potius autoritate quam proprio arbitrio rem agat. Subjungit deinde Catalogum nobilitatis Anglicanæ, juxta ſeriem temporis, quo quisque huic ordini adſcriptus fuit, una cum accurata relatione, quot ex unoquoq; comitatu, oppido, aut vico perſonæ ad generalia comitia regni ſoleant ablegari. His duobus opuſculis mole ſua perparvis, adjecit Typographus indicem nobilium Scotorum ac Hibernorum, ab alio Autore perfectum.

HISTOIRE DES CONQUESTES DE MOULEY ARchy connu ſous le nom de Roy de Tafilet; & de Mouley Iſmael, ou Semein ſon frere, & ſon ſucceſſeur a preſent regnant, par le Sieur G. Mouette.

hoc eſt,

Hiſtoria acquiſitorum per Muley Archy cognitum ſub nomine regis Tafilettæ, & per Muley Iſmael ſive Semein ipſius fratrem ac ſucceſſorem hodie imperantem. Autore Dn. Georgio Muetio.

Pariſiis Anno 1683. apud E. Couterot.

QUatuor fere luſtra ſunt, cum magna celebritate famæ Europæis gentibus innotuit *Muley Archy*, Tafilettæ Rex e familia *Scheriffiorum*, quæ ad Muhammedem, Muſelmannicæ religionis autorem, ſuam originem refert, ac inde ab anno 1519, ut in præfatione libri recenſiti traditur, & latius apud Thuanum, regnum hoc, miris artibus occupatum, poſſedit. Ei ante hos duodecim annos vita functo ſucceſſit frater *Muley Iſmael* in regno Feſſæ, & poſt bellum diu varia fortuna cum fratre ac nepote geſtum, etiam in regnis duobus aliis, Tafilettæ & Marocci. Fuit autem illa fere tempeſtate *Georgius Muetius, natione Gallus*, per undecim annos Feſſæ inter captivos Chriſtianos, ubi cum de his motibus accuratius cognoſcere præſenti licuiſſet, hiſtoriam duorum fratrum ſibi ſuccedentium ſcribere ſuſcepit, quam poſtmodum ex Africa in patriam reverſus publici juris fecit, brevi ſuæ captivitatis etiam narrationem daturus, in qua plurima nec injucunda lectu nec inutilia pollicetur. In præfatione hujus Hiſtoriæ exponit,

nit, quomodo ad cognitionem earum rerum, quarum memoriam complectitur, pervenerit, & cujus opera in colligendis utriusque monarchæ rebus gestis fuerit usus. Nominat inprimis Arabum quendam Doctorem *Bugimannum*, qui imperante Muley Archy fuerat gubernatori cujusdam provinciæ, magnæ apud regem autoritatis viro, a secretis. Postea vero, cum ex insidiis, quas regni optimates struxerant, *Cidan* (id erat gubernatori nominis,) periisset, *Bugiman* e Fessa antiqua ejectus novam petiit, ac quam juvenis didicerat, pictoriam artem ibi exercuit, cujus & *Muetius* peritus hac occasione homine, rerũ politicarum scientissimo, familiariter admodum per plures annos usus fuit. Ei acceptam quoque fert tabulam Geographicam regnorum Fessæ, Tafilettæ, & Marocci, quam Historiæ præfixã invenimus. Opus ipsum *in tres libros* dividitur, quorũ *primus imperium Muley Archy* describit, cujus hæc fere summa est. *Muley Scherif* Tafilettæ rex octoginta quatuor filios, & ex his natu primum *Muley Muhammed* successorem, quum moreretur, populo consentiente reliquit. Sed *Muley Archy*, unus e fratribus, ferocis ingenii ac parere nescius, haud multo post patris obitum res novas molitus, ex aula cum quibusdam consciis fugit. Quem rex, ut securitati suæ consuleret, apprehensum Tafilettæ custodiri apposito præsidio jussit; verum ipse corruptis custodibus ter e carcere elapsus, postremo Quivianam petiit, ac ejus regionis principi dissimulata conditione serviens, paulatim plebis animos ita sibi conciliavit, ut tandem, quum data occasione quis esset aperuisset, favore populari, rejecto legitimo domino, Quivianæ princeps salutaretur. *Muley Muhammed* tam prosperos fratris successus indignatus, copias, qua potuit, celeritate collegit, ut nascentes hostis vires mature opprimeret: cui hic parva, sed selecta manu occurrens, nullo pene negotio regium exercitum profligavit, ac paucis interpositis mensibus, novo ad Tafilettam prælio, & vitam fratri & regnum abstulit. Ex eo tempore incredibile est, quanta felicitate victor in vicinas provincias penetraverit. Intra tres enim annos utramque Fessam *Abdalæ de Ringuy*, Algarbiam *Geilando*, Zaũiam *Benbucari*, Maroccanum regnum *Cromlebachio*, principatum Susianum *Cid Haly Morabitæ*, ut civitates ac provincias minores taceamus, eripuit. His tam insignibus victoriis, de quibus Galliæ & Angliæ Reges per oratores suos gratulati sunt, haud dubie novas adjecisset Muley Archy, si eum diutius superesse fata voluissent. Enimvero anno 1672, festo Mauris

ris

Digitized by Google

ris die vigeſimo quarto Martii, cum poſt peractum ex lege ſacrificium, inter amicos mero incaluiſſet, inceſſit eum cupido equo inſidendi, qui ſubitaneo furore correptus, regem per arborum dumeta magno impetu tulit, ac in occurrentem ramum grandiorem ita fortiter caput ipſius impegit, ut poſtridie ex eo ictu obiret. Dignum quamplurimi exitum arbitrati ſunt tanto tyranno, qui ſanguinem humanum avidisſime ſitiverat, cujus vere barbaræ crudelitatis plura exempla *Muttius* pasſim allegavit.

Liber ſecundus, ejus qui nunc Maroccanis imperat, vitam ac res geſtas perſequitur. Mortuo *Muley Archy* frater ejus *Muley Semein* regnum Feſſæ, una cum theſauro regio nulla interpoſita mora occupavit; fratrum alius *Muley Haran* Tafilettæ regnũ cepit; & *Muley Hamet*, ex alio fratre nepoti, opera gubernatoris Maroccani is dominatus oblatus fuit. Quam principatuum diviſionem lites maximæ, poſt aliquot demum annos finitæ, & immenſæ clades inſecutæ ſunt. *Muley Hamet* regno Maroccano ſemel a *Muley Semein* exutus, poſt varias expeditiones proſpere confectas, illud iterum recuperavit. *Muley Semein* cum ex una parte rem feliciter gereret, ex altera Feſſam deficientem amiſerat. Ea vero ad fidem & obedientiam reducta, in *Muley Hamet*, qui ſecunda vice Maroccum occupaverat, movit. Æquo Marte plura utrinque prælia commiſſa fuerunt, crebra damna utrique exercitui per inſidias illata, quibus ſtruendis illa regio aſpera & montoſa perquam idonea eſt. Tandem *Muley Semein* obſidione Maroccanam urbem, ac in ea nepotem, cinxit, quem jam fere ad incitas redactum ſuperveniens rex Tafilettæ liberavit. Is enim fide ſua interpoſita, pacem inter duos reges fecit, hac conditione, ut *Muley Hamet* regnum patruo traderet, ejusque loco provincias quasdam minores, quibus poſtea principatus Suſianus adjectus fuit, acciperet, ac regis titulum perpetuo ſibi retineret. His ita peractis, *Muley Semein* cauſatus ſe a fratre *Muley Haran*, qui pacis autor fuerat, circumventum, ei regnum Tafilettæ abſtulit, ac hoc pacto tria regna, quæ *Muley Archy* quondam tenuerat, rurſus conjunxit. Et hactenus quidem eadem rerum facies manſit, viſique ſunt reliqui fratres ac nepotes imperio *Muley Semein* quieti ſubeſſe.

Liber tertius nonnulla, quæ ad trium regnorum notitiam pertinent, proponit. Agit initio de Maurorum religione, & ſumma Alcorani capita ſtrictim recenſet. Secundus titulus eſt de regibus, quorum dignitatem

tatem monet non hæreditario jure ad liberos transmitti, sed digniori plerumque a populo conferri, nisi quis in solium vi se intrudat, quod quidem frequentissimum esse observat. Hunc excipit tractatio de populo, ejusque moribus, privilegiis ac habitatione. Inde quædam de mulieribus, liberorum educatione, conjugiis, de mortuorum sepultura, de apostatis, eunuchis, ac Judæis sequuntur. Ultimo omnes provinciæ ac omnia loca, quorum Historia mentionem fecit, breviter describuntur, ac subjungitur nova quædam tabula Geographica, quæ solum regnum Fessæ, cum principalium urbium planis, exhibet.

HOROLOGIA SCIOTERICA PRÆLIBATA, AD DElineandum Sciotericon Declinationis Solaris, quantum indies est perceptibilis. Per N. Hanbury, Trin. Coll. Cant.

Londini apud Awnsham Churchil, 1683. in 4.

QUid Autori propositum sit in hoc Opusculo tradere, ex ipso hujus titulo manifestum est. Exsequitur id præmissa brevi de Sciotericis varii generis isagoge: in qua explicatis Planis circulorum cœlestium, quorum hic aliquis est usus, ipsa Sciotericorum Plana distinguit, declinationem & obliquitatem Axis eorundem, structuramque Sciotericorum diversæ speciei explicat, & Gnomonem in Planis diversis applicare docet; rationem horum geometricam sub finem cujusque capitis; trigonometricam per singulas species planorum peculiari ἀνακεφαλαιώσ c. 5. adjungens. Ipsum *Sciotericon* deinde *Declinationis* Solaris, quod *Hemerologium* appellat, construit, ejusque exempla exhibet in Horologio directe orientali inclinante, & erecto: porro etiam pro declinationibus Solis ad singulas diei horas in eodem exhibendis, modum commonstrat. Coronidis loco duplex est ἀνακεφαλαίωσις trigonometrica, prima supra memorata, pro angulo stylari potissimum, linea substylari & meridiana designandis; altera hemerologica, pro debite delineandis declinationibus Solis.

* * *

Benevolum Lectorem admonitum cupimus sphalmatis, quod Iconismo mensis præcedentis Actorum, Paraselenas exhibenti, irrepsit: in eo enim Jupiter infra Lunam, respectu radii ad Horizontē descendentis intuenti, ad dextram est, cum cœlo convexo ad sinistrā reponi debuisset. Malumusq; adeo Lectorem ad textum ipsum attendere, quam ad schema, quod phænomeno accuratius respondere potuisset, nisi operarum festinatio & impatientia intercessisset.

Pag. 15. lin. 7. pro *quos quidem ipsos* lege *Quorum quidem plerosq;*. pag. 141. deleatur τὸ NB. in margine,

N. IV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno M DC LXXXIV.

HORTI INDICI MALABARICI PARS IV. de Arboribus fructiferis Regni Malabarici, Latinis, Malabaricis, Arabicis, & Brachmanum characteribus nominibusque expressis, una cum Floribus, Fructibus & Seminibus naturali magnitudine a peritissimis pictoribus, & ad vivum exhibitis &c. adornata per HENRICUM van REEDE, tot DRAAKENSTEIN, quondam Malabarici regni Gubernatorem &c. & Johannem Munnicks M.D. Anatomes ac Botanices in Acad. Ultrajectina Professorem, cum notis Johannis Comelini.

Amstelodami apud viduam Johannis van Sommeren &c. Anno 1683. in fol.

BOtanicos inter seculi hujus libros dudum primas tenuit operosum ac vastum illud volumen, *Hortus Eystettensis* inscriptum, auspiciisque episcopi Eystettensis *Johannis Conradi* abs *Basilio Beslero*, philiatro ac pharmacopœo, anno 1613 editum, in quo plantæ, flores, stirpesque ex variis orbis terrarum partibus singulari studio collectæ, quæ quidem in celeberrimis viridariis episcopalem arcem ibidem cingentibus tum temporis conspiciebantur, delineatæ sunt, atque ad vivum expressæ, & si ordinem scisciteris, secundum anni tempora dispositæ. Inclaruit hactenus *Hortus Regius Blesensis*, mole quidem exiguus, & figuris æneis destitutus, sed oppido tamen accuratus, & studiosis rei herbariæ perquam utilis; in eo siquidem plantæ in eodem horto regio Blesensi contentæ, & nemini eousque descriptæ, breviter ac succincte delineantur, una cum observationibus generalioribus *Roberti Morisonii*, Scoti Aberdonensis; qui liber tertia

vice Londini anno 1669 in 8. & auctior quidem in lucem prodiit. Operam hic Moriſonius per decennium navaverat *Gaſtoni* duci Aurelianenſi in indagandis. inque hortum regium invehendis plantis. Erat namque princeps ille in arte botanica verſatisſimus atque oculatisſimus, & ſi Moriſonio arbitrari fidem velis, poſt Salomonem parem in re botanica non habebat. Qui cùm ſpe citius extinctus hortum regium ſuum omnium hortorum, qui unquam in Europa extitere, plantis omnis generis refertiſſimum reliquiſſet, *Moriſonius* ex Gallia in Angliam a *Carolo II* magnæ Britanniæ rege ad idem botanici munus obeundum vocatus, plantas ejus horti omnes deſcripſit ſtrictim, lapſusque pariter, atque hallucinationes fratrum *Bauhinorum*, inter botanicos coryphæorum, *Caſparis* ac *Johannis* obſervavit. Quanquam autem ex eo quoque tempore libri botanici melioris notæ non pauci ſint evulgati, e quibus *Hiſtoria plantarum novellarum Dodartii* medici Pariſienſis, Pariſiis anno 1676 Gallico idiomate edita, & *Exoticarum aliarumque minus cognitarum plantarum Centuria prima*, a *Jacobo Breynio* Gedanenſi Gedani anno 1678 cum figuris æneis ſummo ſtudio elaboratis publicata, ut & *Moriſonii* jam laudati *Plantarum Umbelliferarum diſtributio nova per tabulas cognationis & affinitatis ex libro Naturæ obſervata & detecta* Oxonii a. 1672, & *Plantarum Hiſtoria univerſalis Pars ſecunda* ſeu *Herbarum diſtributio nova per tabulas cognationis & affinitatis ex libro Naturæ obſervata & detecta*, Oxonii a. 1680 evulgata, memorari præter cæteros omnino promerentur: reliquos tamen omnes ſolari velut ſidere quodam facile prægravat *Hortus Indicus Malabaricus*, a regione Indiæ Orientalis Malabar ſic denuncupatus, quæ ab uno latere mari cincta, ab urbe Goa ad promontorium Commorinum in longitudinem circiter centum & viginti milliarium Germanicorum patet, lata hinc inde decem, trigintave plus minus milliaribus. Operis illius præſtantisſimi promotor directorque fuit *HENRICUS van Reede*, locorum Malabaricorum, quæ præpotentes ſocietatis Indicæ ordines posſident, præfectus, ac poſtea ſupremi conſeſſus apud Indos Belgas ſenator extraordinarius, & primus ſucceſſor loco ordinario deſtinatus. Is enim cum apud animum ſuum etiam atque etiam exputaſſet, quantum non in botanicam tantum & therapeuticam, ſed & in ipſam illuſtrem Indiæ Orientalis ſocietatem, quæ tantum ſumtuum hactenus in medicamenta illuc locorum transportanda inſumſerat, redundare emolumenti poſſet, ſi plana exactaque planta-

rum

Digitized by Google

rum terræ illius extaret deſcriptio ; reperit tandem perquam feliciter, qui, quod ipſe per officia militaria politicaque aggredi non poterat, id opus egregium in ſe ſuſciperet, Fratrem videlicet *Matthæum de Sancto Joſepho*, natione Neapolitanum, profeſſione ſacerdotem pontificium ex ordine Carmelitarum diſcalceatorum, qui, cum multos annos in Arabia Perſiaque vixiſſet, id temporis tanquam futurus coadjutor archiepiſcopi Chriſtianorum S. Thomæ regionum Malabaricarum eo miſſus fuerat. Hic enim, uti ingenti quadam plantarum ſcientia atque experientia valebat, ita promtisſimum ſeſe ad nobilisſimi Dn. *van Reede* deſiderium adimplendum offerebat, quippe qui tale quid jam diu meditatus, Malabaricas plantas cum viribus earundem in memoriæ ſuæ ſubſidium manu propria deſcripſerat. Sed cum figuræ illæ non ſatis accuratæ, & vivis plantis minus reſpondentes deprehenderentur, calamo quippe atque atramento absque ullo penicillo delineatæ, nec deeſſent tum peritisſimi pictores, tum experientisſimi Malabarici doctores, plantas depingi deſcribique exactius nobiliſſimus *Reede* curavit, opera *Johannis Caſearii*, eccleſiaſtæ in Cochin, poſt patrem *Matthæum*, occupationibus Eccleſiaſticis ſummopere diſtrictum, uſus. Hic enim formam ac faciem cujusque plantæ partiumque præcipuarum, radicis puta, ſtipitis, ſeu caulis, foliorum, florum, fructus, ſeminis, colorisque expreſſit, additis Latinis, Malabaricis, Arabicis & Brachmanum characteribus atque nominibus; vires etiam medicas tum ex inventis Fr. *Matthæi* Carmelitæ jam memorati, tum ex ore doctorum peritisſimorum, nempe *Ranga Botto*, *Vinaique Pandito*, & *Apu Botto* Brachmanum, & *Itti Acbudem* hominis ex genere Chegum, uti teſtimoniis ex præfixis patet, deſcripſit; atque ita primam horti hujus Malabarici de *Arboribus* partem adornavit. Prodiit illa Amſtelodami in fol. anno 1678. cum commentariis *Arnoldi Syen*, medicinæ & botanices in academia Lugduno-Batava profeſſoris, & notulis, quænam plantæ ab aliis jam fuiſſent exhibitæ, receptoque nomine inſignitæ, & quænam de novo in ſcenam botanicam producerentur, indicantibus. Iſthanc primam partem Horti Indici Malabarici excepit ſecunda de *Fruticibus regni Malabarici*, ejusdem illuſtris Dn. *van Reede* auſpiciis, operaque *Joh. Caſearii* jam laudati adornata, & Amſtelodami anno 1679 publicata, notisque & commentariis *Johannis Commelini* illuſtrata. Cum enim in ipſo ætatis flore defloruiſſet *Arnoldus Syen*, botanicus incomparabilis, qui doctisſimas primæ

de Arboribus Malabaricis parti annotationes adjecerat, hic Commelinus inceptum persecutus est opus, vestigiisque illius insistens, plantas illas, ad quas nihil habuit dicere, silentio fuit prætervectus, reliquas vero, quarum certa ipsi notitia erat, ad primos reduxit autores, easque *Pinaci Bauhini* adjunxit; quasdam etiam cum descriptionibus recentium quorundam botanicorum v. g. *Prosperi Albini, Jacobi Cornuti, Gulielmi Pisonis, Jacobi Bontii, Jacobi Breynii* aliorumque, qui post *Bauhinum* scripsere, contulit. Laus autem princeps palmariaque tribuenda semper hoc in opere est nobilissimo Dn. *van Reede*. Hic enim in terra Malabarica degens medicos non unos tam Brachmanes, quam alius generis adhibuit, qui celeberrimarum plantarum indices idiomate suo conficerent, easque pro ratione tempestatis, qua vel foliis, vel floribus, vel fructibus ornatæ conspiciebantur, dividerent. Ablegavit etiam in prata ac sylvas, pro ratione temporum anni, certos homines plantarum peritos, qui plantas cum foliis, floribus ac fructibus undecunque conquirerent, etiam conscensis altissimis montium fastigiis; tres quoque quatuorve semper penes se habuit pictores, ut e vestigio vivas plantas accurate depingerent abs conquisitoribus illis allatas, omnesque præterea principes Malabaricos quam humanissime rogavit, ut secum amice communicarent plantas & forma & usu celebriores; quemadmodum & nullus regum principumque illorum extitit, quin in horto hoc Malabarico aliquid florum severit. Quid? quod ipse nobilissimus *van Reede* quotiescunque aliud quid agens in itinere florentissimas sylvas camposque amœnissimos observavit, comitatum illico omnem, qui ducentorum subinde fuit capitum, navi exscendere, et omne genus plantarum, quæ floribus ac fructu ornatæ cernerentur, hinc inde legere atque perferre ad se jussit. Plantas tandem sic undique conquisitas, per pictores depictas, per idoneos homines descriptas examini medicorum ac botanicorum eum in finem convocatorum (quod collegium quindecim aut sedecim nonnunquam doctis constitit) subjecit. Atque hoc ordine absoluti sunt duo hi tomi in publicum dati, quorum primus *Arbores*, alter *Frutices* persequitur. Sed cum laudatissimus *van Reede* in ulteriori Horti Malabarici sui cultura esset defixissimus, diligentissimo ejus rigatore laborisque socio *Caseario*, quippe vita functo, destituebatur; quanquam jacturam illam non-

nonnihil allevabat *Christianus Hermannus de Donep*, ut qui adversaria collectaneaque Dn. *Reede* pro virili sua digerebat; &, quem ob excellentem in medicina peritiam imperator Japonicus sibi mitti abs illustri societate Indica petierat, *Guilelmus then Rhinen*, qui vires plantarum ac usum in adversariis jam dictis annotatum Latine subjiciebat, totum etiam opus vacantiori tempore recensiturus, errores correcturus, & plurima, quæ deficiebant, suppleturus. Recensione autem ista vix cœpta nobilissimus *van Reede* ex India in Hollandiam revocabatur. Plantarum itaque picturas depingi denuo, ac descriptiones etiam eousque perfectas describi mox curavit, clarissimoque doctori *then Rhinen* reliquit, ut, si vel naufragium, vel casus alius iter suum conturbaret, denuo aliud Horti Malabarici exemplum transmitti ad Europæos posset. Sed is salvus incolumisque patriis laribus est redditus. Hic primam Arborum partem editam apud Amstelodamenses conspiciens, eam longe aliter, atque ipse editionem adornandam ex Indiis transmissam voluerat, non sine animi perturbatione quadam deprehendit. Ex uno enim tomo duos typographus contra institutum suum fecerat, fruticibusque, qui supplementi tantummodo loco annecti debebant, secundum tribuerat, falso cum aliis persuasus, nihil Horti Malabarici restare amplius, omniaque ad umbilicum jam esse perducta. Redux vero ex India Dn. *van Reede* longe plures arborum, fruticum ac plantarum imagines attulit. Ordiendum itaque denuo fuit ab arboribus, quanquam ordine disturbato, cum error ille semel admissus corrigi emendarique haut potuerit. Atque hinc pars tertia, æque ac prima, de *Arboribus Regni Malabarici* inscripta est, adornata itidem per nunquam satis deprædicandum Dn. *van Reede*, jam non regni amplius Malabarici gubernatorem, & summum consessus apud Indos Belgas extraordinarium senatorem, sed equestris ordinis nomine illustribus ac præpotentibus provinciæ Ultrajectinæ proceribus adscriptum, nec non per *Johannem Municks*, M. D. inque eadem facultate anatomes ac botanices in academia Ultrajectina professorem. Hic enim rogatus a Dn. *van Reede*, ut hortum hunc tarde succrescentem sua opera juvaret, hominemque transferendis Belgicis suis descriptionibus inquireret, non facilem tantum se illi ad id officii obtulit, sed & o.. u. descriptionum, omnemque, quæ eas spectabat, curam in se suscepit.

Excusa autem fuit tertia Horti Malabarici pars Amstelodami anno 1682, & quod tacendum h. l. non est, primario in Malabar Nobili, potentissimo inquam principi *Noeta Vile-virola* Regi a *Pedinbodappe-Sourovvan, Couroun, Peratevide, Ellerta-Sourovvan, Cochin &c.* qui ab adversa parte in exilium expulsus Belgarum ope ad regiæ dignitatis solium ascenderat, abs nobilissimo *van Reede*, qui per XVII annos ei servierat, quarto decimo ætatis anno extra patrios fines peregrinatus, & pæne maximam orbis partem continuo itinere permensus, dedicata. Subsecuta hanc fuit pars *Horti Indici Malabarici IV*, Amstelodami anno 1683 cum titulo supra posito evulgata; cui & commentaria sua non minus, quam secundæ & tertiæ partibus, *Johannes Comelinus*, rei herbariæ callentissimus, adjecit.

LES CESARS DE L' EMPEREUR JULIEN traduits du Grec, avec des remarques & de preuves illustrées par les medailles & autres anciens monumens.

A Paris chez Denys Thierry 1683 in 4.

i. e.

CÆSARES IMPERATORIS JULIANI e Græco versi, cum annotationibus & assertionibus, veterum numorum & aliorum antiquorum monumentorum ope illustratis.

Parisiis apud Dionysium Thierrium, 1683 in 4.

SAtyra qua Cæsares, qui ante se Romanis imperitaverant, Julianus litteris excultissimus Imperator ingeniose sugillavit, vitamque ac mores cujusque perstrinxit, omnium eruditorum consensu in hoc litterarum genere primas tenet; nec inter veterum scriptorum monumenta ullum extat hodie, quod præferri huic scripto facundia rotunda, prudentia summa, ingenioque facili & ad notanda regnantium vitia promto queat. Eum libellum, ne in hoc quoque genere careret singulari ornamento Gallici sermonis late diffusa dignitas, primus e Græco in Gallicum habitum induit Germanus, exquisita doctrina & splendore muneris insignis vir *Ezechiel Spanhemius*, eundemque

Digitized by Google

demque Heidelbergæ, ubi consiliarii Palatini dignitate antea fulgebat, anno MDCLX evulgavit. Utrum Julianeæ dictionis venustas an interpretationis doctissimæ suavitas, & accurata Græcæ rotunditatis expressio, eruditionisque in notis libello subjectis varietas & elegantia majorem merita fuerit laudem, ambiguum est; nihil sane præstantissimo studio, quod satyræ isti doctus interpres impenderat, addi posse videbatur. Vicit tamen seipsam Spanhemiana industria, & qui absolutissimus credebatur labor, viginti quatuor abhinc annis editus, exactior longe augustiorque, majori eruditionis inexhaustæ & elegantiorum litterarum apparatu instructus ac expolitus nuper prodiit in ipsa Lutetiarum augusta, ubi in aula maximi regis exquisita prudentia principis sui, potentissimi Electoris Brandenburgici (cui egregium hoc opus dicavit) negotia auctor administrat.

Præmisit eruditam & prolixam *præfationem*, in qua de satyricis veterum libris scriptisve, ac satyræ Græcæ & Latinæ differentiis, diffuse ac erudite disserit, Juliani virtutes & vitia candide recenset, hujus vero satyræ dignitatem, veritatem, libertatem, amœnitatem & jocandi festivitatem, sed & impietatem adversus sacra & religionem Christianorum vere ostendit, rationem denique instauratæ editionis hujus late exponit. In *versione* Gallica Græco textui religiose inhæsisse, nec Cantoclari, Cunæi, aut Petavii interpretationes Latinas ubique secutum se esse profitetur; Græcum autem textum non solum qualis in editis libris extat, sed sicut in manuscriptis optimis antiquissimisque Isaaci Vossii & aliis eum reperisset, constitutum sibi affirmat, ad quem versionem hanc suam adornaret: in qua veras interpretandi leges, ab Huetio omnium optime traditas, accurate servatas quivis deprehendet. *Notas* textui substravit copiosas, & iis quæ in priori editione extabant, plures longe prolixioresque; in quibus obscura auctoris loca illustravit, ingentemque a Juliano in exiguum isthoc scriptum reconditam eruditionem ex poetis, oratoribus, historicis & philosophis depromtam explicavit, sensum ejusdem paucis verbis inclusum investigavit & explanavit, priorum interpretum Latinorum errores notavit, textum Græcum emendavit, ipsius etiam Juliani adversus Constantinum Magnum & sacra religionis Christianæ improbe dicta confutavit. Cumque amplioris hæc res esset laboris, ac majus spatium requireret, quam quod singulæ textus pagellæ praeberent, quibus

bus subſterni tam copioſa materia omnis non poterat, partem earum, ſi prolixæ nimis eſſent, decerpſit & integro operi *Notarum illuſtrationes ſeu aſſertiones* ſubjecit, quæ a critico potisſimum ſtudio (in quo eruditisſimus auctor hodie primas tenet) exactiori profectæ, Græca Juliani loca emendata & ex aliis antiquis ſcriptoribus illuſtrata, explanata, ac profundiori eruditione explicata exhibent.

In omni autem hiſtoria quum facem *nummi* præferant veteres, eximia conſignatæ in iis vetuſtatis veſtigia exhibentes, hunc potisſimum induſtriæ ſuæ campum delegit, in quo decurreret doctisſimus notarum auctor. Expreſſas enim juxta & coarctatas imagines varias, cumprimis imperatorias, ſingulari cum voluptate & induſtriæ non vulgaris commendatione, periti hujus ſtudii arbitri & æſtimatores pasſim hic contemplantur, omnemque eruditionem priſcis numiſmatibus illuſtratam advertunt; ut dubium relinquatur, an laudabilius ſuſceptum, an abſolutum felicius doctiusque iſthoc inſtitutum fuerit. Cujus etſi abſolutam tractationem in eruditisſimis diſſertationibus *de præſtantia & uſu numiſmatum antiquorum* ad Octavium Falconerium editis perfeciſſe omnibus elegantiarum præſidiis inſtructisſimus Spanhemius ſit creditus, tamen inſignis iſtius & incomparabilis operis novam eamque locupletiorem auguſtioremque & majori elegantiarum apparatu (cui accedere nil poſſe eruditi hactenus exiſtimaverunt) inſtructam editionem promiſit, quam non minori admiratione excipiemus, ac deſiderio exſpectamus, ætatem ac otium perficiendo præſtantisſimo operi neceſſarium illuſtri viro, in potentisſimi regis aulæ luce iſtud emolienti, & negotiis arduis pluribus occupato voventes.

EVTROPII HISTORIÆ ROMANÆ BREVIARIUM ab Vrbe condita usque ad Valentinianum & Valentem AA. notis & emendationibus illuſtravit Anna Tanaquilli Fabri filia.

Pariſiis 1683. in 4.

AUctoribus in Gallia nitidisſime hactenus adornatis, quos ſuperioris anni menſe Martio p. 83. recenſuimus, (ſed quibus cum addere C. Ju-

C. Julium Cæſarem, *a Ioanne Goduino*, anno 1678 notis & indice locupletatum, neglexeramus] iterum inſignis facta eſt acceſſio doctiſſimæ feminæ Annæ Fabri filiæ ſtudio: quæ poſtquam Florum, Dictyn Cretenſem, & Sextum Aurelium Victorem in Delphini uſum concinnatos dediſſet, Eutropium iſtis præſtantiorem, &, quod ait, teneræ puerorum ætati convenientiorem notis & emendationibus illuſtratum publici juris fecit. Quod ſtudium tanto majori opera ſibi conſtitiſſe affirmat, quanto paucioribus ad emoliendum iſtud niti licuerit præſidiis: quia cum in aliis ſcriptoribus viam muniverint eo jam labore defuncti doctiſſimi viri, in hoc qui induſtriam exercuiſſet, neminem ſibi videre contigerit. Haud obſcura tamen ſunt indicia, clariſſimi viri *Chriſtophori Cellarii* editionem cum Pæanii Græca metaphraſi anno 1678 accuratam, conſpectum ipſius neutiquam ſubterfugiſſe; ut de *Vineti* ſtudiis taceamus, in auctorem hunc, poſtquam codicem Burdigalenſem nactus eſſet, collatis: cujus editio Pictavienſis, anno tertio & quinquageſimo ſuperioris ſæculi adornata, ac dein repetita, quin doctiſſimæ feminæ viſa fuerit, dubitare nos non permittit teſtimonium ex ea depromptum, quod præfixum legitur.

CHRISTOPHORI CELLARII GRAMMATICA Ebræa in Tabulis Synopticis &c. Editio ſecunda. Acceſſit nova & perſpicua inſtitutio Rabbiniſmi.

Cizæ, anno 1684, in 4.

EBræam linguam viginti quatuor horis perdiſcendi methodum clariſſimus Cellarius magno juventutis commodo ante hos tres annos primum evulgavit. Ejus hanc editionem, in pluribus locis correctam varieque auctam, nunc adornare voluit, ipſique novam Rabbiniſmi inſtitutionem adjungere, quæ tanto magis omnium applauſum meretur, quanto rarior fuit aliorum induſtria in excolendo argumento maximæ utilitatis. Dixerunt ſane antehac nonnulli de Rabbinorum loquendi modo, ejusque cum qua formam grammaticam, tum qua dictionem ab Ebraiſmo & Chaldaiſmo differentia; ſed ea omnia illis vix ſufficiunt, qui primum his ſtudiis cupiunt initiari. Noſter autor, obſervato conveniente ordine, initio ad lectionem manudicit,

nuducit, inq; eum finem & characteres, & abbreviaturas communiores, quibus Judæorum doctores in scriptis frequentissime utuntur, exhibet. Postea, in quarum partium grammatica formatione peculiare quid Rabbinicus dicendi character habeat, ostendit, cumque ipse non raro Chaldaicas vocum flexiones cum Ebræis misceat, de hoc inprimis monendos esse, qui his literis operam navant, duxit, ne qua ipsos confusio morari posset. Ultimo particulas quasdam Rabbinicas, & vocabula, quæ, quia sæpius occurrunt, præ aliis disci merentur, proponit. Sub finem opusculi excerpta nonnulla de Messia e Gemara Sanhedrin, Echa Rabbeti, & Aukad Rochel, de Pseudo Messia quodam e libro Juchasin, de alio e Schebet Jehuda, una cum versione Latina accurata & perspicua, annectit, ut, qui scriptis Rabbinicis destituuntur, habeant nihilominus occasionem, præcepta exemplis illustrandi. Quin & Commentariorum Judaicorum usum, & rationem, cum fructu eos legendi docet, dum speciminis loco Psalmum secundum e pluribus interpretibus invicem collatis exponit.

GILBERTI CLARK OUGHTREDUS EXPLICATUS, sive Commentarius in ejus Clavem Mathematicam.

Londini ap. Rich. Davis Bibl. Oxoniensem, 1682. in 8.

EDidit ante annos bene multos *Guilelmus Ougthredus Ætonensis*, Collegii regalis Cantabrigiæ quondam socius, post Ecclesiæ Aldeburiensis in agro Surriensi rector, clarissimus Angliæ mathematicus, (extant enim passim ejus elogia, ut nec dubitarit celeberrimus *Wallisius*, eundem medium jungere Vietæ & Cartesio, luculentumque ipsi Opus suum Arithmeticæ infinitorum dedicare) libellum sub titulo *Clavis mathematicæ*: in quo, præter communia præcepta arithmetica, elementa cumprimis tradidit Analyticæ hodiernæ; magistrum suum in iis presse secutus, magnum illum geometram *Franciscum Vietam*. Illo autem ordine eundem contexuit, qui ad pandenda mysteria mathematica sibi videbatur appositissimus, ut futuri Analystæ, qui ipsum secuturus esset, animum scientiis mathematicis non leviter & superficie tenus tingeret: quoque velut Ariadnes filo ad adita earum deducerentur, & ad optimos antiquissimosque autores, Euclidem, Archimedem, Apollonium, Diophantum reliquosque penitius intelligendos

gendos dirigerentur studiosi, perciperentque, qua solertia quibusque molíminibus prisci illi heroes scientiam hanc pulcherrimam invenerint, ornaverintque.

Hujus opusculi, pluries recusi, & ut ex præfatione ipsius autoris, tertiæ & quartæ editioni præfixa comparet, publicæ etiam in academiis Anglicis doctrinæ consecrati, interpretem in hoc commentario jam ante viginti duos annos typis destinato agit *Gilbertus Clarck*, ejusque vestigia ubique κατὰ πόδα premens, continua ἐξηγήσει promtisque exemplis explanat, quæ Ougthredus strictius, nec sine obscuritatis aliquando nota, persequitur. Destinato tamen consilio sparsim inserit, quæ non modo Oughtredo intelligendo inserviunt, sed & facem præferunt Geometriæ Cartesianæ.

Subnexa est libro *Appendix speciminum astronomicorum, ad observationes planetarum faciendas*, in quibus autor observatorem instruit de instrumentis ad observandum necessariis, & modo, iisdem commode & citra fallaciam utendi, observationesque instituendi: adjuncta propria circa Jovem observatione, aliisque circa Cometam anni 1680 & 1681 habitis; deductis inde quibusdam porismatibus Theoriam Cometarum spectantibus, assertaque *Kepleri* hypothesi caudæ cometicæ. Excipit hæc descriptio Horologii Horizontalis, & problema catholicum ope Horologii Horizontalis quodvis Horologium construendi, duoque alia circa Horologium cujus nullæ, nisi lucente Sole, appareant lineæ, & cylindraceum sive baculi ambulatorii.

MONUMENTA VVESTMONASTERIENSIA: or an historical account of the original, increase, and present State of St. Peters, or the Abby Church of Westminster, VVith all the Epitaphs, inscriptions, coats of arms &c. By H. K. of the inner Temple, Gent.

Londini 1682, in 8.

QUæ nominis rerumque gestarum immortali memoriæ destinata sunt, ærea lapideaque monumenta, temporum injuriis & ipsa subjacent, ac tandem omnino pereunt, nisi literis scriptisve quodammodo ab interitu vindicentur. Hanc proinde operam sibi non inutiliter sumsit *Interioris Templi Londinensis Socius, Henricus Keepe* (ita enim Autoris nomen, quòd titulus libri solis initialibus literis exhibet, dedicatoriæ subjunctum est,) ut celebre Mausoleum Regum ac

Principum Angliæ deſcriberet, & ex veteri hiſtoria, in illorum cumprimis gratiam, qui ejus videndi cauſa ad urbem veniunt, illuſtraret. Initio originem ac incrementa Templi Petrini Weſtmonaſterienſis inquirit, paucisque probat, quod ejus fundamenta non quidem Apoſtolorum temporibus a S. Petro, (prout aliqui, ſed nulla probabili ratione ducti, ſtatuerunt,) attamen haud multo poſt, anno videlicet 183, auſpiciis Lucii Britannorum primi reguli Chriſtiani, in fidei propagationem jacta fuerint. Inde quoties veræ religionis hoſtes ſtructuram ſacram dejecerint, ac quoties eam pii Monarchæ iterum inſtauraverint, enarrat. Hoc facto conventus illius formam ac regimen delineat, & mutationes exponit, quas a prima Templi ædificatione uſque ad hæc tempora ſubiit, quibus a Decano & duodecim Canonicis regularibus gubernatur. Poſtea templi ſuperficiem cum exteriorem tum interiorem dimetitur, totamque fabricam ſcribit formam crucis obtinere, cui parva quædam ſacella ab iis partibus, quæ ſeptentrionem ac meridiem reſpiciunt, adjuncta ſunt, numero omnino quatuordecim. Dehinc omnia ſepulchrorum monumenta accurate, e quo lapide excitata, quibus tectoriis operibus ornata ſint, aut quas hermas impoſitas gerant deſcribit, breviter quoque genealogiam, ortum, ac res geſtas illuſtrium perſonarum, quarum ibi corpora quieſcunt, commemorat. Quo loco non raro eorum errores corrigit, qui ante ipſum in hoc argumento verſati ſunt. Poſtremo epitaphia, inſcriptiones ac tabulas, ſingulari diligentia collectas adjungit, quem quidem laborem jam olim aliqui ſubierunt, ſed parum feliciter, quippe qui nimium alienæ fidei tribuentes, ſæpiſſime ficta pro genuinis, falſa pro veris venditarunt. Addidit inſuper ſcutorum ac inſignium gentilitiorum, quæ cuivis epitaphio annexa ſunt, explicationem, id quod nec a Camdeno, nec a Wævero, nec a Stovio aut quopiam alio antehac factum eſſe obſervatur.

BRITANNIÆ SPECULUM.

or

A Short vievv of the ancient and modern ſtate of Great Britain. The Firſt part.

Londini 1683 12.

Prima

PRima hæc eſt pars operis, quod omnium principatuum ac dominiorum ad Auguſtiſſimum Angliæ Regem ſpectantium, deſcriptionem cum mathematicam, tum civilem exhibebit. Complectitur autem in genere Britanniam magnam, ejusque mutationes, quas cum in ecclesia tum in ſtatu civili ſubiit. Autori nomen reticere viſum eſt, hoc, ut ſuſpicari licet, conſilio, ne dum de regiminis forma, ac ſucceſſionis jure contra Monarchomachos liberius ſcribit, & Pontificiorum partibus nonnihil favet, quos a proditionis crimine in Anglia abſolvere videtur, populare odium in ſe convertat. Priora capita ſoli fertilitatem, aeris temperiem, & quæ ad cujusque regionis deſcriptionem geographicam pertinent, exponunt. Deinde de veterum Britannorum inſtitutis, religione, legibus, lingua, navigandi peritia, & computandi ratione, aliisque ſimilibus tractatur. Quarto capite integro autor de Principatu, ejusque origine ac excellentia agit, eamque digreſſionem excuſat, quod non potuerit non eorum aſſertis data occaſione ſe opponere, qui formam monarchicam regiminis, quam a veteribus Britannis ſemper approbatam fuiſſe conſtet, e ſola quadam humana conventione, cui pro lubitu renunciari a populo poſſit, dependere pronunciant. Poſtea quo ſucceſſu Cæſar Britanniam primum invaſerit, eique tandem ſervile jugum injecerit, prolixe exponit, ac oſtendit, quod peculiari ratione, aliter ac reliquæ Romano Imperio ſubjectæ provinciæ fuerit gubernata. Inde ſequitur narratio, quo tempore illæ inſulæ fidem Chriſtianam ſuſceperint, quo pacto Diocletianus Britannos, qui Chriſto nomen dederant, perſecutus fuerit, & quibus modis Conſtantinus veram religionem inſtaurarit. Caput octavum novam Britanniæ periodum exhibet, qua ipſa a Romanis deſerta, per duo fere ſecula cum dimidio ſuos reges habuit, quos iterum ſucceſſu temporis Saxones in auxilium contra Barbaros evocati ſubegerunt. Caput nonum de Britannicæ Monarchiæ reſtauratione per Jacobum VI agit, ac ejus a Cadvvalladar, quem Saxones regno exutum in Walliam ultra Sabrinæ fluvium rejecerant, progeniem derivat. Inde ad hodiernum Britanniæ magnæ ſtatum devenitur, ubi primo generatim Monarchæ Britannici poteſtas ac prærogativæ declarantur, & deinde totum Regium ſtemma accurate enumeratur. Inprimis celſiſſimus Eboracenſium Dux a malevolorum injuriis vindicatur, deprædicatis illis virtutibus, quibus inter alios principes coruſcat. Circa reliquam Regiam fa-

Digitized by Google

miliam ex illo tempore, quod addi autoris relationi mereatur, nihil accidit, si sereniss. principis Ruperti mortem quæ superiori anno successit, & nuptias Regii Fratris Danici cum filia Eboracensium Ducis excipias.

HISTORIA CONFESSIONIS AURICULARIS, ex antiquis Scripturæ, Patrum, Pontificum & Conciliorum monumentis, cum cura & fide expressa, autore Jacobo Boileau, Theologo Parisiensi.

Lutetiæ Parisiorum A. 1683.

POstquam Confessio auricularis in ecclesia, sacerdotum Romanensium artibus, in carnificinam degenerasset conscientiarum, Lutherus noster eam primum seculo superiori non quidem abrogandam, sed abusum ejus, quo enumeratio omnium delictorum requiritur, tollendum censuit. Quod ex *Aug. Confess. art. XI. & de abusibus c. VII.* manifestum est. At Reformati qui vocantur, cum Calvino ulterius progressi, etiam ejus usum in ecclesia improbare ausi sunt: quia ejus nec præceptum, nec exemplum in S. literis extet. Atque horum sententiam contra scriptores Pontificios, inprimis Bellarminum, propugnare instituerat *Joannes Dallaus*, Charentoniensis ecclesiæ Minister, vir doctissimus, edito Genevæ anno MDCLXI libro de *Sacramentali sive Auriculari Latinorum confessione:* quo tum theologica tum historica Romanensium argumenta erudite discutit atque resolvit. Hoc vero cum sacerdotes R. ægre ferrent, quippe non nescientes magnam imperii conscientiarum affectati partem sic minui posse, *Autor supra nominatus* in gratiam horum, opus de *confessione auriculari* novum quanta potuit diligentia composuit, ut illam inde ab Apostolicis temporibus in ecclesia receptam fuisse persuaderet. Quod, ne temere suscepisse videatur, primo libri capite, consilium suum exponit: scilicet integram „instituti operis sui rationem hanc esse, ut ex eo quotquot sint homi„nes docti atque prudentes intelligant, ab origine rerum Christiana„rum, fideles nunquam remissionem sibi, post baptismum lapsos com„parasse, prætermissa peccatorum suorum declaratione seu confessio„ne apud ministros ecclesiæ. Itaque prætermissis duobus prioribus Dallæi

Digitized by Google

læi, queis ſcholaſtica Pontificiorum argumenta confutaverat, hiſtorica ejus argumenta in duobus libris poſterioribus propoſita potiſſimum convellere nititur. Ferre enim nequit, quod *Dallæus* anno M CC XV ab Innocentio III pontifice R. in concil. IV Lateranenſi can. XXI *omnis utriusque ſexus*, primum inſtitutam fuiſſe confeſſionem auricularem contendit. Quapropter contra Dallæum in hoc libro *concilii Trid. Seſſ. XIV. c. 5.* decretum ex hiſtoria eccleſiaſtica & Patrum teſtimoniis probare annititur: *inſtitutam eſſe a Domino integram peccatorum confesſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.* Quod qua felicitate præſtitum ſit, eruditus lector ex collatione libri memorati Dallæi judicare poteſt. Cæterum ſumma tractationis ejusque connexio, e præmiſſo libri capitum XXX indice cognoſci poteſt.

STEPHANI BALUZII MISCELLANEORUM liber IV. hoc eſt, collectio veterum monumentorum, quæ hactenus latuerunt in variis codicibus ac bibliothecis.

Pariſiis excudebat Franciſcus Muguet. 1683 in 8.

DUm eruditorum Acta publicamus, fieri non poteſt, quin eruditiſſimi Baluzii mentionem tanto ſæpius faciamus, quanto plura ejus in rem literariam merita exiſtunt. Impræſentiarum nobis ejus Miſcellanea occurrunt, ſeu varia antiquitatis eccleſiaſticæ inprimis monumenta, qualia etiam *Henricus Caniſius* in lectionibus antiquis, *Petrus Stevartius* in tomo ſingulari, *Leo Allatius* in συμμίκτοις, *Lucas Dachery* in ſpicilegio, *Philippus Labbe* in bibliotheca manuſcriptorum, *Johannes Mabillon* in analectis veterum, & alii clarisſimi viri ſub aliis titulorum involucris e variis codicibus & biliothecis in unum ſyntagma collegerunt.

Quatuor autem ejusmodi miſcellaneorum libros Baluzius hactenus in publicum emiſit, quorum primus anno 1678, ſecundus 1679, tertius 1680, & quartus anno proxime elapſo 1683 prodiit. Verum cum tria priora volumina temporis, intra quod ſe Acta noſtra continent, ſpatium antevertant, de quarto ſolum pauca referemus.

Maximam ejus partem occupant *Hugonis Floriacenſis* de regia poteſtate

poteſtate & ſacerdotali dignitate tractatus Henrico Angliæ regi dicatus; *Stephani Obazinenſis* Abbatis vita ab ejusdem diſcipulo & individuo comite tribus libris comprehenſa; & narratio viſitationis provinciarum Burdegalenſis & Bituricenſis a *Simone de Bello-loco* archiepiſcopo Bituricenſi & Aquitaniæ primate facta, e cujus actis *Jacobus Sirmondus* in notis ad capitula Caroli Calvi, & *Johannes Mabillon* in ſuis analectis nonnulla delibarunt.

Reliqua quæ hoc volumine continentur opuſcula numero pæne ſeptuaginta breviora ſunt, ut epiſtola *Tajonis* Cæſarauguſtani ad *Eugenium* Toletanum, *Gregorii M.* & operum ab eo relictorum laudibus referta; epiſtola *Alcuini* ad *Carolum M.* cum ſeptem libros adverſus Felicem compoſuiſſet, perſcripta; literæ *Sigiſmundi Pandulfi Malateſtæ* principis Ariminenſis nomine ad *Mahometem II*, cum ei opus quoddam rerum caſtrenſium, & inſignem pingendi fingendique artificem *Matthæum Paſtum* Viennenſem transmitteret, exaratæ; tres *Lucii Colutii Salutati* Florentini cancellarii, ſeptem *Anſelmi Cantuarienſis*, & duæ ad Anſelmum epiſtolæ; item teſtamenta a *Wolfaudo* comite, & *Raymundo Cornilio* Cadurcenſi epiſcopo condita; *Landulphi* epiſcopi Taurinenſis charta de parte capitis S. Johannis, & alia nec unius ætatis, nec unius generis & argumenti ſcripta. Quædam enim ad Theologiam pertinent, ut duo *Theodoriti* fragmenta; quædam ad philologiam, ut *incerti autoris*, quem Baluzius Caroli M. ævo vixiſſe ſuſpicatur, de *ceromate* epiſtolica diſſertatio; quædam ad poeſin, ut nonnulla *Alcuini*, *Walfridi Strabi*, & *Rabani Mauri* poematia, *Flodoardi Remenſis* presbyteri, *Theoderici* Metenſis epiſcopi, *Adalberonis* itidem Metenſis epiſcopi, *Gauzlini* archiepiſcopi Bituricenſis, *Vitalis* & *Cononis* epitaphia, & duo carmina in laudem *Anſelmi* Cantuarienſis archiepiſcopi elaborata; quædam ad genealogiam, ut *Gulielmi* Baſtardi Angliæ Regis & Normanniæ Ducis generatio; quædam ad notitiam publicarum dignitatum, ut *Hugonis de Cleeriis* commentarius de Majoratu & Seneſcalcia Franciæ jam olim a *Sirmondo* editus, & nunc a plurimis mendis repurgatus; quædam ad politiam eccleſiaſticam, ut variæ relationes de electionibus epiſcoporum quorundam, abbatum & cardinalium, & plurima privilegia certis eccleſiis & monaſteriis conceſſa; quædam ad certamina & controverſias ſcholaſticorum, ut articuli Ludovico XI a *Nominalibus* oblati, cum M. *Johannis Bracardi* & Thomiſtarum

mistarum impulsu Ockami & Nominalium doctrinam in universitate Parisiensi publice doceri prohibuisset.

In his articulis, præmissa Nominalium commendatione, eorundem persecutiones recensentur. Refertur enim *Johannis XXII* odium adversus *Gulielmum Occam* inde excitatum, quod Psychopannychitarum hæresin, cui iste Pontifex favebat, & alios ejus errores scriptis refutasset, & in dialogo suo reges Papæ non subjectos esse, Scripturæ, Patrum & conciliorum generalium autoritate demonstrasset, unde prima Nominalium persecutio exorta fuerit. Alteram libelli hujus autores in Bohemia contigisse narrant, quæ causa fuerit, ut Nominales relicta Praga Lipsiam se contulerint, & *solennissimam ibi universitatem erexerint*. Tertiam post cædem Ducis Aurelianensis accidisse scribunt, doctissimis viris ob bella inde enata in diversas regiones & provincias dispersis, donec pace reddita res Nominalium dilapsæ in Galliis reflorescerent. Et quartam denique anno 1473 non aliam ob causam evenisse referunt, quam quod hæc Nominalium secta Thomistas gloria & disputandi solertia superasset, & Lovaniensis Theologi *Petri de Rivo* tractatum, in quo absolutam futurorum contingentium incertitudinem asseruit, approbare noluisset. Subjiciuntur his articulis 24 Parisiensium Theologorum signaturæ seu opiniones, quas Lovaniensis ille Theologus, a Magistro *Henrico de Zomeren* Romæ accusatus, ad defensionem sui secum attulit. Descripsit autem hæc Baluzius ex antiquis codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, in quibus etiam libros Petri de Rivo, & propositiones Henrici de Zomeren, & Francisci Cardinalis S. Petri ad vincula, qui postea *Sixtus IV* dictus est, tractatum de futuris contingentibus, & alia ad hanc materiam spectantia contineri, lectorem suum monere voluit.

REFLEXIONS SUR UN LIVRE INTITULÉ Preservatif contre le changement de religion &c.

id est,

Animadversiones ad librum, cui titulus: *Præservativum contra mutationem Religionis.*

Digitized by Google

Quibus ostenditur exile & parum solidum Autoris illius judicium, dum contra Expositionem Doctrinæ Catholicæ Episcopi Meldensis pugnat, aut de crudeli persecutione Reformatorum in Gallia queritur.

Antverpiæ apud Nicolaum le Feure 1682 in 12.

ANtequam adversus Reformatas in Gallia Ecclesias dura illa Romano-Catholicorum molimina erumperent, de quibus nunc acerbæ querelæ longe lateque audiuntur, *Jo. Benignus Bossuetus*, sæpe nobis pro dignitate & eruditione sua memoratus, tunc Condomensis nunc Meldensis Episcopus, edito libro *Expositionis Fidei Catholicæ*, ostendere conatus est, non tantum esse dissidiorum inter utramque religionem hiatum, quantus vulgo habeatur, neque adeo tam difficilem, ut creditur, ex Reformata ad Rom. Catholicam transitum. Huic a docto & eloquenti inter Reformatos viro, oppositus est liber, sub titulo *Præservativi*, in quo non tam de dogmatibus ipsis, aut eorum veritate, quam de maxima differentia inter utramque religionem agitur. Utrumque scriptum laudatores suos invenit, nec, quod sciatur, hucusque fuit, qui *Præservativum* refutaret. Sed anno 1682 *Antonius Arnaldus*, Theologus Sorbonicus celeberrimus, e Gallia, ob causam Jansenismi rigide defensam exul, *Reflexiones* has composuit, dissimulato quidem nomine, sed stylo & allegatis libris suis ita se prodens, ut nec serio voluisse latere videatur. Cum vero paulo post ad has animadversiones Reformatus quidam responderit, & *Præservativi apologiam* fecerit, quæ una cum Arnaldi libello ad nos pervenit, ne bis idem dicamus, subjuncta apologia, utriusque libri capita simul referre visum est. Titulus vero istius hic est:

LE JANSENISTE CONVAINCU DE VAINE Sophistiquerie.

id est,

Jansenista vanorum sophismatum convictus, sive, Examen Reflexionum Arnaldi, ad Præservativum contra mutationem religionis.

Amstelodami apud Henricum Desbordes A. 1683 in 12.

In

IN præfatione & apparatu libri hujus apologetici non diffitetur acrimoniam ſtyli ſui autor, & cauſas adfert, cur homini reformatis infenſiſſimo, ſed cujus libri Amſtelodami componantur & typis mandentur, tandem maſcule & acriter reſpondeatur, quippe qui exilii ſui vel ſolatia vel remedia quærere videatur, omne in afflictas reformatorum Gallicorum eccleſias virus effundendo. Taxat etiam titulum, ſive lemma, quo *Præſervativi* autori defectus judicii tribuitur, qui longe maximus in *Arnaldo* appareat, inſtitutum epiſcopi Condomenſis pervertente: hunc enim vulnera ſchiſmatis mulcere & tegere, at iſtum refricare & lethalia facere. Impertinenter etiam de dogmatibus & inprimis de imputatione idololatriæ digladiari Arnaldum, qui meminiſſe debuerit, *Autorem Præſervativi* de dogmatibus agere noluiſſe, ſed tantum diſcrimen dogmatum, a Condomenſi diſſimulatum, aut juſto anguſtius expoſitum, in apertum producere. Impudentiam, quam *primo Animadverſionum capite* reformatis Arnaldus objicit, in ipſum retorquet, qui ob unicum dogma, de *inamiſſibilitate gratiæ*, tragœdias excitet, & vel ob hoc unum abominabilem eccleſiæ reformatæ faciem effingat, cum domi habeat, quæ de ſua eccleſia meliori jure queri poſſit. Laudari ab Arnaldo Pontificem, qui nunc regnat, forte quod *Janſeniſmo* faveat, *Moliniſmum* averſetur. Nam quæ pro emendanda eccleſia meditari dicatur, aut conſtituerit, effectu carere. Et quod a moribus melioribus celebretur, indicio eſſe, quam raro illi in pontificibus reperiantur. *Irridet* perpetuum circulum, cum eccleſia Romana de ſeipſa magnifice teſtans ad traditiones, & ab his iterum ad ſuum provocet teſtimonium. Quanto vero melior facies eccleſiæ (ait) oſtenditur, vel ſolum Novum Teſtamentum (librum non magnum) legentibus? nihil enim ex illo apparet de proſtrato ad adorandas ligneas & marmoreas ſtatuas & ad panem euchariſticum populo, de quotidie ſacrificato filio Dei, de indulgentiis per myriades annorum ad peccandi impunitatem inventis, de purgatorii fabulis, de uſu linguæ barbaræ in cultu publico. Hæc fere *tribus* apologiæ hujus *articulis* ſeu capitibus prioribus contenta, *Reflexioni primæ Arnaldi* opponuntur. *Ad ſecundam*, (*Articulo 4*) conciliantur, quæ pugnare dixerat Arnaldus, quod liber Condomenſis modo ut nullius, modo ut magni effectus adverſus reformatos accuſetur. Nihil enim, ait, effeciſſe apud eos, qui debilitatē cauſæ vel ex eo perſpexerint, quod tanto labore excuſationes dogma-

dogmatum Romanensium conquisitæ fuerint, nævique eo ipsi agniti: multum vero apud eos, qui mundi spiritu pleni prætextum quemcunque apostasiæ arripuerint, & licet vera & genuina Ecclesiæ membra non fuerint, defectione tamen sua scandalum & incommoda fidelibus præbeant: at maximum pondus libro accessisse ab exactionibus & vexationibus militaribus. *Reflexione III* negat Arnaldus, Condomensis libri scopum esse unionem religionum; concedit hoc Apologia *Articulo 5.* monetque sub molli illo vocabulo nil aliud, quam reditum ad sacra Romana quæsitum fuisse. Percurrisse tamen Galliam hominem a *Turenio* marescallo, ad Romanenses converso missum, qui formulam unionis reformatis quibusdam pastoribus obtulerit, eisque subscriptionem persuaserit; quos etiam contra censuram synodalem Regia edicta defenderint. Dogma de *inamissibilitate gratiæ* non prius, quam sub initium hujus seculi disputari cœptum asserit, interque ea habendum, quæ fundamentum fidei non convellant, sicut inter Lutheranos quosdam & Reformatos Rinthelii anno 1661 convenerit. Renunciari quidem veritati, etiam ad fundamentum non pertinenti, non posse, at tolerari per Christianam charitatem debere, qui eam non capiant. *Articulo 6. ad Reflexionem IV*, ideo non credi dicit Expositioni Condomensi, licet approbationibus munitæ, quod ea non conveniat cum sententia Rom. Catholicorum indisputabili, nec cum praxi ecclesiæ Romanæ. Quod exemplo cultus Sanctorum ostendit, quem Condomensis ita extenuat, quasi non alius sit, quam qui vivis fidelibus, preces eorum ad Deum pro nobis desiderando, præstatur; neque enim his templa strui, vota fieri, sacrificium Missæ honoris causa exhiberi: & ipsius Missæ, ex qua commemorationem sacrificii faciat Condomensis, sed quæ uno ore pro propitiatorio quotidie venditetur. Totam nempe expositionem Condomensem tantum ad inescandos reformatos esse compositam, eaque sola spe, post multas cunctationes & correctiones, ab episcopis quibusdam, dein etiam Romæ impetratas fuisse approbationes: multis vero R. Catholicis displicuisse, & a *Crasseto* Jesuita in Articulo de Invocatione Sanctorum, aperte fuisse refutatam. Narrat, ut *Ludovicus Blancus*, professor Sedanensis, qui dogmata quædam Scholastica v. g. de libero arbitrio & de prædestinatione, tanti momenti ad schisma non esse, quam vulgo haberentur, scripserat, ab emissario illo Turenii tentatus fuerit, (Arnaldo etiam eo nomine laudatus) sed per-

specto

ſpecto præjudicio diſſertationem anno 1673 ediderit, qua ſatis oſtenderit, in illis, quæ cum cultu connexa ſunt, veluti circa invocationem ſanctorum, miſſam, purgatorium &c. cum Romana eccleſia temperamenta non admitti. Eſſe quidem ait Apologiſta inter Rom. Catholicos, quibus tertiarum partium nomen tribui invitus ferat Arnaldus, quos eccleſiæ ſuæ errorum pœniteat, talibusque probari librum Condomenſem, ſed absq; fructu; & Romæ probari improbariq; conſilia & libros ex mera utilitate politica, quod patere ait ex cauſa Janſeniſtica. Hunc ipſum Pontificem, qui Condomenſi libro applauſerit, ferre & probare *Raymundi Capiſucchi Mag. Sac. Palat.* novum pro cultu Sanctorum librum, ultra omnes, ut fertur, limites exaggerato: probari & *Malleti* ſcriptum contra lectionem S. Scripturæ. Dura nunc fulmina in clerum Gallicanum vibrari, propter infallibilitatem & poteſtatem Papæ in temporalibus limitatam aut negatam, quam tamen problematicam fecerit Condomenſis, approbante Pontifice. *Articulo* 7. ſpeciatim agitur de libro *Craſſeti*, Jeſuitæ, quem licet Arnaldus, Jeſuitarum in univerſum hoſtis, deſpiciat, hujus tamen judicii nullum eſſe pondus, cum Craſſetus Provincialis ſui approbationem habeat, & faventem praxin, a nemine etiam condemnetur: adeo ut nec quidquam effecerint anonymus in Belgio, & epiſcopi *Tornacenſis* & *Caſtorienſis*, moderationem cultus Deiparæ poſcentes. *Art. 8.* refutantur, quæ pro pallianda Sanctorum invocatione ex *Curcellæo* objecerat Arnaldus, & autorem hunc reformatarum partium non eſſe, ſed *Socinianiſmo* infectum dicitur, neque tamen quidquam pro Arnaldo facere, quod ſcripſerit, non eundem eſſe Romanenſium cultum erga Sanctos, qui paganorum fuerit erga idola; nec valere ad excuſationem, quod Sancti ob Deum colantur, & preces noſtras ex divina revelatione percipiant, cum omnia iſta careant præcepto divino, imo contra id pugnent. *Articulo 9 Reflexio VI* ventilatur, de *Daillæo*, qui articulos fidei fundamentales retineri in Romana eccleſia ſcripſerat. Hoc enim non obſtante, ob aſſutos erroneos, corruptam & vitandam eſſe eccleſiam illam, neque aliam eſſe Daillæi mentem, quanquam ejus opiniones omnes tueri non poſſint reformati, quas cum *Camerone* aliisque *Salmurienſibus* communes habuerit. *Ad VII, VIII, IX Reflexiones Arnaldi* reſpondetur *Articulis*, 10, 11, 12. 13, 14, tractaturq; prolixe de differentia *Pontificia* & *Lutherana* ſententiæ circa

Digitized by Google

transsubstantiationem, & *præsentiam realem*, & hæc tolerabilis habeatur, improbatis quæ reformati quidam fervide in contrarium scripserunt. Omnem certe idololatricæ adorationis culpam a *Lutheranis* abstergit Apologista, laudatis *Martino Chemnitio* & *Joh. Gerhardo*, quem inter doctissimos seculi nostri Theologos refert. Imo reformatos eodem modo Christum in S. cœna adorare dicit, quo Lutherani, genuflexione etiam in Anglia admissa: nihil enim, ne sic quidem, idololatrici fieri, nec ad elementa externa respici. Occasionem nactus ex hac materia & aliis, Arnaldum (*Meinerio* Jesuitæ assentiens) Deismi suspectum facit, & ex Philosophiæ suæ *Cartesianæ* principiis nullam præsentiam realem credentem, versatilem, denique & inconstantem. *Articulus 15.* opponitur *Reflexioni X*, & disputatur de regimine ecclesiæ, quod jure divino aristocraticum, non monarchicum esse debere contendit Apologista, neque tamen ideo quæstionem de paritate episcoporum & presbyterorum in Anglia ventilatam, huc recte ab Arnaldo tractam esse; de hac enim salva fide disquiri posse, stante in utroque casu regimine aristocratico. *Articulo 16.* contra *Reflexionem XI* differitur de potestate pontificis, quam Arnaldus ita efformare vult, ut reformatis non tam hispida & horribilis videatur; sed frustra, ut pluribus ostendit Anonymus, dum *Spanhemii* & *Blondelli* sententiam explicat, & ne consensu quidem ecclesiæ sive jure humano & ecclesiastico, talem potestatem pontifici tribui posse statuit, qualem sibi arrogat.

Has animadversiones *undecim* Arnaldus composuisse se professus est, cum liber *Præservativi* prodiret, editione autem ob impedimenta dilata, addidisse reliquas *quinque*. Itaque *Reflexione XII* falsum esse scribit, quod crudeles persecutiones contra reformatos in Gallia fiant; servari enim edictum *Nannetense*, nec ullum templum, quod eo nitatur, dirutum esse: sed *Articulo XIIX* summa hoc cum impudentia & contra conscientiam dici, regerit Apologista, & capita indicat, jam satis nota, in quibus contra edictum reformati graventur, prohibita præsertim libertate, quæ Romano-Catholicis, etiam clericis, per edictum conceditur ad amplectendam religionem Reformatam, sublatis tribunalibus semipartitis, & collegiis ac scholis, plerisque etiam academiis; tum dirutis tanto numero templis, ut in Pictonibus ex 60 vel 80 tantum quatuor, in Aquitania ex 123 non nisi

septem

ſeptem ſuperſint. Crudelitatis vero a *Marillaco* in Pictonibus exercitæ exempla teſtibus 25000 comprobari poſſe tradit. Summam etiam calumniam eſſe, quod reformati ſynodo Anno 1659 habita cum Angliæ protectore Cromwello fœdus inire voluerint. *Reflexione* XIII Arnaldus conditionem Rom. Catholicorum in Batavis conſiderandam exponit, quod contra pacta unionis Provinciarum anni 1579 exercitio publico & bonis eccleſiaſticis careant. Hoc acriter improbatur eodem *articulo 18*, & pro claſſico ad ſeditionem habetur: nec quicquam enim juvare Rom. Catholicos allegatam unionem, quæ ſecutis temporibus & pactis in alium plane ſtatum devenerit. *Reflexione* XIV edictum Regis de liberis reformatorum ab obſtetricibus Rom. Catholicis baptizandis, defendit Arnaldus, & *Reflexione* XV conqueritur, quod Rom. Catholici in quadam Belgii provincia cogantur liberorum ſuorum baptiſmum differre, ad dies a paſtoribus reformatis deſtinatos. Poſtremum hoc negat Apoſtologiſta; ad illa vero multa regerit, & reſponſionem aliam uberiorem ab autore *Præſervativi* contra baptiſmum a fœminis adminiſtrandum, & violentam obſtetricum obtruſionem, ſperandam indicat, & ita futurum eſſe ait, ut & *Reflexioni* XVI ſatisfiat, in qua Arnaldus vehementer expoſtulavit de apologia contra librum ſuum *(Renverſement de la Morale des Calviniſtes)* quo ſummæ impietatis reformatos accuſavit, improbantibus quidem, ut dicitur, omnibus cordatis, etiam inter Rom. Catholicos, alioque ſcripto convitia reiteravit. Interim cum dicta *Reflexio* XVI ſerio provocet Reformatos, ut vel unam paginam Tractatus ſui monſtrent, in qua mala fide & per impoſturam aliquid illis imputaverit, gratificaturus apologiſta viginti plus minus propoſitiones falſas & mendaces, ut ait, excerpſit, quibus calumniæ & cavillationis adverſus reformatos reus peragi Arnaldus poſſit.

JOHANNIS Eiſenhards/ *PHILOSOPH. & J. V. D. & in Academia Julia P. P. Inſtitutionum Jurisprudentiæ doctrina generalis &c.*

Helmſtadii 1683. apud Georg. Wolfg. Hammium in 4.

Legitimæ ſcientiæ primis elementis juventam imbuturus Sacratiſſimus Princeps, cum in proœmio ſuarum Inſtitutionum, tum in duobus

duobus titulis libri I prioribus, παιδείαν quandam præmittit, generalia universæ Jurisprudentiæ Romanæ axiomata continentem. In illa vero tradenda citra dubium levi brachio & per transennam quasi ex hac ratione versatus est, quod juvenes eo tempore ad discendum juris studium e philosophorum scholis limatiori longe ingenio accederent, ac plerumque hodiernis moribus fieri solet, quibus plurimi, ne salutatis quidem activæ Philosophiæ liminibus, in ipsa hujus divæ sacraria præpostero prorsus ausu irrumpere non erubescunt, non JCti, sed circumforanei clamatores olim ac omnino tales futuri, quales in oratione adversus Callimachum Isocrates depingit in Xenotimo quodam, qui & leges adulteraverit, & judicia corruperit, & magistratus vexaverit, malorum denique omnium causa fuerit. Hanc igitur introductionem in usum cupidæ legum juventutis majori lumine dignam ratus CL. Eisenhardus, vestigia Imperatoris κατὰ πόδα pressit, ac in procemio omnia Jura, quæ in Germania actionibus civilibus normam præscribunt, recensuit, adeoque non modo historiam Νομοθεσίας Romanæ, quomodo ante, circa & post Justiniani tempora se illa habuerit, sed consuetudinum quoque Feudalium, Canonici item & Germanici Juris tam generalis quam specialis originem atque auctoritatem succincte delineavit. In sequentibus autem septem capitibus præcipue in eo totus est, ut ostendat, omnem validitatem negotiorum civilium, partim ex voluntate & facultate personarum agentium, partim ex forma & modo istis a Legislatore præscripto suspensam esse: hinc fine & primis Jurisprudentiæ præceptis pro instituti ratione expositis, de variis Jurium speciebus & interpretandi ratione agit; mox ad personarum æque ac rerum differentias descendit; tandemque de negotiorum civilium solennitatibus, forma & cautionibus, ut & defectu pariter ac effectu docet; hæcque omnia ex principiis Aristotelicis vere φιλοσόφως, ut nullo opere hæc generalia singulis causarum vel actionum civilium, si quæ emergant, figuris, non sine insigni profectuum in doctrina juris augmento, possint applicari. Accessit in calce index rerum memorabilium, in quo, præter ea, quæ ad generalem Jurisprudentiæ doctrinam pertinent, generaliores quoque differentiæ modorum acquirendi, conventionum, contractuum, titulorum seu causarum acquisitionis & traditionis declarantur.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS DE PODAGRA & HYDROPE. PER THO. Sydenham, M. D.

Londini, apud Gualt. Kettilby, anno 1683 in 8.

VIx recusa Amstelodami anno superiore clarissimi hujus Medici opuscula fuerant, uno volumine comprehensa, cum novum hoc in Anglia opus ab eodem publicatum est. Bina vero hoc scriptum complectitur pathemata, si non diuturnitate aut lethalitate, certe medendi difficultate paria, i. e. in quibus non raro omne medici consilium atque auxilium cessat. Primo *Podagræ* (cujus nomine reliquas pariter Arthritidis species exprimit) historiam & affligendi rationem, tam regularem quamque in principio morbi experiuntur miseri, quam irregularem, quæ consummati magis morbi idea, & qualem non tantum diuturna praxi in multis aliis, sed in propriis articulis per triginta quatuor annos ipse observavit, tradit: illius vero causam antecedentem indigestiones per diætæ errores varios, inprimis circa victum, & in specie vini aliorumque liquorum spirituosorum potum, ac Venerem commissos pronunciat. Hinc cum in morbo hoc naturæ prærogativa sit, materiam suo modo exterminare & ad articulos deponere, per insensibilem transpirationem difflandam, sanguinis missionem æque ac catharsin & sudoriferorum usum, paradoxe satis damnat. Sanguinis eductionem equidem, quod cum indicatione illa pugnet, quam indigestio, a spirituum defectu ac depravatione orta, ut causa antecedens, sibi vendicat, quæque per hoc remedii genus potius augeatur: nisi juvenis forsan adhuc æger fuerit. Catharctica, sive sub paroxysmi invasione, sive declinatione, sive extra hunc, ideo suspecta reddit, quod materiam peccantem, ad extrema jamdum relegatam, ex his denuo ad massam sanguineam revocent, & quamvis aliquid cruditatum productarum ac causæ continentis educant, coctiones tamen haud roborent, spiritus debilitent, paroxysmum equidem præsentem abbrevient, sed ita ut pœnas inposterum pendat dirissimas æger ab ataxia, in quam illa humorum per purgans exagitatio naturam præcipitem egit. Denique sudoriferorum mala, non nisi summis cruciatibus, imo vitæ interdum periculo, expianda recenset, quamvis spontaneum & matutinum madorem aliquid levaminis adferre, & cujuslibet paroxysmi quasi crisin esse, concedat.

 Aliam

Aliam proin Methodum suppeditaturus Sydenham, duobus potissimum in hujus morbi curatione obviam iri debere, ostendit, humorum sc. indigestioni, ut causæ antecedenti, eorumque exæstuationi, ut continenti: quæ tamen duæ causæ cum adeo differant, ut quæ huic prosint remedia, alteri obsint, hinc affectum hunc curatu ita difficilem existere ait. Primo interim scopo satisfacere contendit per medicamenta digestiva acriora, & amaricantia, eaque composita magis, quam simplicia, v. g. Electuaria, quorum duo tradit exemplaria sibi frequentiora, inter simplicia vero cortici Peruviano primas tradit. Atque hæc quidem similiaque sanguinis digestiva seu sanguinem corroborantia in omnibus affectibus chronicis commendat, hac occasione de morborum acutorum & chronicorum discrimine agens, hosque posteriores omnes ab humorum indigestione, tanquam communi scaturigine, derivans. In podagra tamen similiter ac in illis, diuturnum atque assiduum maxime illorum usum præcipit, pro habitualibus ejusmodi malis eradicandis necessarium, convenientiorem tamen in paroxysmorum intervallis, quam sub illorum exacerbationibus. His adæquatum & strictius annectit sex rerum non naturalium regimen; ubi inter alia γαλακτοποσίαν, nisi quis per omnem vitam in ea se persiiturum confidat, temporarium & breve tantum auxilium pronunciat, nihilominus fugacis illius emolumenti rationes explicans. Vinum de facto officere, uti experimentis confirmatissimum existat, ita ex adverso liquores nimis refrigerantes minus tuto, cerevisiam vero tenuiorem similiave mediocris naturæ potulenta, v. g. decoctum ex sarsaparilla, sassafras, China & liquiritia, cum maximo ægrorum emolumento in usum vocari asserit. Hyberno tempore maturius lectum petere & somnum capere jubet; cæteris vero omnibus, quæ humorum indigestiones impediant, sanguinique & partibus solidis robur concilient, exercitia corporis moderata quotidiana facile palmam præripere docet, & inter hæc equitationem ac frequentem in curru vectionem. Quæ cuncta tamen ita commendat, ut quamvis, si religiose observentur, ab enormioribus morbi insultibus podagræ obnoxios præservare queant, nihilominus vix efficiant, quin post quædam intervalla, maxime circa hyemis finem, podagra quandoque illi tententur. In paroxysmo interim nihil plane tentandum monet, cum quo plus dolores leniantur, tanto magis humorum

morum coctio sufflaminetur, id est, causa antecedens augeatur; præter diætam tenuem, a carnibus abstinentiam, &, quantum dolores concedunt, corporis exercitationem, aut per aliquot dies in lecto quietem. Denique symptomatum Podagræ illorum, a quibus in paroxysmo de vita periclitatur æger, curam subnectit, topica cuncta damnat, ac Specificorum, tam antiarthriticorum, quam aliorum morborum, virtutes dubias reddit.

Dimissa sic Podagra *Hydropem* contemplatur; hujusque subjectum, signa, symptomata, causas & therapiam exponit. Quod dum agit, fœminas morbo huic magis obnoxias asserit viris, & quidem propter testiculorum saburram seu obstructionem, quamvis in his duas insuper tumorum abdominis species hydropem non raro mentiri, concedat. Foveas a digitorum impressione in suris relictas haud adæquatum hydropis signum credit, nisi dyspnœa simul juncta fuerit, utpote quæ, ut & urinæ paucitas, sitisque intensior, morbi illius solenniora symptomata existunt, accedente demum indies pro rata, qua æger in partibus hydropicis mole augetur, in reliquis marcore. Causam hujus morbi in genere sanguinis debilitatem pronunciat, qualem vel sanguinis excretiones atque eductiones nimiæ, vel morbus diuturnus, vel liquorum spirituosorum ingurgitatio inducant: ita tamen ut in fœminis modo indigitata insimul causa concurrat. Indicationum curativarum duos format scopos, nimirum ut causa continens, seu aqua extravasata, educatur, & ut sanguini robur pristinum restituatur. Illud per purgantia præprimis faciendum, eaque fortiora potius sc. Elaterium & crocum metallorum, item decoct. corticis inter. sambuci, quam leniora; cum hæc ut plurimum plus damni, quam levaminis adferant: quamvis certas quoque ascitis species excipiat, quibus catharsis nihil prosit, & ubi omnis curationis cardo in sanguine & visceribus roborandis vertatur. Nihilominus quosdam quoque casus determinat, ubi aquarum eductio solis potius diureticis committenda foret, præprimis quæ ex salibus lixivialibus, v. g. genistæ, parata. Sicut vero aquis eductis non nisi ad dimidiam curationis partem perventum sit, ita sanguinis etiam debilitati, tanquam primæ morbi origini, medicamentorum calefacientium & corroborantium, seu splanchnicorum usu, pro novo aquarum proventu præcavendo, occurrendum esse monet, hac occasione vini aliorumve liquo-

 rum

rum generosiorum potum ordinarium valde extollens, spirituum vero destillatorum vim suspectam reddens. Hinc vina & cerevisias medicatas ex antiscorbuticis, absinthio, centaurio, & genista confectas, electuarium digestivum antipodagricum, quod pag. 54 descripserat, & in principio morbi chalybem atque allium, commendat: imo hæc sola cum diureticis lixivialibus, sine emeticis & catharcticis, tunc eundem pellere docet. Præterea non omnem hydropem æque sanabilem esse ostendit, purgantia externa cum vesicatoriis, tibiis adplicatis, damnat, una cum paracentesi & acupuncturis. Denique dum occasione ejusmodi externorum remediorum in curationem Podagræ per Moxam (quam muscum quendam Indicum pronunciat) inquirit, inustiones in morbis articularibus antiquioris ævi per Hippocratis præprimis effata comprobat, & ustulationem hanc a veterum ustionibus vix differre, & aliquid equidem pro doloris mitigatione beneficii, brevioris tamen atque fugacis admodum, polliceri ostendit.

ΧΟΛΗΛΟΓΙΑ, *SIVE THEMATA PARAdoxa de Bile sana & ægra: illa sanitatis, hac morborum causa &c. Authore Joh. Georgio Greulichio, M. Doctore ejusque Practico Moguntiæ.*

Francofurti, apud Herm. a Sande 1682 in 8.

QUi Scriptor anno 1681 *Hydropis curandi veram Methodum* (id est, non tam per evacuantia, quam deobstruentia) una cum *Dissertatione de Bile*, fœcunda morborum parente, hujusque productis nonnullis morbosis ediderat; præsenti tractatu prolixiorem de Bilis natura, officiis atque pathematis, tanquam causarum morbificarum magna parte, exponit theoriam, in capita duo digestam, quorum altero de fluido illo secundum naturam se habente, ejusque actionibus, altero de hujus statu præternaturali, & passionibus agit. Primo nimirum Bilem instrumentum plurium evacuationum, sc. intestinalis, diureseos, narium hæmorrhagiæ, mensium, ac diaphoreseos, asserit; eam imaginationi famulari, per terroris iræq; effectus evincit; eandem Archæi valetudinem curantis organum, humorum reliquorum condimentum, ac totius corporis balsamum pronunciat; imo felli cum spermate atque organis genitalibus non leve intercedere commercium, illamque

Iamque alios forsan adhuc in natura usus habere, isti *Helmontii, Fel est viscus præpotens in natura, liquoris primigenii apprime vitale & summe necessarium*, innixus suspicatur. In altera parte Bilis in Epate secretionem læsam, scabiem producere; ejus congestionem nimiam partim propter organorum dispositionem, partim luxum atque otium, contingere; ex hac vero & illius corruptione hæmorrhoides, dysenteriam, icterum, dyspnœam, palpitationem cordis, convulsiones, epilepsiam, apoplexiam, melancholiam, uno verbo totam morborum phalangem, per aliorum æque Scriptorum classicorum & Medicorum, ac proprias observationes educere conatur. Hinc modos, quibus bili in obeundis suis muniis velut compedes injiciantur, recenset; contingere nimirum hoc per tartari & fœculentiarum terrearum ac salium peregrinorum, unde scorbutus, admiscelam; si in diuresi ac diaphoresi obstacula inveniat, ab alimentis & medicamentis acrioribus ac volatilioribus, item venenis, præter modum alteretur. Tandem eandem Bilem in morbis epidemicis, adeoque peste etiam ipsa, affici dum asserit, multa hujus similiumque malignorum morborum phænomena exponit.

EPISTOLA ASTRONOMI CLARISSIMI Dn. Edmundi Halleji,

Theoriam motus Satellitis Saturnii corrigens.

Exhibita in Philosophicis Transactionibus Anglicanis mense Martio superioris anni, n. 145.

Domine.

MItto Tibi astronomicam relationem de remotissimo omnium Planetarum nostri Vorticis, qui minimi est inter ipsos momenti. Satellitem Saturni intelligo, anno 1655. detectum a Dn. Christiano Hugenio de Zulichem, qui in accurato Tractatu sui Systematis Saturnii a pagina 25 ad 34 Theoriam motus ipsius nobis exhibet, qualem per brevia temporum spatia, quæ inter observationes intercesserunt, colligere licuit. Post eum nemo, quod sciam, Theoriam illam corrigere, aut perfectiorem reddere laboravit.

Ultimæ conjunctiones Jovis & Saturni cum mihi occasionem utrumque Planetam frequentius per Telescopium, quod 24 pedes

 longum

Digitized by Google

longum,& pro ea longitudine ſatis bonum poſſideo, conſiderandi ſuppeditaſſent, haut difficulter Saturni Comitem etiam obſervavi, inventoque ipſo in ſtatu ſat conveniente ad determinandum ejus locum, animadverti numeros Hugenii parum accuratos eſſe, & intra viginti annos quindecim fere gradibus juſto majores. Id me movit, ut diligentius in ejus periodum inquirere conſtituerim, quod nunc faciam, poſtquam ſufficientem numerum obſervationum collegi, e quibus ſequentes ſunt inſigniores.



A. 1682, Novembr. 13, H. 13. 00′ p. m. Satelles ad latus Saturni ſeptentrionale erat, & perpendiculum ab ipſo ad transverſam diametrum annuli (Saturnii) demiſſum in medium ſpatii tenebricoſi anſularum incidebat. Eadem nocte H. 19. 00′ finita conjunctione, perpendiculum exacte occidentalem globi Saturnii partem contingebat, uti oſtendit figura 1. Septentrionalis latitudo & motus retrogradus, probabant Satellitem eſſe in Perigæo.

Viciſſim Novembris die 21, H. 16. 15′ Satelles ad latus meridionale Saturni apparebat, perpendicularis ad lineam anſularum ducta, in medium ſpatii obſcuri anſæ occidentalis cadebat, ſed eadem nocte H. 19 00′. in centrum Saturni exacte ferebatur; Diſtantia minor erat diametro annuli (figura 2), & inde conſtabat ſatellitem eſſe in Apogæo.

Iterum in Apogæo eum obſervabam 24 die Januarii 1683, H. 8. 00′ p. m. Perpendiculum ad anſas demiſſum partem Saturni occidentalem contingebat; hora vero nona 30′ p. m. idem perpendiculum intra globum cadebat proxime ad centrum. Diſtantia a linea anſarum verſus meridiem æquabat fere diametrum annuli, (figura 3)

Tandem

Tandem Februarii die 9, 1683, H. 8. 10′ p. m. denuo erat Satelles in Apogæo, nec poteram ullo modo discernere, ad quam potissimum plagam inclinaret, nec utrum transversa diameter annuli, an distantia Satellitis major esset, (Figura 4) ut hinc ipsum hoc tempore ἀπογειότατον fuisse colligam.

Duas observationes Dn. Hugenii, quas cum meis comparem, reliquis accuratiores seligo. Earum prima facta fuit Hagæ Comitis anno 1659 die 14 Mart. st. n. H. 12. 00′ quo tempore Satelles infra Saturnum distantia unius diametri annuli constitit. Processerat vero tunc versus occidentem adeo, ut concluderet Hugenius, 4 fere horis ante, quod est H. 7. 40′ Londini, fuisse Satellitem in Perigæo. (Fig. 5.)

Rursus 22 Martii 1659, H. 10. 45′ Satelles integra diametro distabat a linea ansarum, & perpendicularis ad eam ducta fere extremitati ansarum orientalium insistebat. (Fig. 6)

Optarem equidem esse nobis intermedias quasdam observationes, sed quoniam nullas extare novi, ideoque ad inquirendam periodum progredior. Ex observatione mea prima constat, Satellitem in Perigæo fuisse 1682 Novembr. 13. H. 17. 00′ circiter, quo tempore Saturnus Sign. 3. 21.° 39′ a prima stella arietis in Ecliptica aberat, sed Terra ad Æquatorem Saturni reducta, & Satelles distabant Sign. 9. 23°. 46′ a pr. * ♈. Die 4. Martii 1659 H. 7. 40′ Saturni locus in Ecliptica erat Sign. 6. 0°. 41′; Terra autem reducta, & consequenter Satelles Sign. 11. 28°. 18′ a pr. * ♈. Intervallum temporis est 8655 dierum, 9 horarum cum 20′, quo Satelles certum numerum revolutionum ad stellas fixas perfecit, & præterea Sign. 9. 25°. 28′ quod est 295 gradus cum 28 minutis, cujus complementum ad Circulum 64°. 32′ dat duos dies, H. 20. 36′ motus Satellitis, juxta mentem Hugenii. Ut adeo 8658 dies, H. 5. 56′, sive 12467876 minuta constituant tempus numeri cujusdam integrarum Revolutionum. Jam si dividatur hoc intervallum per 15 dies, 22 horas, 39 minuta, sive per 22959 minuta, (quæ est Hugenii periodus,) quotiens 543 patefacit numerum Revolutionum; atque iterum dividendo illa 12467876 minuta per 543, verum tempus motus Satellitis elicitur esse 22961 $\frac{1}{10}$ minutorum, sive 15 dierum, H. 22. 41′. 6″. Hinc motus diurnus 22° 34′ 38″. 18‴ erit, & annuus præter 22 Revolutiones, Sign. 10. 20°. 43′. Confectis pro hac periodo tabulis inveni quod in observa-

ſervatione Apogæi ab Hugenio facta, Satelles tribus gradibus fuerit celerior, quam erat juxta meum calculum, & quod in tribus meis obſervationibus reliquis, in quibus ſimiliter in ſuperiori parte videbatur, fere 2 gradibus cum dimidio tardius proceſſerit, quam ſecundum calculum Hugenii. Jam vero clarum eſt, has differentias oriri ab aliqua Eccentricitate orbis, qui ſatellitem circumfert, & Apocronion,(ut ita dicere liceat,) menſe Martio 1659 in orientali ſemicirculo fuiſſe, menſe vero Novembri 1682 in occidentali. Supponendo autem Apocronion fixum, oportet illud eſſe intra Sign. 9.23°.46′, & Sign. 11.28°. 18′ a prim. * ♈, quoniam iſta eſt pars communis inter duos ſemicirculos. Et quoniam differentia in obſervatione Hugenii major eſt, quam in mea, hinc colligo, lineam Apſidum ſive Apocronion propius abeſſe a Sign. 9.23°. 46′, quam a Sign. 11. 28°. 18′. Quapropter aſſumam Sign. 10. 22°. 00′ a prima * ♈ (qui etiam locus eſt Saturni Æquinoctialis) & maximam æquationem ſtatuam $2\frac{1}{2}$ graduum. Ratione hujus inæqualitatis medius Satellitis motus invenietur fere 2°. 45′ tardior in $23\frac{1}{2}$ annis, ſive quovis anno 7. min. unde annuum motum definio Sign. 10. 20°. 36′ ultra 22 Revolutiones, & Epocham correctam pro meridie ultimæ diei Decembris 1682 ad meridianum Londinenſem, Sign. 9. 10°. 15′ a prima * ♈. E quibus Elementis Tabulam confeci ſequente pagina exhibendam.

Lineam Apſidum ſuppono fixam; neque enim ſuppetunt argumenta ex obſervationibus pro contraria parte: quamvis probabile ſit, ſicuti Apogæon Lunæ circa terram movetur ſingulis fere novem annis, ita Satellitis Apocronium ferri circa Saturnum, ſed periodo longe majori, quam poterunt futuræ obſervationes definire.

Diſtantia Satellitis a centro Saturni videtur quatuor diametrorum annuli, vel novem globi ſive diſci eſſe. Planum, in quo movetur, parum vel nihil a plano annuli differt, h. e. orbem Saturni Sign. 4.22° & Sign. 10. 22° a prima * ♈ interſecat angulo 23 graduum & dimidii, ita ut proxime ſit parallelum Æquatori Terræ. Quapropter latitudo ſemicirculi Apogæi, a Signo 4. 22° ad Signum 10. 22° longitudinis Saturni, erit ſeptentrionalis, reliqui ſemicirculi auſtralis: & contra in altero dimidio longitudinis Saturni, videlicet a Signo 10. 22° ad ſignum 4.22° ejus diſtantiæ a prima * ♈. Sequitur, ut ope harum Tabularum doceamus invenire locum Satellitis ad quodvis tempus datum.

Ini-

Digitized by Google

*(Tabula Motus Medii Satellitis Saturnii, ab Hugenio inventi, a prima * ♈)*

Ann. Christ. Curr.	Epocha. s. °. ′.	Annis	Mot. Med. s. °. ′	Diebus	Mot. Med. s. °. ′	H. M.	Mot. Med. °. ′.	′. ″.	M.	Mot. Med ′.	″
1641	8. 29. 17	1	10. 20. 36	1	0. 22. 35	1	0.	56	31	29.	10
1661	10. 14. 1[illegible]	2	9. 11. 12	1	1. 15 9	2	1.	53	32	30	6
1681	11. 29. 3	3	8. 1. 48	3	2. 7. 44	3	2.	49	33	31.	3
1682	10. 19. 39	4	7. 14. 59	4	3. 0. 18	4	3.	46	34	31.	59
1683	9. 10. 15	5	6. 5. 35	5	3. 22. 53	5	4.	42	35	32.	55
1684	8. 00. 51	6	4. 26. 11	6	4. 15. 28	6	5.	39	36	33.	52
1685	7. 14. 2	7	3. 16 47	7	5. 8. 2	7	6.	35	37	34.	48
Mens.	Mot. Med.	8	2. 26. 57	8	6. 0. 37	8	7.	32	38	35.	45
Ann.		9	1. 20. 23	9	6. 23. 12	9	8.	28	39	36.	41
Com.	s. °. ′.	10	0. 11. 9.	10	7. 15. 46	10	9.	24	40	37.	38
Jan.	0. 0. 0.	11	11. 1. 45	11	8. 8. 21	11	10.	21	41	38.	34
Feb.	11. 9. 53	12	10. 14. 55.	12	9. 0. 55	12	11.	17	42	39.	31
Mart.	8. 12. 2	13	9. 5. 32	13	9. 23. 30	13	12	14	43	40.	27
April.	7. 21. 56	14	7. 26. 8	14	10. 16. 5	14	13	10	44	41.	24
Maji	6. 9. 14.	15	6. 16. 44	15	11. 8. 39	15	14	7	45	42.	20
Junii	5. 19. 7	16	5. 29. 54	16	0. 1. 14	16	15.	3	46	43.	17
Jul.	4. 6. 26	17	4. 20. 30	17	0. 23. 48	17	16	0	47	44.	13
Aug.	3. 16. 19	18	3. 11. 6	18	1. 16. 23	18	16	56	48	45.	10
Sept.	2. 26. 12	19	2. 1. 42	19	2. 8. 58	19	17	52	49	46.	6
Octob.	1. 13. 31	20	1. 14. 53	20	3. 1. 32	20	18	49	50	47.	3
Nov.	0. 23. 24			21	3. 24. 7	21	19.	45	51	47.	59
Decem.	11. 10. 43			22	4. 16. 42	22	20.	42	52	48.	56
				23	5. 9. 16	23	21.	38	53	49.	52
				24	6. 1. 51	24	22.	35	54	50.	49
				25	6. 24. 25	25	23.	31	55	51.	45
				26	7. 17. 00	26	24.	27	56	52.	42
				27	8. 9. 35	27	25	24	57	53.	38
				28	9. 2. 9	28	26	20	58	54.	35
				29	9. 24. 44	29	27.	17	59	55.	31
				30	10. 17. 18	30	28.	13	60	56.	27
				31	11. 9. 53						
				32	0. 2. 28						

In Anno Bissextili post Februarium adde unum diem, motumq; ei competentem.

Initio habenda est vera longitudo Saturni a Terra, & numerata a prima * ♈ (vel potius locus Terræ e Saturno visæ, una cum eius latitudine ab orbe Saturni, quam tamen, utpote nunquam ad $\frac{1}{3}$ gradus adscendentem negligimus;) inde subtrahi debent Sign. 10. 22°, & remanebit distantia Saturni a puncto æquinoctiali; cum hac distantia, tanquam cum longitudine Solis, accipiatur Recta adscensio respondens, & declinatio, ($23\frac{1}{2}$ gradus dant obliquitatem utrique communem,) rectæque adscensioni addantur Sign. 10. 22°, unde summa prodibit, quæ patefaciet Longitudinem Apogæi Satellitis. Tum dicito: Ut radius ad sinum declinationis, sic 8 ad maximam latitudinem in Apogæo aut Perigæo, in partibus semidiametri ipsius annuli.

Postea collige medium motum Satellitis, & ab eo subtrahe Sign. 10. 22°, quod remanet, est anomalia media, cui in tabb. primariæ æquationis Lunæ quære æquationem respondentem; ejus dimidium additum vel demtum medio motui, pro tabularum titulo, dat verum motum Satellitis, a quo subtrahendum est Apogæon, & si quod remanet sex signa excedit, Satelles erit occidentalis; sin residuum ad sex signa non adscendit, Satelles erit orientalis. Atque ut Radius ad sinum residui, sic 8 ad semidiametrum annuli, vel 18 ad semidiametrum globi; ita ut satelles sit versus orientem vel occidentem respectu centri Saturni, juxta præcepta, quæ antea dedimus. Tandem ut Radius ad sinum complementi residui, sic maxima latitudo a linea ansarum ad latitudinem quæsitam. Nota hic, me studio neglexisse inæqualitatem distantiæ, quæ ab Eccentricitate provenit, quoniam ipsa adeo est exigua, ut nullo modo possit observari.

Ad tollendas denique omnes difficultates, quæ illis, qui parum in hac numerandi ratione se exercuerunt, suboriri possunt, duo exempla subjicio, ut præcepta mea, sicubi obscura sunt, illustrentur.

Anno 1657, Maji d. 19 st. n. Hugenius observavit Satellitem Saturno proximum ad latus occidentale, & parum a linea ansarum distantem; credo id fuisse hora 10. p. m. Anno 1658 Mart. 11, H. 10 st. n. iterum observavit eundem Satellitem, ac de ipso ita scripsit: *difficile conspiciebatur, quippe propinquus admodum Saturno, Orientem spectabat, eratque Ansarum linea aliquanto inferior & sub Saturno quasi transiturus*. Jam hæc duo tempora modo præscripto calculemus.

1657

1657. *Maji* 9. H. 9. 40′ *Londini.*	s.	°	′
Saturni Locus.	♍	28°	57
♄ *a pr.** ♈.	5.	0.	32
Æquinoct. subtr.	10.	22.	00
♄ *ab Æquinoct.*	6.	8.	32
Ascensio recta.	6.	7.	50
Apogæon.	4.	29.	50
Declin. Austr.		3.	23
Med. Mot. Satell.	s.	o	′
1641.	8.	29.	17
16.	5.	29.	54
Maji	6.	9.	14
9. D.	6.	23.	12
Hor. 9. 40′		9.	5
Long. Med. Satel.	4.	10.	42
Apocron.	10.	22.	00
Anomalia	5.	18.	42
Æquatio subtr.			31
Long. Ver. Satell.	4.	10.	11
Apogæon	4.	29.	50
Residuum	11.	10.	21
h. e. ante Apogæum		19.	39

ergo $2\frac{7}{15}$ semid. annuli ad occasum & $\frac{9}{15}$ ad boream.

1658. *Martii* 1, H. 10.	s.	°	′
Saturni Locus.	♎	16°.	25′.
♄ *a pr.** ♈.	5.	17.	59.
Æquinoctium	10.	22.	00.
♄ *ab Æquin.*	6.	25.	59
Ascens. Recta	6.	24.	5.
Apogæon.	5.	16.	5
Declin. Aust.		10.	4
Med. Mot. Satell.	s	o	′
1641.	8.	29.	17
17.	4.	20.	$30\frac{1}{2}$
Martii.	8.	12.	$2\frac{1}{2}$
1. D.	0.	22.	$34\frac{1}{2}$
Hor. 10.		9.	$24\frac{1}{2}$
Long. Med. Sat.	11.	3.	49
Apocron.	10.	22.	00
Anomalia	0.	11.	49
Æquatio subt.		0.	30
Long Ver. Sat.	11.	3.	19
Apogæon	5.	16.	5
Residuum	5.	17.	14
h. e. ante Perigæum		12.	46

hinc provenit $1\frac{77}{100}$ semid. ann. ad ortum, & $1\frac{35}{100}$ ad austrum sive infra.

Per omnia exacte cum descriptione & figura Dn. Hugenii convenit.

Voco hic planum orbis Satellitis, quod hactenus habeo pro eodem cum plano annuli, Saturni Æquinoctialem. Non quod ulla observatio probare potuerit, axem hujus globi ad rectos angulos ipsi esse,

 sed

ſed quia viſum fuit Dn. Hugenio ipſum ita appellare, & ſimiliter, quoniam proxime parallelum eſt noſtri globi æquinoctiali. Interim ut quod ſentio dicam, credo, axem eſſe haud parum inclinatum ad planum annuli. Nam ſicuti Reflexio luminis Solaris ab annulo plurimum juvat illud Hemiſphærium Saturni, quod illuminatam ejus partem reſpicit; ſic alteri Hemiſphærio maxime officit umbra annuli; atque id per aliquot menſes; imo in nonnullis parallelis per aliquot annos continuam noctem per interceptionem radiorum Solarium efficit, quæ eſt conſequentia demonſtrative deducta a poſitu annuli in plano æquatoris Saturni. Jam hoc incommodum aliqua ratione tolletur per obliquam poſitionem axis. Sic enim dum Paralleli Latitudinis interſecant annuli planum, multi ex ipſis, & non raro omnes, per aliquod tempus in quavis revolutione diurna globi ab hac eclipſi ſe defendent, quæ alias poſſet Saturni globum inhabitabilem reddere. Hanc interim meram conjecturam eſſe lubenter agnoſco.

Reliquos duos Saturni Satellites, detectos a Dn. Caſſini Pariſiis An. 1672 & 1673, fateor me hactenus non potuiſſe obſervare. Intellexi ipſos evaneſcere per $\frac{2}{5}$ revolutionis Saturni, & tunc ſolum videri, quum anſæ ſunt exiguæ, quoniam ſupponitur lumen ab anſis veniens, ſi fuerit clarius, hos ſatellites poſſe abſcondere. Anno 1685, quando anſæ prorſus evaneſcent, commodum tempus erit, eos inquirendi, ut ita ipſorum motus regulis includantur, & ſciatur, ubi inveniri poſſint, cujus notitiæ defectu impræſentiarum fortaſſe inveſtigari nequeunt.

TRAITE DES MALADIES DES FEMMES groſſes, & de celles qui ſont accouchées, per François Mauriceau.

h. e.

Tractatus de Morbis prægnantium & puerperarum, Auctore Franciſco Moricello.

Pariſiis, 1681 in 4.

DIu eſt, quod chirurgus hic Pariſienſis utiliſſimam obſtetricandi artem, eadem qua eam exercet, i. e. ſumma dexteritate in præſenti Tractatu tradidit. Prima enim ejus editio jam anno 1668 prodiit, quam a. 1675. ſecuta eſt altera; eoque cum applauſu exceptus hic liber

Googl

TAB. VI. ad A. 1684. pag. 195.



liber est, ut dignus Anglis pariter ac Germanis visus fuerit, quem e Gallico idiomate in linguas vernaculas traducerent. Ast editiones priores tertia, quam hic damus, multum antecellit, utpote novo multarum rerum memorabilium auctario locupletata ac exornata. Etenim ne observationes plurimas egregias hinc inde interspersas, quæ in antegressis editionibus non leguntur, attingamus, neque tribus capitibus integris, quæ crurum puerperarum inflationem, passionem hystericam, & fluorem muliebrem explicant, ac libro tertio nunc inserta sunt, recensendis immoremur: unicum nobis sufficiat indigitasse instrumentum, quod a se pro fœtu mortuo, cujus caput in vagina uteri hæret, educendo inventum, ac *Tire-teste*, quasi capitis-traham, seu instrumentum protrahendo capiti inserviens appellatum, novissime Auctor cap. 32, l. 2. delineavit, rationibus additis haud levibus, cur illud uncis, qui alias his in angustiis ordinarie adhiberi solent, præferri mereatur. Nos operæ visi nobis sumus facturi pretium, si auctoris verba, quibus modum instrumentum illud applicandi, figurasque adjectas declarat, Latine reddita, benevoli lectoris conspectui sisteremus.

A Instrumentum exhibet, *Tire teste* auctori dictum, omnibus suis partibus instructum.

B Corpus instrumenti sine cannula sua (lit. D) & vertebra (lit. F) in cujus extremitate lamina est figuræ orbicularis, eademque, ut tanto facilius capiti infantis mortui intromitti possit, mobilis. Ab utroque etiam illius lamellæ latere parva quædam eminentia est, in morem adamantis acuminata; quarum una respondere debet exiguæ cuidam cavitati, in plana instrumenti parte expressæ, ut in ipsa excipi possit, quoties lamella mobilis demissa planæ superficiei imponitur, seu planæ isti parti parallelo situ incumbit.

C adhuc sistit idem corpus ejusdem hujus instrumenti, cujus lamina sita est eo, quo decet, modo, dum in caput infantis introducitur, quo facto postmodum hæc lamina pristino situi restitui debet, prout in figura præcedenti per literam B notata exhibita fuit.

D Cannula, in quam immitti truncus instrumenti debet, usque dum lamina, quæ ad extremitatem cannulæ hujus est, proxima sit alteri, quæ extremitati instrumenti insistit, ut hoc pacto exacte capillata cutis & ossa cranii, quæ inter utramque laminam interjacent, prout e figura (lit. I.) apparet, comprimantur. Hæc cannula fissuram a-

liquam prope laminam obtinet eo fine factam, ut in ipsa recipiatur plana instrumenti pars, & parvam alam ab utroque latere alterius extremitatis oppositæ, ut hac ratione firma permaneat, nec movere se possit, dum vertebra instrumenti clauditur, quæ litera F notata est.

E Eadem cannula alio modo visui se offerens, ut duas parvulas cavitates ostendat, quæ in lamella sunt, ad latera majoris foraminis. Eæ serviunt recipiendis duabus eminentiis ad adamantis modum acuminatis, quæ in lamella corporis instrumenti sunt, notati litera B. Hæ exiguæ eminentiæ hunc habent usum, ut, dum ossibus capitis infiguntur, lamina instrumenti magis firmetur, caveaturque, ne, quod ipsa prehendit, rursus elabatur.

F Vertebra, cui immitti cochlea instrumenti debet, ut cannula per hanc vertebram compressa, duæ lamellæ sibi invicem arctissime committantur.

G Cultellus ab uno solum latere acutus, idoneus aperiendo capiti mortui infantis, quo intromittatur instrumentum.

H Caput infantis, ubi facta est incisio secundum longitudinem inter duo ossa parietalia, eo modo, quo institui debet, ut instrumentum introduci possit, cujus duæ laminæ omnem illam capitis partem prehendent, quæ linea circulari, quam notatam videre licet, comprehenditur.

I Instrumentum cum omnibus suis partibus infantis capiti adhærentibus, ut ipse ex utero extrahi possit, fortiter manibus comprimendo instrumentum in vertebræ manubrio, quo tanto firmius teneatur.

HISTORIA DE FATIS LITERARUM ROmanarum Autore P. Molinetto; inserta Ephemeridibus Eruditorum Gallicis d. 31. mensis Januarii a. 1684.

Literarum notæ, in quibus olim, tanquam in cortice, rerum cognitionem omnesque doctrinas una gens ad aliam transmisit, fere nunquam non eandem fortunam expertæ sunt, quam ipsa optimarum artium studia, ut his quidem florentibus cultæ, jacentibus autem barbarieque infuscatis neglectæ ac depravatæ fuerint. De quibus variis ipsarum fatis P. Molinettus in erudito commentario, quem Ephe-

Digitized by Google

TAB VII.
ad A: 1684
pag: 197.

Ephemerides Gallicæ exhibent, succincte exposuit, nactus occasionem ex antiquis aliquot nummis, quos Bibliotheca Genovefæ Parisiensis asservat. Orditur ab Ebræorum sententia, qui scripturam ac literarum elementa mundo coæva faciunt, eaque seposita, Iosephi autoritatem sufficere pronunciat, quæ inducere nos possit, ut credamus, literas ante diluvium extitisse. Postea ostendit, quomodo hæ ad Chaldæos & Israelitas propagatæ, ac ab ipsis, quum durissimam servitutem in Ægypto servirent, Græcis traditæ, & denique per Janum e Græcia ad Latinorum vel Aboriginum gentem delatæ fuerint. Cumque Saturnus regno a Jove filio pulsus in urbem a Jano ædificatam se recepisset, ac populum cum aliis multis monetæ cudendæ rationem docuisset, factum scribit, ut Jani Saturnique junctos vultus æri incidi curarint, quales num. I. exhibentur in nummo, quem Molinettus ejus ætatis esse credit. Ubi literæ in altera facie expressæ ad Græcas plurimum accedunt, inprimis Δ & Λ; legendum enim *Odicela*. Evanescente postmodum pecuniæ signatæ usu, æs grave usque ad Servium Tullum invaluisse scribit, quem putat iterum Jani Saturnique capita metallis impressisse, in altera vero nummorum facie proram navigii notasse, vel bovem aut aliud quodvis animal, unde pecuniæ nomen venerit, conf. n. 2. Alium nummum exhibet n. 3, circa annum 485 ab U.C. consule Fabio Pictore signatum, qui literas satis belle formatas ostendit EX.A.PV. quod est, *Ex argento publico.* Ab illo tempore usque ad Augusti imperium, contendentibus ad summam perfectionem omnium artium studiis, data imprimis opera fuit, ut moneta elegantissime cuderetur, quod nummi hujus Imperatoris effigiem gerentes probant, e quibus metallinum aliquem Molinettus n. 4 excudi curavit, ubi leguntur hæc verba literis justissima proportione efformatis, DIVUS AUGUSTUS. Sicuti autem vix seculum inde effluxit, quin bonæ artes ab illo, quod attigerant, culmine rursus paulatim declinarint; ita n. 5. in nummo Alexandri Severi, literæ de pristino nitore jam haud parum perdidisse, plus æquo graciles & coarctatæ observantur. In sequentibus annis Maximi ac Diocletiani, Justini itidem ac Justiniani nummi literis penitus depravatis signati sunt, donec sub Constantino Græci, sub Honorio Gothi sua elementa Romanis miscentes plenam barbariem induxerunt. Quam quidem literarum corruptionem Molinettus in ipsas quoque Gallias penetrasse argu-

mento

mento cujusdam Psalterii & lapidis sepulcralis probat. Licet vero sub auspicato Caroli M. imperio reviviscere nitide scribendi studium cœperit, (quod MStus codex Evangeliorum, quem bibliotheca Genovefæ habet, testatur,) Normannorum tamen crebræ in Galliam excursiones illa halcyonia parum diuturna esse permiserunt. Nec ante inventam Typographicam artem literæ squalorem ac sordes, quas multorum seculorum cursu contraxerant, deposuerunt. Hanc Molinettus inventam Moguntiæ a Guttembergio memorat, ac e præfatione Epistolarum Hieronymi, Romæ anno 1467 impressarum, nonnulla adducit, unde constet, non Hollandiam, sed Germaniam utilissimæ arti originem dedisse. Verba ita habent: *Hoc est, quod semper gloriosa illa ac cœlo digna anima Nicolai Cusensis Cardinalis peroptabat, ut hæc sancta ars, quæ oriri tunc videbatur in Germania, Romam deduceretur.* Cæterum habuere sub initium & ipsi typi characteres quosdam Gothicos Romanis permixtos, successu temporis vero adhibita cura emendati ac paulatim illi, quo nunc fulgent, nitori restituti sunt. Nam quum in Italia cœpissent artes pistoria, sculptoria, ac statuaria excoli, benignior quoque fortuna scripturam ac literas respexit. In cujus rei fidem allegatur a Molinetto nummus Alphonsi Regis Siculi, anno 1440 elegantissimis notis signatus.

GRAMMATICA GRÆCA HARMONICA GOLIO-WELLERIANA, cura atq; studio M. Joh. Friderici Kœberi, in illustri Rutheneo Rectoris.

Lipsiæ apud Joh. Frid. Gleditschium 1684. in 8.

CUm inter libellos Grammaticos Græcæ linguæ studio inservientes, non ultimo in scholis loco a multis censeatur *Theophili Golii Grammatica*, in diversis locis subinde cum novis additamentis impressa; non operam se lusurum existimavit Cl. *Joh. Frid. Kœberus*, vir de juventute scholastica & bonis litteris præclare meritus, si ubi illa deficit, aut etiam a norma bonæ methodi nonnihil recedit, suppleret atque meliori ordine digereret. Ideo enim hinc inde ex optimis Grammaticis, quos indicat in notis, eandem auxit; Syntaxin ex Posselio, Glassio & aliis locupletavit; Prosodiam paucis Langianis retentis ad regulas & observationes Crausio-Cellarianas non ineruditas emendavit; quæ non satis accurata videbantur, rescidit; ex iis, quæ de Dialectis ab Amerotio tradebantur, suo quidvis loco, in consilium quoq; adhibito libello Erasmi Schmidii, reposuit; inprimis autem cum Welleriana Grammatica conciliavit, & quid vel pugnent vel conspirent invicem, annotavit. In *Appendice* doctrinam de dialectis in genere, de figuris Grammaticis, & quod ab aliis omissum erat, de compositione dictionum Græcarum, luculenter tractavit; adeo ut nihil, quod ad notitiam in lingua Græca Grammaticam facere potest, videatur prætermissum esse.

N. V.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DC LXXXIV.

IMPERATORUM ROMANORUM NUMISMATA a Pompejo Magno ad Heraclium, ab Adolpho Occone olim congesta, nunc Augustorum Iconibus, perpetuis Historico-Chronologicis notis, pluribusque additamentis illustrata & aucta studio & cura Francisci Mediobarbi Biragi, S. R. I. Comitis & Regiæ Civitatis Papiæ Decurionis.

Mediolani apud Ludovicum Montiam, 1683. in fol.

QUantum in rem literariam utilitatis ex antiquis redundet numismatis, nos alibi ex Duumviris celeberrimis, & rei nummariæ consultissimis *Carolo Patino* & *Ezechiele Spanhemio* jam indicavimus. Nihil itaque hic præfati, ne crambem jam coctam apponere velle videamur, *Adolphi* statim *Occonis* mentionem facimus. Is enim inter eos, qui de re nummaria paulo copiosius sunt commentati, præclarum sibi nomen jam dudum comparavit, congestis Imperatorum Romanorum a Pompejo Magno ad Heraclium usque numismatis, iisque in lucem editis. Quanquam autem liber hic ejus cæteris gemini argumenti operibus longe uberior sit ac prisca eruditione refertior, plurima tamen suppleri in eo posse Scriptores post eum rei nummariæ alii, Gorleus puta, Hulsius, Tristanus, Hugellonus, Patinus, Vaillantius, Seguinus, Sponius, Ascanius, Hemellarius, Oiselius, Bellorius, Paruta, Augustinus, Spanhemius, aliique plures sat abunde ostenderunt. Supplementum itaque Occonis laudati aggressus est Biragus illustrissimus, utque tanto præclarius de studio Historico ac bonis literis mereretur, non additamentis tantum pluribus, tum ex Autoribus Occonem subsecutis, tum ex amicorum scriptis ac scriniis, sed & notis perpetuis Chronologico-historicis id libri illustravit, virorum celeberrimorum,

 Abbatis

Abbatis *Raphaelis Fabretti*, & *Francisci Camelli*, cum Romæ anno 1679 mense Aprili degeret, celeusmatis multum instigatus. Videns autem Vir summus, susceptum a se opus in immanem admodum molem excrescere, in duas illud partes dispertiendum sibi esse censuit, quorum prima Latina Numismata cum Fastis Imperialibus, altera Græca & Coloniarum, cumque illis Geographiam antiquam (nam pauca illorum annos Imperii designant) exhiberet. Neque enim deesse poterant, quæ alteram etiam partem completam non minus, quam primam deinceps redderent, cum & *Johannes Vaillantius*, & *Carolus Patinus* Coloniarum & Græca numismata, quorum uterque ditissimam habet penum, emissuros sese in publicum receperint. Posteaquam vero a Magno hodie Hetruriæ Duce COSMO III, incomparabili Literatorum Mæcenate, Coloniarum nummos ex Hispania missos, & per clarissimum *P. Noris* descriptos accepisset, eosdem Latinis statim in prima hac parte subtexuit, ut vel sic, quem ordinem in digerendis Græcis servaturus sit, lectorem edoceret; & ne vultus forte Imperatorum ac Tyrannorum desiderarentur, etiam illos a *Simone Durello* satis accurate sculptos ubique veluti præfloravit. Cæterum cum in Chronologicis ac Fastis Imperialibus a Panvinii, Golzii, Baronii, aliorumque placitis sæpenumero recesserit Mediobarbus illustrissimus, se Fastos ad Nummorum, non Nummos ad Fastorum fidem accommodasse in præfatione innuit, seque opere inposterum peculiari Fastos antiquos omnes Nummorum atque Inscriptionum beneficio, ut & *R. P. Noris* opitulatu se restituturum spondet. Quod primam hanc partem attinet, quæ Latina repræsentat Numismata, augmenta ubique stellulis adnotantur, auctorum etiam nomina apponuntur, singulisque annis character aliquis historicus subjicitur; & quia libro inter Typographorum manus sudante plura abs amicis Autor acceperat, etiam Catalogus addendorum ab eo, ne quid cimeliorum id genus memoria forte excideret, subjungitur. Nec deesse Indices necessarios huic operi is voluit. Primo autem loco ei postponitur partium Nummorum adversarum, quibus Magistratus describuntur, Index ordine alphabetico dispositus. Hunc excipit Index Familiarum & Virorum illustrium in adversis nummorum partibus occurrentium; succedit illi Index Coloniarum ac Municipiorum, & extremum tandem locum claudit Index tum Auctorum, tum Museorum eruditorum, illustriumque

amico

amicorum, qui subsidiariam ipsi ad Occonem supplendum navarunt operam. Operi ipsi præmittitur Index corrigendorum a R.P. *Noris* confectus, ut in limine is statim lecturientium oculis sese offerat. De cætero, cum Autor non Græcorum tantum Numismatum volumen concinnare, sed & hoc Latinorum ac Coloniarum augere apud animum constituerit, in præfatione erratorum veniam deprecatus, Lectorem eruditum quemque rogat, ut, si quid Nummorum vel Græcorum vel Latinorum hoc opere non descriptorum habeat, transmittere ad se ne intermittat, *auctarii* id nomine cum Græcorum Numismatum volumine se editurum consponden s.

LA PROSPETTIVA PRATTICA DI BERNARDO CONTINO.

hoc est:

Perspectiva Practica Bernhardi Contini. Venetiis apud Jacobum Herz, 1684. fol.

Affirmat Autor, hanc sibi præfixam esse metam, ut jucundissimæ artis principia, quanta possit, perspicuitate tradat, & illas difficultates auferat, quæ plurimorum animos ab ipsius cultura avertunt. Hinc missis, quæ solent a contemplantibus prolixe disputari, illico ad opus manuducit, facilique methodo, qua ratione quæcunque problemata promte *solvi* possint, ostendit. Capite primo post expositam Practicæ Perspectivæ definitionem, in quarumvis rerum repræsentatione tria necessario concurrere observat, (locum, e quo quid conspiciatur, sive situm oculi, distantiam quæ inter oculum & rem visam sit, ac tertio altitudinem,) quæ si bene cognita sint, neminem aberrare a tramite patiantur. Monet etiam duos a Mathematicis modos proponi, quibus quodcunque planum transcribi in tabulam possit; alterum per linearum intersectionem, alterum per quadratum: ac ita utrumque a se exhibitum iri promittit, ut illius modi perspicuitas, cum hujus veritate ac rectitudine jungatur. Exinde ergo eo ordine, quo Scriptores communiter Perspectivam tradunt, initio plana cum rectilinea, tum curvilinea repræsentare docet, ad caput usque duodecimum, quo ostendit rationem, absque distantiæ puncto, quod alias dirigere linearum ductus debet, plana depingendi,

Capitibus ſequentibus de corporum quorundam regularium projectione agit. A vigeſimo uſque ad finem regulas ſuppeditat, quarum beneficio poſſit aliquis facillime porticus, puteos, ſcalas cochleares & quæ ſimilia ſunt, delineare.

THEODORI JANSSONII ab ALME'LOVEEN, M. D. de vitis STEPHANORUM, celebrium Typographorum, diſſertatio epiſtolica ad Virum Cl. Joh. Georgium Grævium.

Amſtelodami apud Janſſonio-Waasbergios 1683 in 8.

QUanquam ex eo tempore, quo Caſſiterographia ſeu ars libros typis exſcribendi adinventa a Germanis fuit, Typographorum larga hinc inde ſeges ſuppullulavit, facile tamen numerari præter cæteros poſſunt, qui emendatiores ac nitidiores editiones procurarunt. Ex hiſce longe celebratiſſimi ſunt tres Manutii, Aldus, Paulus, & Aldus Pauli filius, ut & Daniel Bombergius, Typographi Veneti; Jodocus Badius Aſcenſius, Adrianus Turnebus, Mamertus Patiſſonius, Fredericus & Claudius Morelli, Michael Vaſcoſanus, Chriſtianus Wechelius, Pariſienſes Typographi; Joh. Oporinus, Johannes Frobenius, & Joh. Amorbachius Baſileenſes; Sebaſtianus & Antonius Gryphii, nec non Stephanus Doletus (qui 3 Auguſti anno 1545 combuſtus eſt) Lugdunenſes; Arnoldus Mylius, Godefridus Hittorpius, & Garvvinus Calenius, Colonienſes; Chriſtophorus Plantinus & duo Moreti, Johannes & Balthaſar, Antvverpienſes; Hubertus Golzius, Brugenſis; Franciſcus Raphelengius, Lugduno Batavus &c.

Sed palmam & ϛέφανον famæ ἀμάραντον his omnibus facile præripiunt STEPHANI, Pariſienſes partim, partim Genevenſes Typographi; quippe qui copia & præſtantia librorum typis ſuis exſcriptorũ cæteros, quos diximus, omnes longiſſimo poſt ſe intervallo reliquerunt. Horum ſtemma cum ob infinita in rem literariam merita peculiari libro explicari, dignisque laudum elogiis ad ſeram uſquè poſteritatẽ transmitti mereatur, impetrare ab ſe non potuit φιλοϛέφαν☉ *Theodorus Janſſonius* ab Almeloveen, M. D. isque *Johannis Janſſonii*, Typographi Amſtelodamenſis filius, & *Joh. Janſſonii*, quem Rex Sueciæ ſuum Typographum eſſe juſſerat, nepos, quin *Stephanorum* genealogiam a capite

capite usque arcesseret, vitas illorum, quantum pote, percenseret, & quot quibusque scriptis in lucem editis literarium sibi orbem devinxerint, exponeret; præsertim cum ne inter Gallos quidem, quibus innatum alioquin suis nobilibus ac doctis gloriari, extiterit hucusque quisquam, qui stemma illorum ab origine prima ad ultimum usque surculum deduxerit. Exposuit autem Vitas Stephanorum per modum Epistolæ ad virum celeberrimum, *Joh. Georgium Gravium*, Professorem Ultrajectinum, & suum antehac præceptorem perscriptæ, & multa hinc inde scitu oppido quam jucunda interspersit.

Autorem conditoremque *Stephanorum* facit *Henricum*, *Roberti Stephani* patrem, qui Parisiis *e regione scholæ decretorum* habitavit, & anno 1507 *Historiam Asiæ & Europæ* a Papa Pio II. conscriptam, ut & *quintuplex Psalterium latinum Jacobi Fabri Stapulensis*, & anno 1514 *Dioscoridem* typis publicis exscripsit, viduamque reliquit, *Simoni Colinæo*, qui & ipse in calce *Elucidatorii Ecclesiastici Clichtoveani* successorem *Henrici Stephani* se vocat, multosque in eadem domo e regione Scholæ Decretorum libros impressit, post deinceps nuptam; nec non tres filios, *Robertum*, *Franciscum*, & *Carolum*, eosque & ipsos Typographos. Ex his *Franciscus* cum vitrico *Colinæo* libris imprimendis dedit operam, & *Carolus*, uti doctissimus diligentissimusque fuit Typographus, ita *Thesaurum Ciceronianum* operaque alia non pauca a Jansonio p. 23 & seqq. recitata scripsit atque edidit, filiamque reliquit *Nicolaimam Johanni Libaut* Medicinæ Doctori maritatam. *Robertus* autem Typographeo vitrici sui *Colinæi* aliquantisper, uti frater *Franciscus*, præfuit, sed post annos aliquot officinam extruxit ipse, & tam aliorum, quam suosmet doctissimos labores, inter quos *Thesaurus Latinæ linguæ* longe operosissimus est, tam Parisiis, quam Genevæ, quorsum ob Sorbonistarum odium, summumque vitæ periculum, cum familia se contulerat, elegantissime atque correctissime impressit. Gener alias erat *Jodoci Badii*, valde quoque celebris Typographi, & qui liberorum non minus, quam librorum plurimorum fuit pater. Obiit autem *Robertus* Genevæ annis LVI expletis VII Idus Septembr. anno 1559. Ex *Roberto* hoc nati tres alii Stephani, *Robertus*, *Franciscus*, & celeberrimi nominis ille *Henricus*, ut & *Catharina*, quæ Latine fuit docta. *Robertus* hic *II* Pontificiam religionem amplexus (nam pater cum fratribus reformatæ religioni addicti erant) Typographus Regius factus

Digitized by Google

libros post annum seculi superioris LX cœpit imprimere, reliquitque filium *Robertum* III, Typographum & ipsum doctissimum, ad quem libri post annum 1588 sub nomine *Roberti Stephani* exscripti sunt referendi. De *Francisco* nihil referre habuit *Janssonius*, nisi quod Genevæ anno 1582 adhuc libros impresserit. De *Henrico* autem longe plurima. Et hic quidem (ut potissima saltem decerpamus) jactis sub *Petro Danesio* & *Jacobo Tusano*, Lutetiæ Professoribus, solidissimis fundamentis, familiariter usus est *Adriano Turnebo* Professore pariter ac Typographo regio. (Neque enim indecorum id temporis habebatur, Typographicum juxtim ac Professorium subire munus; quemadmodum & *Johannes Oporinus* apud Basileenses, & *Franciscus Raphelengius* apud Lugduno-Batavos, Professores pariter atque Typographi extitere.) Totam deinceps Europam peragravit, & doctos ubique invisit, imo cum principibus quoque ac regibus fuit collocutus. Fuit enim per XV menses in aula Regis *Henrici* Gallo-Poloni, & Venetiis apud Odettum Selvium *Henrici II* Gallorum Regis legatum hærens cum *Carolo Sigonio*, *Bessarione*, *Arlenio*, doctissimisque Patritiis, Patavii cum *Francisco Robortello*, & *Dionysio Lambino*, Romæ cum *Guilielmo Sirleto* fuit conversatus. Venaticam etiam per omnes Italiæ Bibliothecas exercuit, per Romanam maxime ac Medicæam, e qua & veterum poetarum in Homerum epitaphia descripsit. Nec publicas tantum, sed privatas etiam Bibliothecas fuit pervagatus, & manuscripta exemplaria, quæ accipere gratis non potuit, labore multo multaque pecunia hinc inde sibi comparavit. Perlustrata Italia in Angliam se contulit, ubi Oxoniensem haut dubie Bibliothecam non reliquit insalutatam, domumque exinde tendens Lovanium direxit iter, ubi amicitiam cum *Petro Nannio* junxit, & codicem Anthologiæ Græcæ consuluit. Domum reversus libris excudendis aliquot annos impendit in typographeo illustrissimi viri *Hulrici Fuggeri*. Dein cursum flexit in Germaniam & Austriam. In hoc itinere Francofurti *Bonaventuram Vulcanium*, Argentorati *Philippum Sidneium* (quem & alibi convenit) Viennæ *Johannem Cratonem a Crafftheim*, *Joh. Sambucum*, doctissimosque alios viros visitavit, cumque ex Austria in Hungariam quoque excurrisset, domum redux factus totum se curis laboribusq; typographicis dedit, omnesque propemodum scriptores veteres venustissimis typis non sine eruditissimis animadversionibus, excusos orbi exhibuit, dumque

Digitized by Google

dumque id egit, literarum commercium cum doctissimis ubique terrarum viris, *Joachimo Camerario Carolo Sigonio*, *Oberto Giphanio*, *Joh. Leunclavio*, *Joh. Sambuco*, *Paulo Melisso* aliisque pluribus exercuit. Quod proprios ejus labores attinet, mirificam de se famam admodum juvenis excitavit, cum ex Italia reversus Anacreontem Poetam Græcum anno 1554 primus evulgasset. Nam Græcis Musis se totum consecraverat, ut indifferens ipsi esset, Græcene aliquid an Latine conscriberet. Inter Græca autem opera palmarium est *Thesaurus Linguæ Græcæ*. Nam uti patruus ejus *Carolus Ciceronianum Thesaurum*, & pater *Thesaurum Latinæ linguæ*, ita *Henricus Thesaurum Græcæ linguæ* eruit, facemque longe illustrissimam in Cimmeriis quasi tenebris accendit; quanquam per hunc ipsum Thesaurum ab infidelissimo famulo *Johanne Scapula* deinceps compilatum, pauper admodum fuit redditus. Quid præterea librorum scripserit ediderit que, quos item autores vel præfationibus vel notis exornarit, quidque editurum se postidea promiserit, speciatim atque ordine refert Janssonius. Cæterum uti pater *Robertus* Parisiis cedere *post editos in Evangelium secundum Matthæum, Marcum & Lucam Commentarios ex Ecclesiasticis Scriptoribus collectos*, metu vivicomburii, cogebatur: ita *Henricus* quoque, cum Poematium, cujus versus intercalaris est, *Cavete vobis Principes*, cum Dialogo edidisset, fuga sibi consuluit, flammis alias & ipse ustulandus, si credendum quidem *Cornelio Tollio in appendice ad Pierium Valerianum de Infelicitate literatorum*. Quæ omnia dum commemorat Janssonius, nec mores indolemque *Henrici Stephani* dissimulat, quin arroganti, rixoso, moroso ac mordaci cum ingenio fuisse, ex *Isaaci Casauboni* literis luculenter ostendit. In matrimonium enim filiam Henrici Stephani *Florentiam* duxerat *Casaubonus*; qua occasione & universa Casauboni vita hic loci a Janssonio inseritur. Si *Tollium* jam dictum audias, *Henricus Stephanus* post varia per Germaniam itinera Lugduni Gallorum in nosocomio publico, sc Sammarthanum & alios, ibidem in summa quidem egestate, sed extra nosocomium, anno 1598 fere septuagenarius mortem obiit. Præter *Florentiam* jam dictam, *Dionysiam*, aliosque liberos, reliquit celeberrimum & ipsum Typographum *Paulum Stephanum*. Nam & hic vestigiis paternis insistens nobiliorem orbis terrarum partem pervolitavit, clarissimosque ubique locorum viros, & *Lipsium* quidem Lugduni Batavorum,

tavorum, Heidelbergæ *Comelinum*, Lugduni Gallorum *Tornæsium*, Argentorati *Ruberium*, Londini affinem suum *Casaubonum* invisit, nec aliorum duntaxat, sed & propria deinceps scripta eleganter procudit. Habuit filium *Antonium*, & ipsum Typographum, qui ad paupertatem tandem redactus Parisiis in nosocomio decessit, filiamque reliquit, quæ Parisiis hoc ipso adhuc tempore manibus victum amictumque quæritare dicitur. Hæc & alia postquam de Stephanis in dissertatione epistolica sua exposuit Janssonius, tum Cl. Grævium, tum φιλοστεφάνυς quosque perquam humaniter rogat, ut si vel icones Stephanorum (unicam enim *Roberti* habuit, quam & libello præfixit) vel aliud quid memorabile de Stephanis habeant, communicare secum ne intermittant. Addit postmodum *Antonii Borremansii*, ut & *Cornelii a Beughem* apud Embricenses Tribuni plebis & Bibliopolæ per *Bibliothecam Iuridicam & Physicam* aliaque scripta jam notissimi, (qui & Janssonio, quæ de Stephanis sibi constabant, liberaliter donavit) ad se scriptas literas una cum metricis aliorum ob libellum hunc editum gratulationibus. Subjungit etiam Henrici Stephani *Querimoniam Artis Typographicæ*, de illiteratis quibusdam Typographis, propter quos in contemtum veniat, & *epistolam* ejusdem, qua ad multas multorum Amicorum respondet tum *de Typographiæ suæ statu*, tum *de suo Thesauro Græcæ linguæ*. Adjicit tandem & librorum omnium, quos unquam celeberrimæ decem præclarissimorum Stephanorum officinæ exhibuerunt, *Catalogum*, eumque a seipso accurate confectum.

CASPARIS SAGITTARII, SS. THEOL. D. ET IN Acad. Salana Hist. P.P. Harmoniæ Historiæ Passionis Jesu Christi libri tres.

Lipsiæ apud Joh. Grossium, 1684 in 4.

Diu est, quod operi huic elaborando manum clarissimus Auctor admovit. Nam eo jam tempore, cum in Gymnasio Lubecensi Philologiæ studiis adolescens incumberet, moliri illud cœpit, & partem ejus jam ante hos duodecim annos typis exscribi curavit, aliis super alia occupationibus, quo minus telam non interrupto ordine pertexeret, impeditus. Quapropter ipse in Præfatione, quomodo labor hic suus cœperit, ut creverit, succreverit, & post varia intervalla tandem

quid observans. Cæterum cum multis in oraculis responsa per sortes fuerint reddita, etiam sortes Ethnicorum divinatorias, de quibus & in prima dissertatione multa attulerat, examinat, & fraudes circa hoc quoque Oraculorum genus manifestat. Examinat autem 1. κληρομαντείαν seu sortem per talos aut tesseras, 2. βελομαντείαν seu sortem per sagittas aut virgas; 3 στιχομαντείαν ac ῥαψωδομαντείαν seu sortem per versus eosque ex Orpheo, Musæo, Euripide, ac carminibus Sibyllinis, Homero maxime ac Virgilio, depromtos. Has autem stultas Ethnicorum superstitiones dum persequitur, etiam illud ostendit insimul, eas per multa etiam secula obtinuisse in populo Christiano, iisque addictos fuisse non aliquos tantum hinc inde e fece vulgi, sed plures ex primariis Christianismi Antistibus, Isidorum puta, Gregorium Turonensem, Petrum Blesensem, imo ipsum patrum Latinorum augustissimum Augustinum; sed merito *Sortes* illas *Sanctorum*, ut vocarunt, damnatas esse in Conciliis Ancyrano, Laodiceno, Aurelianensi atque Antisiodorensi. Postremo illa quoque duo antiquissima Responsa, quorum alterum Crœso, alterum Atheniensibus fuit datum, discutit, & fraudes illorum quoque luci meridianæ exponit. Pretio enim sæpius corrupta fuisse oracula, ex Herodoto, Athenæo, Plutarcho, atque Æschine clare condocefacit; atque hinc a magnatibus jam consulta, jam neglecta æq; ac auguria, fuisse, prout ea videlicet rebus suis plus minusve inservire existimassent. Documento huic rei sunt tria nova oracula, ut ita loquamur, Statistica, oraculum Hephæstionis ab Alexandro, oraculum Antinoi ab Hadriano, & oraculum Augusti a Tiberio vel Augusto ipso, uti Autor ex Prudentii loco quodam colligit, institutum. Quo minus autem Sacerdotum circa oracula fraudes plebeculæ superstitiosæ innotuerint, in causa initiationes atque mysteria fuisse Autor innuit. Per hæc enim initiati quique obligabantur, nihil quicquam arcanorum illorum propalare, nisi tanquam nefarii atque athei in summum vitæ periculum sese ipsos velint perducere. Initiati autem non sacerdotes tantum, sed & populi circumjacentes, ne & hi aliquid mysteriorum horum eliminarent. Quanquam ne istæ quidem artes prohibere tandem potuerunt, quominus omnis oraculorum Ethnicorum autoritas corrueret. Neque paucæ hujus rei allegari possunt causæ. Septem affert autor, & 1 mendacia eorum frequentia, ac nullos, ut con-

contrarios plane prædictis eventus; 2. corruptos pecunia Antistites, eorumque imposturas ac scelera, postinde manifestata; 3. fraudes ac fallacias artesque per antra, machinas & cætera præstigiarum instrumenta perpetrata, tandemque a consultoribus aliisve detecta; 4. adulteria quandoque & ejusmodi plura horrenda crimina sub prætextu Religionis a Prophetis Antistitibusque commissa; 5. Philosophos, Peripateticos maxime, Cynicos & Epicureos, qui impostores hosce summo studio pudefaciebant; 6. Christianos, eorumque religionem quocunque terrarum se diffundentem, & 7. jocularia ac ridicula responsa per Prophetas subinde consultoribus data. De cætero ut in prima dissertatione multa intersperserat Autor, directe atque indirecte ad scopum suum facientia, ita huic quoque alteri non pauca infibulavit quasi poetarum more episodia, v.gr. de Deo Socratis, & sapientia ejus falso ab oraculo Delphico celebrata, de muliere in Endor, quam & ipsam impostura usam ad decipiendum Saulem fuisse existimat, de sacris veterum Christianorum subterraneis, de perversis veterum monachorum moribus, de libris Sibyllinis &c. cumque in utraque dissertatione consecrationum Ethnicarum plus simplici vice facta fuerit mentio, *Schediasma de Consecrationibus* Ararum, Statuarum, Templorum, Terminorum aliorumque Diis dedicatorum annexuit.

S. JOHANNIS EVANGELIUM COMMENTARIO perpetuo illustratum, atque ab Hugonis Grotii imprimis & aliorum corruptelis vindicatum; Auctore Christiano Nifanio SS. Theolog. Licent. & Superintendente Ravensbergensi &c.

Francofurti ad Mœnum apud Joh. David. Zunnerum 1684. in 4.

CLarissimus Nifanius, cujus scripta, *Carolus M. Confessor veritatis Evangelicæ*, ejusque *vindiciæ adversus Nicolaum Schalen*, item *Mataeologia Labadiana* & alia prostant, vitam adhuc agens Academicam Giessæ aliquot disputationibus Philologicis annotationes Grotianas in Johannem castigaverat, illasque non multo post auctas per modum tractatus ediderat. Hanc suam Commentationem in officiis suis arduis consti-

Digitized by Google

constitutus, horis subsecivis consulendo optimos Interpretes, inprimis luculentas Annotationes Anti-Grotianas Dn.D.Calovii, ita perfecit, ut nunc justum Commentarium Orbi erudito dederit.

Prooemii loco est exercitatio de Jesu Christo posito in signum cui contradicitur. Contradicentibus per seculorum seriem numeratis additur Hugo Grotius, cujus vita, religio monstrosa, confessio fidei in articulo mortis ambigua narratur.

In Commentario verba S. Johannis juxta textum originalem, & Annotata Grotii integra repetuntur: Sensus genuinus eruitur, probatur, Patrum dictis stabilitur: ψευδερμηνεῖαι Grotianæ omnes, nec non aliorum depravationes rejiciuntur.

Adjunguntur in usum Verbi Divini ministrorum, tum Loci Communes practici, tum Auctores, qui vel commentariis vel meditationibus aut integrum Johanneum Evangelium, aut capita ejus aliquot, aut versus illustrarunt.

HERMANNI WITSII
Ægyptiaca, & Δεκάφυλον. Sive de Ægyptiacorum Sacrorum cum Hebraicis collatione libri tres, & de decem Tribubus Israelis liber singularis. Accessit diatribe de Legione fulminatrice Christianorum sub Imp. M. A. Antonino.

Amstelodami apud Gerh. Borstium, 1683. in 4.

TRes diversi argumenti Tractatus uno hoc volumine complecti vir doctissimus voluit, de quibus distincte etiam dicendum nobis erit, & de primo quidem, qui præcipuus est, ac summo ab auctore studio elaboratus limatusque, paulo uberius.

Duodecim jam anni lapsi sunt, ex quo Vir nobilissimus *Johannes Marshamus*, Eques auratus, librum in Anglia edidit, CANON CHRONICVS ÆGYPTIACVS, EBRAICVS, GRÆCVS, ET DISQVISITIONES, inscriptum; quo id magno ingenio studioque egit, ut priorum octodecim seculorum, quæ a diluvio fluxerunt, Chronologiam, impeditissimam sane & obscurissimam, explicaret ac luci suæ restitueret, eademque opera veteres Ægyptiorum, Ebræorum, Græcorumque ritus ac instituta ex optimis Scriptoribus illustraret. Nec sine

ſine applauſu a doctis exceptus hic liber eſt, vaſtam & reconditam, quam ubiq; ſpirat, eruditionem non immerito veneratis; ſed ita tamen, ut nec nævi pulcherrimo operi pasſim adſperſi lectorum oculos ſubterfugerint, & quædam nimio novitatis ſtudio profanius ab auctore, quam par erat & Chriſtiano forſan homine dignum, dicta ac tradita piis mentibus fuerint improbata. Utique qui eundem Marshami librum a. 1676 Lipſiæ recudi, ac ampliſſimis indicibus, qui Londinenſi editioni deerant, exornari curavit, de cautione in legendo libro cætera doctisſimo adhibenda, qualicunque præfatione admonendum Lectorem cenſuit. Poſtquam enim juſto opus ipſum encomio decoraſſet, mox *non disſimulandum* ait, *contigiſſe illuſtri ejus auctori, quod contingere iis aſſolet, qui ſupra vulgus ſapiunt, ut novas ſubinde ac ſingulares opiniones ſectaretur, iisque fulciendis ſacræ etiam Scripturæ loca quædam in novum ſenſum inflecteret*; ac ſpeciatim inde notat, Theologisque uberius excutienda ac refellenda commendat paradoxa duo; quorum altero Ebræorum ſacra, quæ a Deo ipſo non ſine typica Meſſiæ ejusque officiorum atque beneficiorum adumbratione inſtituta novimus, ex Ægyptiorum ritibus derivare: altero ſeptuaginta Danielis hebdomades nova quadam ratione ſic computare, ut non ad Chriſtum, ſed Antiochum Epiphanem viderentur pertinere, ac validisſimum adeo argumentum, quo adverſus Judæos Chriſtiana ſemper Eccleſia uſa fuit, evertere conatus Marshamus fuerat.

Quemadmodum vero jam ante de Eccleſia Chriſti egregie meritus eſt vir Clarisſimus, Johannes Chriſtophorus Wagenſeilius, quando in Mantiſſa *Telis igneis Satanæ* anno 1681 editis, & a nobis Actorum menſe Majo an. 1682. pag. 61. ſqq. recenſitis, adjuncta, poſterius illud Marshami dogma maſcule refutavit, vindicavitque deprompti ex Spiritus S. illo apud Danielem vaticinio argumenti vim ac robur: ita non minori apparatu, eloquentia, ac zelo prius Marshami paradoxum examinandum ac refellendum Theologus Academiæ Ultrajectinæ celeberrimus, Hermannus Witſius, ſuperiore anno ſumpſit, *de Ægyptiacorum ſacrorum cum Hebraicis collatione* libris tribus in lucem editis. Nimirum cum vir clarisſimus animo reputaret, illam Marshami hypotheſin, *graviſſimis*, ut ipſe in Dedicatoria epiſtola loquitur, *laborare ſequelis, quæ in Deum Deique populum atque in ſanctisſima Numinis inſtituta perquam ſint injurioſæ; verendumque eſſe, quod eo com-*

dem finitus sit, uberius commemorat. Divisum Opus in tres partes est, quarum *prima* explicantur ea, quæ passionem Christi proxime antecesserunt, & vel ab inimicis ejus ad capiendum tollendumque eum se præparantibus, vel a Christo ipso discipulos suos ut scandalum caveant præmonente, semet ad passionem ferendam muniente, aut alias gesta fuerunt: *altera* ipsa sacrosanctæ passionis Historia enarratur, singulæque ejus circumstantiæ diligenti studio expenduntur: *tertia* de iis, quæ passionem Christi secuta sunt, ejusque sepultura agitur. Universus vero operis contextus seriem temporis exacte servat, methodo non multum absimili illi, quam in sua Harmonia *Gerhardus Johannes Vossius* olim secutus est. Evangelistarum consensus ubique asseritur, conciliatis quæ pugnare inter se videri possint. Antiquitates Judaicæ ac Romanæ, quarum in Historia passionis fit mentio, erudite illustrantur. Diversæ auctorum tum veterum, tum recentiorum, in explicandis ac conciliandis Evangelistis sententiæ, conferuntur ac examinantur. Verbo, ita elaboratum opus est, ut justi in Historiam passionis Christi commentarii loco habendum, eoque Auctor non Polyhistorem minus ac Philologum, quam Theologum gravissimum se Lectori probaverit. Adjecti sunt 1. locorum Scripturæ S. quæ passim explicantur aut illustrantur; 2. Auctorum citatorum, quorum magnus auctori apparatus fuit; 3. Hebraicarum, & Græcarum vocum, quarum genuinus sensus eruitur; 4. rerum ac verborum utilissimi indices.

ANTONII VAN DALE M. D. DE ORACULIS ETHnicorum Dissertationes duæ, quarum prior de ipsorum duratione ac defectu, posterior de eorundem autoribus.

Amstelodami apud Henricum & viduam Theodori Boom, 1682. in 8.

DUæ potissimum quæstiones de Oraculis Ethnicorum ventilatæ fuerunt hactenus; & altera quidem, utrum illa cum adventu Servatoris nostri JESU CHRISTI cesserint penitus, an vero per aliquot adhuc secula ulterius, etiam post Imperatores quosdam Christianam Religionem amplexos, perduravint? Altera, utrum Cacodæmon, simia illa DEI, oraculorum Ethnicorum autor sit solus, an

an imposturæ etiam humanæ aliquid adhibitum in proferendis illis fuerit. Quod primam attinet, gravissimi sunt Autores e priscis pariter atque recentioribus, qui omnia cum nato CHRISTO, vel post paulo conticuisse oracula confidenter asserunt; quod alteram, omnes ferme Ecclesiæ primitivæ, cumque illis non pauci hactenus e primæ caveæ eruditis, non alium oraculorum præsidem dictatoremque, quam Diabolum, agnoscunt. Verum ab his omnibus segregem se facit doctissimus hujus libri scriptor, & quemadmodum duæ de Oraculis agitantur controversiæ jamjam memoratæ, ita duas quoq; dissertationes concinnavit; quarum in prima perquam luculenter ostendit, non ante Nativitatem CHRISTI vel paulo post eandem desiisse oracula Ethnicorum, sed ad Imperatores Christianos, imo ad Theodosii usq; M. filios Arcadium atque Honorium durasse; in altera, non ulla vi supernaturali, dæmonumve præternaturalibus artibus, sed meris præstigiis Pythiarum, Prophetarum atque Antistitum Ethnicorum, qui templis fatidicis, aliisque oraculis aut sortibus olim præfuerunt, responsa illa fuisse reddita. Id autem dum agit Autor in priscis Scriptoribus mire volutatus, occasione data in alios atque alios discursus de rebus jucundis juxtim atque utilibus, iisque materiæ sibi propositæ non absinibus, exspatiatur. Ac in prima quidem dissertatione, dum oracula post CHRISTUM natum obmutuisse pernegat, etiam alia inficiatur pariter a celeberrimis Viris, quos nominat, constanter asserta, v.gr. narrationem Plutarchi de magno Pane mortuo esse veram, mactationem infantum apud Ethnicos tempore CHRISTI fuisse sublatam, Tiberium consecrare CHRISTUM voluisse, oraculum de puero Hebræo datum, Aramque DEI primogeniti ab Augusto fuisse erectam, oraculum Delphicum imperante Juliano destructum; ut alia id genus plura hic taceamus. Sed ne dicis, quod ajunt, gratia opinari sic videri posset, oracula celebriora quæque per aliquot a CHRISTO nato secula respondisse consultoribus, ex optimæ notæ Historicis demonstrat; Delphicum puta, Dodonæum, Ammonium, Didymæum, Colophonium, Carmeli in Judæa, Paphiæ Veneris, Tiresiæ, Mopsi, Amphilochi, Malli, Jovis Nicephori, Æsculapii, Amphiarai, Sarpedonis, Trophonii, Hermionæ, Pasiphaes, Gerionis, Veneris Aphacitidis, Besæ DEI in oppido Thebarum Abydo &c. ubi & multa de sortibus Ethnicorum, Homericis inprimis ac Vir-

Digitized by Google

ac Virgilianis, referri ab eo videas. Quamvis enim Constantino M. imperante Christianismus quam maxime effloruerit, idololatris in pagos, unde & pagani sunt dicti, secedere tum coactis, cultus tamen idolorum, ne Valentis quidem ac Valentiniani tempore plane desiit; quin & multa (loquimur ex mente Autoris) retenta a Christianis Ethnicismum redolentia, v g. balnea, Pontificatus Cæsarum, adoratio sacræ purpuræ, & Divorum appellatio. Neque id citra rationem status quandam. Connivendum enim erat Imperatoribus ad tempus, ob tot Magnates Romani Imperii in Oriente & Occidente sacris Ethnicis adhuc mordicus inhærentes, ne Imperium aut sumerent sibi ipsi, aut ad alios translatum irent. His expositis, nec inconcinne declaratis, discursum de sacris Tauropoliis annectit, docens sacra ista Hierophantas Solis atque Hecates aut solos aut cum uxoribus suscepisse, idque eos in regenerationem æternam quandam factitasse; ubi & Baronium refellit pariter, qui locum Prudentii in Martyre Romano de Tauropoliis agentem obtorto velut collo ad consecrationem Pontificis maximi pertraxerat, Inscriptionibus qua Græcis, qua Latinis in sententiam suam allatis.

In secunda dissertatione sub initium statim adversus sinistros interpretes censoresque sese obmunit hic Autor. Neque enim is videri vult, qui Dæmonum vel Diabolorum tollere existentiam, atque adeo a latere quasi vulnus aliquod Christianæ Religioni, Scripturæque sacræ infligere meditetur; quin asserit esse Dæmonas, qui non oraculorum tantum respondentium tempore, sed & ante ortum defectumque illorum perdere humanum genus tentaverint. Patribus autem primitivæ Ecclesiæ, qui oraculorum omnium Ethnicorum præsidem solum atque unicum faciunt Diabolum, adstipulari non sustinet, utpote hac quoque in doctrina, uti in aliis, mirum quantum Platonizantibus. Id igitur tantum negat, Dæmones ad sacrificia advolasse, horumque cruore ac nidore se satiasse, aut oraculis Delphico, Dodonæo, cæterisque præsedisse; id quod non Plato tantum ejusque asseclæ, Porphyrius, Jamblichus ac cæteri, sed & hos secuti primitivæ Ecclesiæ patres Athenagoras, Tertullianus, Minucius Felix, Origenes, Eusebius, Firmicus aliique crediderunt. Ansa id negandi, imposturisque Antistitum responsa id genus tribuendi suppeditata Autori fuit tum a Cicerone, qui in lib. 2. de Divinatione cum Epicureis, Aca-

demicis, Peripateticis, Cynicis aliisq; ſapientioribus Oracula eorum que reſponſa lepide ac ſalſe explodit, tum ex Oenomao, cujus fragmenta de oraculis Euſebius refert (hic enim ex profeſſo de fraudibus Oraculorum ſcripſit) & ex Luciani Dialogo, qui Pſeudomantis inſcribitur, autoribusq; præterea tam priſcis, quam recentibus aliis; quanquam ea modeſtia dexteritateque eſt Autor, ut, quicquid hoc ſuæ de oraculis Gentilium eſt ſententiæ, nemini cuiquam velit obtrudere, ſuum potius cuique de rationibus citationibusque ſuis judicium relinquens. Ordine autem aliquo in aſſertione cauſæ ſuæ ut procederet, conſideravit primo, in quibus qualibusve regionibus conſtituta fuerint præcipua oracula. 2. quomodo templa ipſa ſive oraculorum ſepta fabrefacta aut arte aut natura, aut ambabus fuerint, & quibus modis adornata. 3. qualiter & quam diverſimode oracula fuerint reddita. 4. per quas perſonas adminiſtrata. 5. quibus artificiis Antiſtites ac Prophetæ in illis uſi. 6. quanti a Principibus Magnatibusque fuerint æſtimata, & 7. quibus de cauſis oracula hæc talia penitus tandem deſierint. Et primum quidem commode obſervat, oracula in montanis potisſimum regionibus, & quæ ſpeluncis cryptisq; ſubterraneis abundabant, fuiſſe adornata, ut adminiculo ſcilicet ſacerdotibus ad decipiendos homines eſſe potuerint. (Antro enim ſuperſtructum erat oraculum Delphicum, Trophonii, Sarpedonis apud Alexandriam, Apollinis Clarii ad Colophonem, Saturnii in æde Alexandrina, Fortunæ Præneſtinæ prope Romam, Sibyllæ Cumanæ circa Bajas &c.) Fuiſſe etiam in templis adyta, ad quæ nemini, præter Sacerdotes, aditus erat permiſſus. His ita præſtructis artes præſtigiasque ſacerdotum illorum vel potius impoſtorum circa oraculum Delphicum, Trophonianum, Dodonæum, Statuam Memnonis, Oraculum Ammonium aliaque plura detegit, verbis ipſorum Hiſtoricorum antiquorum adductis.

Agit etiam de oraculis per codicillos, item de oraculis per inſomnia (qualia in Antro Charonæo, in fano Paſiphaæ, in templo Æſculapii Pergameno, Calchantis in Daunia, Amphiarai in Attica, Thebis in Bœotia aliisque in locis ſub Deorum nomine reddebantur) & quid technarum atque fraudum circa illa abs Prophetis ac Prophetiſſis fuerit adhibitum, condocet; de oraculo quoque Heliopolitano, & Veneris Aphacitidis, item oraculo Apidis, bovis Memphitici ſimile quid

eo comparata sint omnia, ut omisso mysteriorum sub involucris istis latentium scrutinio, in frigidis ineptientium Ægyptiorum antiquitatibus, si modo antiquitatibus, defixæ studiosorum hominum mentes hæreant, totaq; Israelitarum religio Politici magis alicujus vaframenti speciem habere videatur, quo sive Deus sive Moses regnum sibi in eo populo firmavit, quam umbrarum suarum integumentis ad Christum ducere; a suo, Theologi, officio minime alienum censuit, si justo dogma illud studio excuteret, & quam parum solidis superstruatur fundamentis demonstraret. Cum itaq; in epistola dedicatoria, sacrarum literarum auctoritatem asserturus, calamum adversus eos, qui Criticæ suæ tribunali sanctissimum illum codicem temere subjiciunt, strinxisset, propositiq; sui indicasset rationem; in opere ipso primum Marshami de sacrorum Ebræorum origine sententiam, quam jam ante illum Johannes Spencerus in Dissertatione de Urim & Thummim Cantabrigiæ a. 1668 edita proposuerat, prolixe exponit, collectis in unum, quæ Spencerus & Marshamus sparsim tradiderant, & ita exponit candide, ut illi ipsi causam, quam asserendam susceperunt, clarius explicare, aut subtilius tueri ac exornare non potuissent. Summa doctrinæ eorum hæc est: *Ebræos olim, cum in Ægypto utramque experti fortunam degerent, oblivioni sensim tradito simplici sanctoque, quem a Patriarchis acceperant, divini numinis cultu, in Ægyptiorum mores paulatim transiisse, eorumque ritus idololatricos suscepisse. Postquam vero Deus eductis ex Egypto Israelitis, regnum sibi in eo populo constituere legibusque firmare decrevisset, nosset que insulsæ pervicacisque ac receptorum semel rituum tenacissimæ gentis infantiam ablactari velut e vestigio non posse; rationem eum inivisse, quæ ad cultum vere novum, sed per umbratiles quasdam veteris reliquias populum illum deduceret. Itaque ritus non paucos, ineptos eos quidem, at utcunque tolerabiles, quadam velut συγκατάβασει, sed paulum emendatos, in sacrorum suorum album transscripsisse Deum. Sic enim Tabernaculi Templique magnificentiam, Sacerdotum ordinem splendidumque apparatum, & decoras Pontificis vestes, nec non Urim ac Thummim; ferias & festa, ac hebdomaticum dierum orbem; sacrificia, inque iis hyssopi usum, & vaccæ rufæ, hircique emissarii ceremonias, lucernarum accensionem & frontalia; amyletum serpentis ænei; lotiones crebras, imo circumcisionem ipsam, pluraque alia ex Ægyptiacis sacris in Mosaicum cultum fuisse transsumpta.* Eam vero sententiam sic expolit

lit Witsius, ut primum magnā & admirandam plane veteres inter Ægyptios & Hebræos in religionis negotio convenientiam, ex mente Spenceri & Marshami, per partes singulas distinctéque expendat; ac deinde in medium proferat argumenta, quibus evinci videatur posse, ea in quibus consensus est, Hebræos ab Ægyptiis, non Ægyptios ab Hebræis accepisse; Cyrilli etiam Alexandrini, Chrysostomi, aliorumque tum patrum, tum recentiorum scriptorum testimoniis adductis. Ita integro libro I exposita adversariorum sententia, suam Witsius exhibet, uberiusque libro II & III comprobat, sequentibus septem thesibus (quidni enim & hic legantur?) comprehensam.

I. Ex pravis Ægyptiorum moribus, superstitione atque idololatria multa quidem Israelitæ sumpserunt: sed & similia ab aliis vicinis populis mutuati sunt; neque ab Ægyptiis ea omnia, quæ nonnulli iis uti primis inventoribus adscripserunt. II. *In dogmatibus, institutis, ritibus, a Deo approbatis, non est tanta inter Ægyptios & Hebræos convenientia, quantam viri eruditi prædicant, non caute semper, quandoque nec caste satis aut sancte.* III. *Ubi conveniunt, Ægyptii atque Hebræi ea cum aliis moratioribus populis communia habuerunt, hausta ex communi fonte vel rationis, vel traditionis: quarum utraque apud Hebræos purior atque incorruptior fuit.* IV. *Quæ a jure naturæ remotiora, Ægyptiis tamen atque Hebræis communia fuerunt, ea probari non potest apud Ægyptios quam apud Hebræos antiquiora fuisse; quum illi qui laudantur scriptores omnes Mose non paullo recentiores sint.* V. *Ex adverso probabile est, Ægyptios ab Abrahamo, Josepho, Mose, Salomone multa accepisse.* VI. *Ex eodem fonte Græci hauserunt, sive ἀμέσως, sive ἐμμέσως.* VII. *Nequaquam fuit ea Dei mens in institutis ceremonialibus, quam viri docti fingunt; ut nimirum pervicaci populi ingenio sese attemperaret, ea in cultum suum transsumendo, sed paululum purgata, quibus peregrinas superstitiones æmulando prave adsueverant: sed potius 1, ut laboriosis istis exercitiis, veluti jugo difficillimo, indomitam populi ferociam subigeret. 2. ut veluti pariete intergerino, a cæteris gentibus, & potissimum Ægyptiis, a quibus, & Cananæis, ad quos veniebant, sejungeret. 3. & maxime, ut rerum spiritualium figuræ atque umbræ essent.* Tametsi vero nihil hoc in argumento intactum reliquit doctissimus Auctor, & inprimis contra *Johannem Spencerum*, qui pro Ægyptiorum Teraphim data Israelitis Urim statuerat, prolixe disseruit, nondum tamen omni labore defunctus

Digitized by Google

functus videtur. Cum enim in Anglia sub prælo jam sit Spenceri justum *de Legibus Mosaicis* opus, quo suam illam hypothesin majori argumentorum apparatu firmasse dicitur, novæ utique industriæ materia clarissimo Witsio, cum ad manus ejus Spencerianum illud opus pervenerit, præbebitur: quemadmodum & nobis de hoc argumento plura dicendi, non poterit non suo tempore redire occasio.

Alter voluminis Tractatus Δεκάφυλον, sive *de decem Tribubus Israelis* inscribitur, eorumq; complectitur historiam, quatuor in periodos distributam. *Prima* initium a Jeroboamo est, cujus auspiciis decem tribus a regno Judæ secesserunt, separatamque & Ecclesiam & rempublicam cœperunt constituere; tametsi non tam universalis ea fuit defectio, quin multi domui Davidis sacrisque pristinis adhæserint. *Altera* ab eversione Regni X tribuum incipit, cujus primus gradus in cæde Jeroboami secundi aut filii ejus Zachariæ, alter in victoria Tiglat Pilesaris, tertius in expeditione Salmanassaris spectatur, qui regnum decem tribuum, postquam annis 235 stetisset, omnino destruxit, quibusdam quidem e plebe in terra sua relictis, qui Samaritanorum successu temporis sectam condiderunt, plerisque vero in Assyriam Mediamque deportatis. *Tertia* post solutam captivitatem Babylonicam cœpit, quando una cum Judæis nonnulli etiam ex X tribubus in Judæam reversi sunt, ac cum tribu Juda coaluerunt, plurimi vero nova patria antiquæ prælata in exilii sedibus remanserunt; quorum quidam mixti profanis gentibus inque iis paulatim absorpti sunt, alii avitæ religionis retinentiores communionem cum fratribus suis coluerunt. *Quarta* a novissimo Politiæ Israeliticæ per Romanos excidio ducta, ad optatam totius Israelis restitutionem fluit. Eam enim clarissimus auctor, postquam hucusq; X tribuum Historiam perduxisset, illustratis Scripturæ locis quam plurimis iisq; difficillimis, hypothesin comprobare nititur, & expectandam aliquando esse efficacem totius Israelis, sine tribuum discrimine, ad communionem Christi vocationem; nec desperandum iis de reditu in patriam. Utrumque enim ex solenni illo fœdere, quod cum Abrahamo & semine ejus Deus pepigit Gen. XVII. 7. 8, arbitratur fluere; argumentis insuper ex Levit. XXVI, a commate 16 ad finem usque capitis, ac Deuteron. XXX, versibus decem prioribus, Esaiæ XI, v. 11. 12. 13. Hoseæ III. 3. 4. 5. Jerem. XXXI, 1. Ezech, XVI, 53. XX, 40. 44. XXXVI, XXXVII, petitis ac diligenti studio firmatis.

Digitized by Google

Subjungitur Diatribe *de legione illa Christianorum* decantatissima, quæ sub M. A. Antonino meruit, suisque ad Christum precibus tempestatem commovit, hostibus fulminum ac grandinis jactu exitiosam, Romanis vero frigidissimorum imbrium in summo æstu copia salutarem, *fulminatrix* eam ob causam salutata. Cum enim non gentiles tantum Historici victoriam illam, non Christianorum Deo, sed suo Jovi Pluvio, vel ipsius Imperatoris precibus ac meritis adscribant, aut a mago quodam procuratam asserant; sed & e Christianis scriptoribus fuerint, quibus narratio illa suspecta, ac rationes, quibus fulciri solet, parum solidæ sunt visæ: operæ se pretium facturum Witsius censuit, si rem omnem curatiore studio excuteret. Itaq; cum de facto non dubitari ostendisset, gloriam miraculi sacrilego ausu Jovi Pluvio, inepte etiam vanissimis magorum præstigiis tribui, Christianorum vero precibus merito adscribendam commonstrat; Scaligero tamen, Salmasio, atq; Huetio assensus, literas Marci Imperatoris ad Senatum, quæ in B. Justini operibus nunc vulgo visuntur, genuinas non esse, sed ab alio quodam confictas ac suppositas.

DESCRIPTION DE L' UNIVERS &c PAR Allain Manesson Mallet, Maistre de Mathematiques des Pages de la petite Escurie &c.

sive

Alani Manessonii Malleti, Puerorum nobilium Regii Stabuli minoris Informatoris Mathematici, olim Architecti militaris & rei tormentariæ præfecti in Lusitania

DESCRIPTIO UNIVERSI,

In qua continentur diversa mundi Systemata, Tabulæ Geographicæ universales & particulares, antiquæ & novæ, figuræ præcipuarum in orbe urbium, aliorumque locorum memorabilium; cum effigie Principum, eorumque insignibus, titulis, coloribus aulicis, gentiumque moribus, religione, politia, vestitibus.

Lutetiæ apud Dion. Thierry. 1683, in 4.

Opu

OPus hoc in *Tomos quinque & in libros decem distributum est:* Figuras habet & tabulas 674. Tomo I. Lib. I. & II. tractantur *Sphærica & Cosmographica* in genere, satisque perspicue & populariter. Libro III. specialis descriptionis initium fit a terris *Arcticis*. Tomus II. liber IV. *Asiam* exhibet. Tom. III. lib. V. *Africam*. Tomus IV. lib. VI. *Europæ* partem, in qua sunt Regna *Sveciæ* & *Daniæ*, *Moscovia*, *Sarmatia*, *Polonia*, *Hungaria*, *Illyricum*, *Græcia*, *Italia*, *Hispania*, *Lusitania*. Tomo V. libro VII. reliquæ Europæ regiones describuntur, i. e. *Britannia*, *Germania*, *Gallia*, *Sabaudia*, *Belgium*, *Lotharingia*, *Burgundia*. Sequitur libro VIII. Terra *Australis*. Libro IX. *America Septentrionalis*. Lib. X *America Meridionalis*. Laudanda est utique Autoris concinnitas, brevitas, tum modestiæ & veritatis studium, & elegantia tabularum: nec dubitandum, quin industriam adhibere voluerit maximam, ut non nisi correcta & emendata traderet. Sed dissimulari nequit, accidisse illi, quod aliis, tantam rerum farraginem congerentibus, & aliorum fide nitentibus, ut nimirum in rebus extra patriam suam, experientia & linguarum notitia destituti, sæpissime hallucinentur. Magnum igitur operæ pretium reportarent viri docti & periti, qui tot hujusmodi librorum, variis locis, linguisque editorum, volumina, in ea quisque parte, quam optime perspectam & cognitam habet, serio examinarent, & quæ emendanda invenerint, cum Autoribus istiusmodi Systematum communicarent. Id dum negligitur, & alieno labori nimium tribuitur, aliusque ex alio liber exscribitur, fieri non potest, quin veteres errores non retineantur tantum, sed & novis cumulentur, ut hucusque factum est. Monuimus aliquid hac de re in *Actis nostris anni præteriti* p. 30, *cum Pontierii Bibliothecam Magnatum* recenseremus. Nec mirum est, in hoc quoque *Malleti* opere, longe ampliori, plurima reperiri emendationem desiderantia. Exempla pauca ex rebus Germanicis, quamvis in iis brevissimus & sterilis est, subjungemus. Tomo V, pag. 76, *Eichsfeldiæ* Principatus (qui male *Eschfeld* scribitur) sub ditione *Ducum Luneburgicorum* esse dicitur, sed male; quanquam enim in finibus eorum sita sit hæc regio, ad *Archiepiscopum & Electorem Moguntinum* tamen indubitato jure spectat, neque *Principatus* titulum gerit. Ibidem cum directorum circuli inferioris Saxoniæ mentio fit, verba hæc: *Le Duc de Brunswick & de Lunebourg, comme Archevêque ou Administrateur de Magdebourg, est Directeur*

de ce cercle; mais a present il en partage la Direction avec le Duc de Breme, sans prejudice du droit du Duc de Brunsvvick, qui est toujours Codirecteur; sensum non admittunt congruum. Inter Magdeburgensem, qui Brandeburgicus hoc tempore Elector est, & Bremensem Ducem, qui est Rex Sueciæ, directorium circuli inferioris Saxoniæ alternari, salvo tamen Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium condirectorii jure, publice constat. Sed hunc sensum ex Malleti verbis, ut jacent, nemo forte exsculpserit. In *Saxoniæ superioris* descriptione p. 78, 80, ut & alibi passim, de Episcopatibus, Abbatiis, Comitatibus, Civitatibus, ex *Matriculis*, quas vocant, *Imperii* obsoletis, Autor non pauca hausit, quæ erronea sunt; tum in nominibus multipliciter lapsus est: nihili enim sunt voces *Widerfeld, Rugenstein, Bluchlingen*: nec unquam fuit *Burggraviatus Tautenbergensis*, sed *Baronatus*, Equestri Thuringorum Ordini olim annumeratus, nunc *Præfectura Ducalis.* Neque, ut de aliis taceamus, superest hodie antiqua forma *Comitatus Beichlingensis*, sed exstinctæ illius stirpis prædia & pagi ab equestribus familiis in Thuringia possidentur, maxime a splendidissima *Wertherorum* gente, præclaris in patriam meritis olim & nunc illustri & conspicua. Pag. 78, ditiones *Russorum* sive *Ruthenorum de Plavia* (qui Comitum titulum nuper gerere cœperunt, Dynastæ illustrissimi & vetustissimi, olim *Advocati* dicti) gravissimo errore in Mechlenburgensi Ducatu sitæ dicuntur, quas longissime inde dissitas, *in Misniæ & Voigtlandiæ finibus* jacere palam est. *Martisburgum* sive *Mersburg*, & *Naumburgum*, Ducatus minus recte salutantur; non enim Ducatus titulum habent, sed Episcopatus nomen retinent, quanquam a Ducibus Saxoniæ Electoralis lineæ regantur. Tertius etiam clientelæ Saxonicæ Episcopatus *Misnensis*, (primo olim loco gavisus, & inter eos qui Exemti dicuntur) male Ducatus *Saxe Meissein* dicitur. *Misnia* enim vel *Episcopatus*, vel *Marchionatus* nomen est, non *Ducatus*: & *Misna* urbs arces habuit tum *Episcopi*, tum *Marchionis*; uterque etiam separatas possedit provincias, sicut & olim *Burggravius* ejusdem loci. Nunc omnia pleno jure ad POTENTISS. ELECTOREM SAXONIÆ spectant. Pag. 92 Hennebergicus Comitatus ita inter Saxoniæ Duces divisus dicitur, ut Electorali lineæ septem, Vinariensi quinque unciæ cesserint. Ast plane inversa hæc sunt, cum huic septem, illi vero quinque unciæ tributæ sint. P. 108 *Gorlitia*

tia in Lusatia Academia seu Universitas esse dicitur, quæ nunquam ibi fuit. Sed hæc, omissis aliis, speciminis loco sufficiant: plurima talia in descriptione aliarum provinciarum notare poterunt, qui earum gnari sunt. Itaque & Autor ansam habebit secundam curam adhibendi: & iis, qui Germanicam libri editionem moliri dicuntur, cautione & diligentia in abstergendis nævis, erit opus. Neque nos alio fine hæc commentati sumus.

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CAPITA & in loca ejusdem insignia dissertationes historicæ, chronologicæ, criticæ, dogmaticæ, Autore R.P.F. Natali Alexandro Ord. F.F. Præd. &c. Sec. XI. & XII. Pars prima.

Parisiis apud Antonium Dezallier, 1683. in 8.

Historiam ecclesiasticam continuaturus P. Alexander, de cujus instituto & methodo in Actis anni 1682, mense Julio diximus, ad undecimum & duodecimum seculum procedit, & utrumque conjunctim pertractatum tribus voluminibus absolvit, e quibus jam primum tantum, reliquis duobus ad alia tempora dilatis exhibemus.

Auspicatur illud autor a *Pontificibus Romanis Iohanne XVII* ejusque successoribus, usque ad *Cælestinum III*, quorum vitas dum ex ipsorum epistolis aliisque monumentis in ordinem redactas breviter enarrat, concilia quoque summorum istorum pontificum auspiciis sive Romæ sive aliis in locis habita rebus eorum gestis intertexit.

Hinc ad cætera undecimi & duodecimi seculi *concilia* progreditur, & quid in singulis circa disciplinam ecclesiasticam sancitum decretumque fuerit, exponit. Tria vero Lateranensia, quæ œcumenicis annumerare solent Romanæ curiæ addicti, item ea, quæ in causa Berengarii, Abælardi, Thomæ Cantuariensis, & investiturarum coacta sunt, multaque alia partim Hæresiologiæ, quæ inter selecta Synopseos hujus capita proxime sequitur, partim Dissertationibus, quas secundum & tertium volumen exhibet, reservat.

Inter *hæreticos* primum locum occupant *novi Manichæi*, quorum errores a muliere quadam Itala in Galliam invectos, & ab *Arefasto* viro nobili callide exploratos & proditos, a. 1017. concilium Aurelianense, cujus acta tomo secundo Spicilegii sui *Lucas Dacherius* produxit

duxit, combustis eorum autoribus & asseclis anathemati subjecit. Novis his Manichæis, eorumque promachis *Stephano* & *Lisojo*, subjungitur *Gandulfus* quidam Italus, cujus hæresin a. 1025 Atrebatensis Synodus a *Gerardo* Cameracensi & Atrebatensi episcopo congregata, cujus acta prædictus *Dacherius* tomo Spicilegii sui decimo tertio inseruit, editis singulis adversus singulos errores capitulis damnavit. Sequuntur *Berengarius*, de quo in Dissertationibus uberius agitur; *Michael Cerularius*, in cujus schismate enarrando, quousque Latinæ & Græcæ ecclesiæ dissensio tum temporis progressa fuerit, disquirit, *Roscelinus* in hæresin, quam coram Suessionensi synodo ejuraverat, relapsus; *Basilius* cum sua *Bogomilorum* secta; *Tanchelinus*, qui Antverpiensium animos in tantum sibi devinxerat, ut qua corpus laverat, aquam biberent, donec S. *Norberti* opera a flagitiosissimi hominis consortio in meliorem viam reducerentur; *Petrus de Bruis*, & qui Petrobusianorum sectam propagavit *Henricus*, de quo ex actis Cenomanensium episcoporum, a *Mabillonio* tomo 3. Anal. vet. publicatis, haud pauca referuntur; *Arnaldus* Brixiensis, ejusque præceptor *Petrus Abalardus*, de quo in tertio volumine copiosius differitur; *Gilbertus Porretanus*; *Eudo* sive *Eon*; *Apostolici* ab *Evervino* in epistola ad Bernhardum Claravallensem in Mabillonianis analectis edita, & ipso *Bernhardo* serm. 64 & 66 in Canticum descripti; *Folmarus* Triessensteiniensis in Franconia infra Herbipolin Præpositus, qui *Gerochum* Reicherspergensem in Bavaria Præpositum adversarium nactus est; & ultimo loco *Waldenses*, de quibus hoc ordine agit, ut primum sectæ autorem & varia nomina, deinde errores circa ecclesiam, sacramenta & cætera dogmata, tum varias eorũ sectas, item mores & disciplinam, eorumq; impugnationem & condemnationem, & tandem Waldensium Bohemorum postremam confessionem, & hæreticorum, quibus etiam Lutherum accenset, de iis judicia referat. Inter alia observat libros *Ebrardi de Bethunia*, *Bernardi Abbatis Fontis Calidi*, & *Ermengardi*, qui contra Waldenses inscribuntur, titulum hunc non a suis autoribus, sed ex *Gretseri* ingenio accepisse; & multa passim Waldensibus tribui ab ipsorum doctrina & moribus aliena. Quod ut recte monet: ita perperam cum aliis Pontificiis multa inter Waldensium aliorumque hactenus enumeratorum errores & hæreses recenset, ob quæ inter veritatis testes potius & confessores numerari meruerunt.

Scripto-

Digitized by Google

Scriptores ecclesiastici quos enumerat, sunt circiter centum & triginta. In his *Anselmus* Cantuariensis, cujus genuina scripta a suppositititiis discernit, ad pseudepigrapha etiam librum de immaculata B. Virginis conceptione & epistolam ejusdem argumenti referens, cum Anselmus in libris, *Cur Deus homo*, B. Virginem ab originalis peccati labe immunem non fuisse diserte doceat. *Guiberti Novigentini* scripta dum recenset, ex ejus libro de pignoribus sanctorum, quo Sammedardenses monachos dentem a Christo novenni emissum se possidere gloriantes Scriptor ille confutavit, nonnulla de fraudibus & imposturis circa sacras reliquias excerpit. Ad *Rupertum Tuitiensem* ubi pervenit, quæ ejus circa Eucharistiam opinio fuerit, & an unionem hypostaticam panis & vini eucharistici cum Verbo statuerit, cujus erroris a Bellarmino aliisque arguitur, inquirit. *Bernhardi Claraevallensis* elogiis criticum de ejus operibus judicium subnectit, & quæ ejus de statu animæ separatæ sententia fuerit, exponit. Cæteros fere omnes brevissimis dimittit.

Postremum primi hujus voluminis caput circa *politiam ecclesiasticam* occupatur, initio ducto a summa Pontificum Romanorum in universa ecclesia autoritate & potestatis plenitudine, cui gravissima *Yvonis, Bernhardi, Petri Cluniacensis, Goffridi Vindocinensis, Arnulphi Lexoviensis*, & *Hildeberti Turonensis* de dispensationum & appellationum abusu judicia minime repugnare autor existimat, qui deinde ad Cardinales transit, quorum dignitatem ob præcipuas in summi pontificis electione partes ipsis demandatas undecimo seculo novis radiis effulsisse notat. Eminentissimas quoque virtutes, quibus eminentissima hæc dignitas ornari debeat, *Petri Damiani, Bernhardi, & Thomæ Cantuariensis* verbis exprimit. Hinc ad primatum Lugdunensem, Viennensem, Toletanum, & Cantuariensem, & certamina inde nata progressus, ulterius de jure novas metropoles condendi, & Metropolitanorum officio ac autoritate, de novis episcopatibus undecimo & duodecimo seculo fundatis, deque episcoporum electione, confirmatione, juramento, resignationibus, translationibus, beneficiis, residentia, ut vocant, ejusque dispensatione, jurisdictione cæterisque ad episcopalem dignitatem spectantibus differit, & ab episcopis ad inferiores clericos descendit, ubi titulorum patrimonialium initium, ordinandorum ætatem, consuetudines circa beneficiorum collationes & jus patronatus usurpatas, aliaque his affinia recenset.

Clericos excipit *Ordo Canonicus*, quem cum ab obſervantia regulari cecidiſſet, undecimo ſeculo inſtauratum & propagatum refert, autoribus *Petro de Honeſtis*, qui ſibi Peccatoris cognomen indidit, *S. Ubaldo*, qui regulam Portuenſem a Petro de Honeſtis conſtitutam & miraculo, ut fertur, approbatam in Eugubinam eccleſiam intulit, *S. Oldegario*, qui Canonicorum regularium inſtitutum in Hiſpaniam provexit, *Gilberto Sempringhamenſi*, a quo Ordo ille Gilbertinus & Sempringhamenſis in Anglia nuncupatus eſt, *Yvone* Carnotenſi, cujus opera Ordo hic in Gallicana eccleſia refloruit, & *S. Norberto*, qui in loco Laudunenſis diœceſeos, qui *Præmonſtratus* dicitur, novum Canonicorum regularium ordinem condidit, quem brevi tempore ex maxima paupertate ditiſſimum evaſiſſe & usque adeo creviſſe narrat, ut trigeſimo poſt anno, non ſolum ex Francia & Burgundia, ſed Alemannia quoque & Saxonia, centum pæne Abbates convenerint. Neque hic ſilentio prætermittitur *Ludovici VI.* munificentia, qui monaſterium Canonicorum regularium ad muros Pariſienſes, cui *S. Victor* nomen dedit, excitavit, cujus regalis abbatiæ filia fuit abbatia *S. Genovefæ*, ſiquidem *Eugenii III.* juſſu ſecularibus canonicis rejectis, regulares ex cœnobio S. Victoris in eccleſiam illam introducti ſunt.

Hiſtoriæ Canonicorum regularium ſubjicit progreſſus & incrementa *Ordinis Benedictini*, congregatione *Vallis umbroſæ*, congregatione *S. Crucis Fontis Avellani*, congregatione *Tironienſi* aliisque novis congregationibus & abbatiis multiplicati; item origines & inſtituta Ordinis *Camaldulenſis* a *Romualdo* conditi, *Grandimontenſis*, qui *Stephanum de Tierno* fundatorem habuit, & *Carthuſienſis* a *Brunone* in rupe quadam aſperrima Gratianopolitanæ diœceſeos, cui Carthuſiæ nomen eſt, inſtituti. Atque hic famoſam illam narrationem de Doctore quodam Pariſienſi, qui jam vita defunctus, in ipſis exequiarum ſolennibus e feretro ſe coram Tribunali Divino accuſatum, judicatum & condemnatum proclamaſſe, & eo ipſo facto Brunoni in eremum ſecedendi occaſionem præbuiſſe perhibetur, ad examen revocat, in negativam *Johannis Launoji* ſententiam proclivior, cujus argumenta ex libello de vera cauſa ſeceſsus S. Brunonis in eremum in medium producit. Accedunt ad novos undecimi & duodecimi ſeculi ordines ordo *Ciſtercienſis*, ordo *Fontis Ebraldi*, & ordines quidam equeſtres, *S. Johannis Hieroſolymitani*, *militum templi*, *S. Mariæ Teutonicorum* & de

& de *Calatrava*. Ordinem autem *Antonii Viennensis* se ob eam caussam prætermisisse scribit autor, quod undecimo & duodecimo seculo pia tantum societas & secularis confraternitas fuerit, & anno demum millesimo ducentesimo decimo octavo in religiosum ordinem evaserit. Postea de ritu parentum pueros monasteriis offerendi & religiosæ vitæ consecrandi, de ætate professionis monasticæ, de monachorum privilegiis aliisque rebus ad monasticum statum pertinentibus aliqua subnectit.

Tandem ubi de bonis ecclesiasticis eorumque administratione, nec non de ecclesiarum immunitatibus ac oneribus disseruit, finem primo huic undecimi & duodecimi seculi volumini imponit.

NOUVELLE MANIERE DE FORTIFIER les places, par Monsieur Blondel, Mareschall de Camp aux armées du Roy &c.

hoc est,

Dn. Blondelli, regiorum exercituum Campimareschalli &c. Nova Methodus muniendi loca.

Parisiis apud autorem, in via Jacobea suburbii San-Germaniani 1683, in 4. & Amstelodami 1684, in 12.

QUanquam præsens seculum, bellorum bellicarumque artium admodum ferax, inde a primordiis suis hucusque quamplurimos tulit, qui Architectonicæ, in debite muniendis contra quantamcunque hostium vim locis laboranti, suppetias ingenii sui ferre contenderunt; inter illos tamen vix reperias, qui suam in hoc argumento operam tot tamque speciosis titulis Arti huic commendet, ac præsentem tractatum ejusdem Autor. Hic enim toto vitæ suæ decursu studiis Architecturæ militaris deditus, universo pæne terrarum orbe peragrato, quicquid uspiam est celebriorū munimentorum non oculis tantum usurpavit propriis; sed & robur eorū & defectus solicita indagine perquisivit: tum per omnes militiæ gradus in bello exercitus, Architecti etiam militaris (Ingeniarios hodie nuncupant) munere tam expugnandis, quam contra obsidentium insultus defendendis munitionibus pluries perfunctus, proprio periculo, atque sic omnium optime ad-

me addidicit, quam distent lineæ per otium super charta descriptæ, a sulcis in conspectu hostium per objectam terram ducendis: dignus ob hæc, aliasque virtutes, hodierno Galliarum Monarchæ visus, quem studiis Serenissimi Delphini mathematicis, interque ea architectonicis, hodegum præficeret & magistrum.

His subnixus præsidiis, & longo cumprimis armorum usu edoctus Blondellus, in defendendis non æque ac oppugnandis locis Architectonicen hactenus profecisse, novam hanc muniendi adornavit methodum: non frustra scil. se futurum ratus, tali genere munitionum excogitato, quod obsidentium vires diminueret; obsessis vero facultatem locumque concederet, majorem tormentorum militumque copiam hostium violentiæ opponendi. Pensatis autem defectibus, quibus, cum Italica Gallicaque muniendi methodo, Batava præcipue conflictatur, cujus imbecillitas per nupera maxime regis Galliarum in Belgiis bella se prodidit, persuasus est Autor munitiones nonnisi vitio brevitatis alarum (tanquam brachiorum) defendentium, admotæ vi succumbere: has ergo cum collo propugnaculorum sic extendendas censuit, ut construendis pluribus suggestibus tormentariis sufficerent, qui cum fossam ob omni parte obnoxiam haberent, & hostium molimina in erigendis ex adverso valli aggeribus everterent; tum præstructa opera pari, ac fossam ipsius munimenti, virtute tuerentur; nec tamen lineam defensionis nimium producerent.

Id instituti sui duobus Autor discursibus persequitur, quorum prior historiolam complectitur eorum, quæ inter ipsum aliosque Ingeniarios acta & disceptata sunt, tunc cum demandata Autori regio jussu præfectura operum publicorum, Parisiis anno 1669. & sequentibus, commodo civium & urbis ornamento excitatorum, frequens ipsi cum ejusmodi artificibus, aliisque architecturæ militaris peritis commercium intercederet. Commemorat hic recensum, rogatu illorum a se institutum, eorum omnium, quæ circa celebriora munimenta, sibi toto fere terrarum orbe visa, diversasque illorum rationes, notatu digna compererit: non dissimulata misera conditione fortalitiorum Turcicorum, & robore eorum minime formidando.

Subjungit deinde, ut speciatim de singulis artificiis muniendi, ab architectis hucusque vulgatis & introductis, invicem commissis rationibus contulerint; habitosque hos discursus, si in ordinem redigantur,

gantur, justum volumen confecturos pronunciat: materiam tamen eorum in peculiari Opere architectonico, Serenissimi Delphini usibus conscripto, & propediem cum reliquo Cursu mathematico regis auspiciis lucem visuro, non perfunctorie a se tractatam profitetur. Ex præcipuis interim capitibus praxeos hercotectonicæ, de quibus tunc inter ipsos unanimiter convenerit, sequentia, veluti speciminis loco, annexis ubique fere pronunciatorum singulorum rationibus, profert: *angulum propugnaculi citra necessitatem numquam obtusum, nec rectū, nisi in propugnaculis rectæ lineæ impositis, esse debere: opera munitionum muro vestienda, non ex terra vel humo aggerenda: alas retractas supernas infernasque* (flancs retirées, places hautes & basses) *alarum etiam auriculas* (oreillons) *adhibendas: succinctum valli*(fausse braye) *tam faciei quam alæ propugnaculi præstrui, ex utilitate loci esse: præstare siccam fossam aquariæ, eamq; versus angulum propugnaculi contrahendam, & in medio depressiori fossula* (cunette) *incidendam; deniq; declivitatem ejus exteriorem muro fornicato instruendam: viæ tectæ latitudinem ad septem octove perticas Gallicas, seu hexapedas extendendam: grandia opera cornuta & coronata perniciosa esse* &c. His alia non minoris momenti subnectit, de fossis prætenturarum; terræ copia hosti subtrahenda; occultis fossæ receptibus (*caponieres & Logements cachées;*) lorica ex cæmento paranda, & interius humo suffulcienda; duplicandis propugnaculorum faciebus, ex consulto Comitis Pagani; defensionis obliquæ vitiis; secundarum alarum exigua utilitate &c.

Refert deinde, ut memoratis collocutoribus novæ suæ methodi aliquam rationem exposuerit: *in ea*, videlicet, *ex alis certorum polygonorum trajectum fossæ plus centum tormentis, bis mille vero præsidiariis, minimum vero* (nimirum in Quadrato) *triginta in tormentis & quingentis militibus impediri, hostem a dejiciendis alis prohiberi, Operaque munitioni præstructa longe vehementiori ignis vi defendi posse, ac ipsum corpus muniti loci optima quævis muniendi rationes tueri hactenus valuerint.* Hæc applausu protinus excepta præsentium, seque ab iis compulsum, aliquam ejus delineationem adornare, illamque ipsam esse, quam discursu altero hujus tractatus exhibeat.

Quam varia porro judicia, ubi ad plures rumor hujus inventi dimanare cœpit, subsecuta sint, & quo fato ad ipsum deniq; Galliarum regem penetraverit; quæ regis ipsius de eodem sententia, & cum autore con-

re concertationes fuerint; & ut editionem Tractatus hujus (alteriusque ejusdem Autoris, *de arte jaciendorum globorum ignitorum*, quem sub prælo esse Diaria Gallica superioris anni memorant) tantisper, ne durante bello, quod per Belgium & in Germaniæ finibus Rex tum temporis gerebat, aliqua ad inimicos suos ex eo redundaret utilitas, inhibuerit, ultima primi discursus folia Lectori pluribus exponunt.

Ipsam construendi munitiones rationem altero discursu tradit Autor. Et primo quidem angulum imminutum (linea faciei & latere polygoni exterioris comprehensum) ita determinat, ut demto quadrante de angulo polygoni, residui tertiam partem & quindecim insuper gradus eidem tribuat. Pro crure vero hujus anguli altero, hoc est linea defensionis stringente, septem decimas accipit ipsius lateris polygoni exterioris: quodque illius lineæ est inter angulum propugnaculi & forcipulæ *(tenaille,)* hoc est ipsum latus forcipulæ, bisecat, semissemque ejus faciem constituit propugnaculi. Connexis deinde duabus lineis defensionis invicem, & cum facie unicuique illarum opposita, cortinam & alas describit propugnaculorum.

Porro cum Autori videatur, lineam defensionis in regiis munitionibus intra 140 & 120 omnino hexapedas consistere debere, *duos* construendi *modos* tradit: *Majorem*, in quo latus polygoni exterioris 200. linea defensionis 140; & *Minorem*, in quo illud 170, hæc fere 120 perpetuo sunt hexapedarum. Atque intra hos limites omne genus munitionum coercet: quod longior extensio lateris exterioris, ob nimiam alarum distantiam, defensionem reddat frustraneam; brevior longitudinem imminuat alarum, & inutiliter multiplicet cum impensis numerum propugnaculorum. Ex dictis autem ratio iniri facile potest quantitatis angulorum & linearum principalium, quam Autor in hoc discursu, subnexisque cumprimis operi binis Tabulis, pro singulis ferme polygonorũ speciebus intra Quadratum & Icosagonum consistentibus, adjunctis item mensuris propugnaculorũ planorum, sive super recta linea constitutorum, distincte ob oculos ponit.

Specialiores munitionum suarum rationes Autor strictim pervolvit, comparando eas cum Batavis & Paganicis, dilutisque quæ objici hinc inde poterant ratiociniis: nobis hic palmaria tantum memorabuntur.

Angulus propugnaculi Autori in Quadrato est 60°, ut in Batavis: augmen-

Augmentum tamen ejus in succedentibus polygonis lentius increscit, ut demum in planis propugnaculis fiat rectus; quod in Batavis Dodecagono jam obtingit, ubi Autori tantum est 80°. Atque sic Autor non alienus est ab acutis propugnaculorum angulis, licet horum amplitudinem aliquantum contrahant: cum differentia arearum ab angulo 60° & 90° sit octavæ tantum partis (differunt enim ut 48 & 8;) ex adverso vero pro iis militent argumenta longe prægnantiora.

Alæ cum linea defensionis ad angulum obtusum concurrunt: in Quadrato 107°. 47, & inde sensim decrescentem, ad usque plana propugnacula, in quibus rectus est. Tantillam autem esse hanc a recto differentiam pronunciat, ut inde plane contemnenda defensioni obliquitas; at contra tantum collo augmentum accedat, ut in Quadrato tribus suggestibus sit locus, in Hexageno & sequentibus etiam quarto sive aggeri propugnaculi (*cavalier.*) Sic vero constitutas alas hostibus nimis expositas objicientibus, Pagani rationes opponit: hac tamen suarum prærogativa, ut loco 12 aut 13 tormentorum, quæ Comitis Pagani alæ ad summum capiunt, nusquam minus 20 aut 25, alicubi vero 100. aut 120 hosti obvertant.

Auriculæ alarum octo decemve sunt hexapedarum: reliquum cedit alis opertis in usum suggestuum, disponendisque præsidiariis. Suggestibus tanto melius tegendis in Pentagono & sequentibus infimum eorum intra collum sex septemve hexapedas retrahit; quo ipso & cortinam in Polygonis plurium laterum indipiscitur porrectiorem. Planorum autem propugnaculorum alas 10 vel 12 hexapedas subducit, ut cortinæ (quam alias nullam habitura essent) relinquantur 14 aut 15 hexapedæ.

Suggestus alarum interiores latius diducuntur exterioribus: quo ipso locus est quinque aut sex tormentis ita intra auriculæ humerum recondendis, ut quamvis ea totam faciem oppositam & interiora ruinarum ibidem detegant, neutiquam tamen ex declivitate fossæ exteriori conspici, aut pilis tormentorum hostilium queant exarmari.

A facie propugnaculi unius ad alterius contigui faciem aliquis est prospectus, qui mutuam ipsis præstat defensionem, dorsumque ruinæ, si qua in facie una facta est, ictibus exponit adversæ faciei.

Propugnaculis exterius vallum (*contregarde*) faciebus parallelum prætendit Autor; ex solido cæmento, sed area (*terrain*) destitutum

tum, & cuniculis undique suffossum: alarum præsidio, ne ab aggeribus hostium dejiciantur.

Cortinæ etiam parmulam præcingit, alarum auriculas exacte tegentem: ejusque fossæ defendendæ propugnaculorum vicinorum facies, qua parte fossam prospectant, suggesto inferiori *(batterie basse,)* ejusdem cum suggestu alarum medio altitudinis, & quinque aut sex tormentorũ capaci instruit; alioque magis adhuc intra propugnaculum retracto, ad loricæ ipsius propugnaculi altitudinem. Inservit autem hæc parmula etiam defensioni fossæ, vallum exterius ambientis, ejusque facies ob hanc causam paribus, ac propugnaculorum ipsorum, suggestibus armatæ sunt: area vero, nisi quatenus retrocedentibus tormentis solidam humum substernere oportet, vacua relinquitur, ut vallum cuniculis tanto commodius subrui, & hostis a possessione expugnatæ parmulæ possit prohiberi.

Angulo valli exterioris & parmulæ Lunulam, ejusdem cum dicto vallo structuræ præponit: ne ullatenus extrorsum oculo ad alas propugnaculorum pateat aditus.

Fossæ latitudinem alarum longitudini æquat, ut spatium sit reponendo vallo exteriori, ejusque fossæ: & ut ea usquequaque alarum defensioni subjaceat, angulum parmulæ interius procurrentem recta determinat, ab humero ad angulum oppositi propugnaculi producta.

Fossam munitionis ut & operum præstructorum, alia minori incidit, & angulos earum quosque receptibus munit; defendendis fossarum frontibus, & arcendo hosti transitum sub terra molienti. Hoc modo instructæ munitionis nullam esse partem Blondellus asserit, cui non minimum a tribus quatuorve aliis subveniri possit: eamque ita comparatam esse, ut adjunctis pluribus Operibus externis, & in usum deductis, quæ ex sinu suo ultro præbet compendiis, in infinitum augeri; irregularibus æque ac regularibus figuris facillime applicari; locus jam dum quocunque alio modo munitus, modo secundas alas habeat, ad ejus formam nullo negotio, citraque immutationem ullam vel facierum, vel fossæ aut operum externorum reduci queat.

Annexæ sunt Operi Tabulæ Duodecim: referuntque earum 1. Praxin muniendi angelum quemcunque datum, præmissis breviter præceptis: 2, 3, 4 & 5, diversa polygona cum operibus præstructis: 6. ichno-

Digitized by Google

ichnographiam Plani Forcipulæ munitæ : 7 ſcenographiam ejusdem forcipulæ : 8 & 9 primariorum angulorum & linearum menſuras : 10 reductionem munitionis aliter inſtructæ, ad Autoris formam : 11 & 12 Caſtrum Dunkerkanum & Trajectum ad Moſam, cum ſuis utrumque munitionibus ; applicata tamen iisdem nova Autoris, ut ex comparatione hujus illarumque, de præſtantia Blondellianæ tanto luculentius conſtet.

RECHERCHES CURIEUSES D' ANTIQUITE' CONTENUES en plusieurs dissertations sur des medailles, bas-reliefs, statuës, mosäiques, & inscriptions antiques ; enrichies d' un grand nombre de figures en taille douce ; par Monsieur SPON Docteur aggregé au college des medecins de Lyon, & a l' Academie des Ricovrati de Padouë.

a Lyon, chez Thomas Amaury 1683 in 4.

id eſt,

Curioſa Antiquitatum inveſtigatio, pluribus inſtituta Diſſertationibus, de nummis, anaglyphis, ſtatuis, muſivis operibus, ac inſcriptionibus antiquis; ingenti copia inciſorum ære iconiſmorum locupletata a Domino SPONIO Doctore aggregato Collegii Medicorum Lugdunenſium & Recuperatorum in Academia Patavina.

Lugduni apud Thomam Amalricum 1683 in 4.

NOviter reperta remotiſſimæ antiquitatis, ſummo ſtudio & induſtria exquiſita excultæ, quæ e commercio cum eruditis paſſim per orbem nactus fuerat, aut quæ in itinere per Aſiam aut Europam ſe obtulerant, nemo autem antea obſervaverat, eruditis exhibiturus *V. Cl. Jacobus Sponius*, præſtantiora & inſignia maxime eruditæ vetuſtatis monumenta peculiaribus Diſſertationibus explicanda ſibi putavit. Et ſane cum multa adhuc in obſcuro lateant vel a barbaris poſſeſſa, vel terra obruta ac ſepulta, plurimaque adeo a ſuperiorum temporum caligine ac tenebris nondum emerſerint; depredicanda eſt felix eorum

ſolertia, qui vetera iſta eruditionis præſidia ac adjumenta ſollicite conquirunt, magis autem extollenda eorum induſtria, qui ad ornandas litteras non ſaltem monumenta noviter afferunt, ſed eadem litterarum ac eruditionis copia illuſtrant. Tenuit utrumque inſtitutum doctiſſimus Auctor, tum in *Miſcellaniis eruditæ antiquitatis*, quæ vocat, in Actis anni ſuperioris menſe Septembri p. 369. memoratis; tum in præſenti *Diſſertationum* opere. In quo expreſſum vetuſtatis reliquiarum colligendarum ac conſervandarum illuſtrandarumque ſtudium agnoſcere licet: ſiquidem id operam dedit auctor, cum aliis quorum lucubrationes ſuis interſperſit, ut priſca marmora, ſigna, clypeos, ædificia, imagines, nummos, tabulas, gemmas, ſtatuas, in quibus nullius ſcriptoris antehac ſe exercuiſſet induſtria, accurate & eleganter deſignaret ac erudite explicaret. *Prima* diſſertatio inſignem clypeum votivum ex argento conflatum, qui Scipionis Africani memorabile factum, captam in expugnatione Carthaginis novæ eximia forma virginem Celtiberorum principi cui deſponſata erat intactam reddentis refert; *ſecunda* pavimentum vermiculatum ſeu ſtratum muſivum, quod Lugdunenſis vinea Caſſarii conſpiciendum præbet; *tertia* marmor votivum duobus Syriæ Diis Aglibolo & Malachbelo poſitum; *quarta* fratrum arvalium ſacra & ritus ex inſcriptione quadam Romana traditos; *quinta* nuptias Cupidinis & Pſyches e gemma depromtas; *ſexta* Hermas, Hermathenas, Hermerotas, Hermanubides & Hermheracles; *ſeptima* varias Harpocratis formas & ſignum pantheum; *octava* varia ſacrorum inſtrumenta, ſiſtra, cymbala, crotala, crumata, crupezia, teſtas, ſcamilla, tympana, citharam; *nona* duo vetuſta ædificia, alterum Nemauſenſe, alterum Viennenſe; *decima* litteras Peireſcii ad Holſtenium ſuper inſcriptione veteris annuli pronubi: TECLA VIVAT DEO CVM MARITO SEO; *undecima* annulos quosdam aureos & argenteos; *duodecima* antiquum Severi & Juliæ Domnæ nummum; *decima tertia* picturam veterem Romæ triumphantis; *decima quarta* nummum Imp. Commodi; *decima quinta* nummum Treboniani ab Antonio Gallando illuſtratum; *decima ſexta* epiſtolam Franciſci Redi ad Paulum Falconerium de tempore quando perſpicilla ſint reperta; *decima ſeptima* nummum Antonini Pii cum explicatione Patini; *decima octava* deos manes; *decima nona* urnam antiquam; *vigeſima* inſcriptionem ſepulchralem Toloſanam cum

cum explicatione Francisci Graverolli; *vigesima prima* simulacrum Isidis Parisiis repertum & a Molineto expositum (quod nos in Actis anni 1682 mense Octobr. p. 308 beneficio cl. Sponii proposuimus) *vigesima secunda* nummum Pylemenis Regis Paphlagoniæ epistola Seb. Feschii explicatum; *vigesima tertia* inscriptionem Romanam leges collegii Æsculapii & Sanitatis complexam; *vigesima quarta* enarrationem utilitatis, quam nummi oris habitu ingenium eorum quos referunt prodentes studio physiognomiæ afferunt; *vigesima quinta* Moysis baculum; *vigesima sexta* nummum Caracallæ funambulos exhibentem; *vigesima septima* opinionem de medicis olim servis & urbe pulsis confutatam; *vigesima octava* nummos Melitenses; *vigesima nona* vas marmoreum nativitatem Bacchi repræsentans; *trigesima* strenarum varia genera; *trigesima prima* narrationem Luciani de Alexandro falso propheta e nummis illustratam, exhibent & fuse ac erudite explicant. Variam dissertationibus hisce intextam eruditionem hic referre propositi angustia prohibet, cui sufficit summa earum capita retulisse.

DE DIMENSIONIBUS FIGURARUM inveniendis.

SIgnum est perfectæ Analyseos, quando aut solvi problema potest, aut ostendi ejus impossibilitas: quod cum nemo hactenus præstiterit circa transmutationes curvilineorum in rectilinea, patet in hac parte imperfectio Geometriæ & ipsius Algebræ, quæ uti hactenus tractata est, ad talia problemata non porrigitur. Excogitavi tamen jam a multis annis subsidium Analyticum, & amicis ostendi, quod huc redit: notum est interioris Geometriæ peritis data (*figur. 1*) qualibet curva AFC (ex illarum numero, quarum natura seu relatio inter ordinatam & abscissam per æquationem Algebraicam seu certi gradus exprimi potest, quas Cartesius appellat Geometricas, ego ob graves rationes potius Algebraicas appellare soleo) posse aliam inveniri curvam AGD etiam Algebraicam, cujus figura ope prioris possit quadrari: idque fieri potest multis modis, exempli causa data curva AFC, potest inveniri curva AGD talis naturæ, ut rectangulum sub FE ordinata

Fig. 1.



prioris curvæ, & recta constante H, semper æquetur trilineo curvæ posterioris seu figuræ A E G A; vel ut rectangulum sub F E ordinata curvæ prioris, & abscissa ejus A F, æquetur eidem trilineo; vel aliis modis infinitis. Priorem curvam A F C voco *Quadratricem* posteriorem A G D *Quadrandam*. Sed hoc opus hic labor est, data Quadranda Figura, invenire Quadratricem ejus aliquam; præsertim cum aliquando quadratricem invenire (Algebraice quidem exprimendam) sit impossibile. Ut ergo præstarem quicquid in hoc genere fieri potest, talem methodum excogitavi, antea quod sciam non usurpatam; sed quæ maximum & in aliis usum habere potest. Adhibeo æquationes Curvarum Generales, quarum unaquæque omnes curvas ejusdem gradus exprimit. Et talis curvæ generalis, consideratæ tanquam quadratricis, quæro quadrandam generalem, secundum aliquem ex modis supra dictis, quem semper eundem servo. Quia demonstrare possum, si non datur quadratrix secundum unum modum, nec eam secundum alium dari. Oblatæ jam quadrantæ specialis æquatio comparanda est cum aliqua ex formulis generalibus, quadrandarum naturam exprimentibus; sed si nulli comparari possit, manifestum est, eam sub ipsis non comprehendi, adeoque nullam habere quadratricem, scilicet Algebraicam. Eadem methodo invenire possum, quam habeat quadratricem, si non Algebraicam, saltem transscendentem, hoc est Circuli, aut Hyperbolæ, aut alterius figuræ quadraturam supponentem, ut scilicet saltem dimensiones reliquas ad has simpliciores reducamus. Multa hujusmodi habeo, quibus Geometria in immensum ultra Terminos a Vieta & Cartesio positos promovetur. Nam veteres nolebant uti lineis altiorum graduum, & solutiones quæ earum ope fiebant Mechanicas: Cartesius id reprehendit, & omnes curvas in Geometriam recipit, quarum natura æquatione aliqua Algebraica seu certi alicujus gradus exprimi possit. Recte quidem, sed in eo peccavit non minus quam veteres, quod alias infinitas, quæ tamen etiam accurate describi possunt, ex Geometria exclusit & Mechanicas vocavit, quia scilicet eas ad æquationes revocare, & secundum suas regulas tractare non poterat. Verum sciendum est istas ipsas quoque ut Cycloidem, Logarithmicam aliasque id genus, quæ maximos habent usus, posse calculo & æquationibus etiam finitis exprimi, at non Algebraicis seu certi gradus, sed gradus indefiniti, sive transcendentis.

Digitized by Google

dentis. Et ita eodem modo posse calculo subjici ac reliquas: licet ille calculus sit alterius naturæ quam qui vulgo usurpatur. Hujusmodi cogitationum mearum, quas alibi non observavi, participem feci amicum ingeniosissimum, qui etiam eas multis de suo inventis auxit, & suo tempore præclara dabit; idem calculum inveniendi quadratrices algebraicas supra dicto methodo aggressus aliquot theoremata dedit. Unum tamen cogit me monere amor veritatis; hanc ipsam methodum meam quærendi quadratrices, insignes quidem usus habere, sed non sufficere ad inveniendas quadraturas quascunque, neque ex ea probari posse impossibilitatem Quadraturæ circuli aut hyperbolæ. Fieri enim potest, ut aliqua certa portio quadrantis circuli, vel etiam totus quadrans A B D G A, quadrari possit, licet non detur quadratura indefinita & generalis cujuslibet portionis datæ, secundum unam aliquam legem communem seu calculum algebraicum generalem, qui exprimat relationem inter spatium A E G A & rectang. A E F; unde nec dari poterit semper æquatio quædam algebraica exprimens relationem inter A E & E F, abscissam & ordinatam quadratricis AFC; ac proinde quadratrix non erit Algebraica seu certi gradus, seu transcendens. Et quidem circulum esse incapacem quadraturæ indefinitæ facile multis modis demonstrari potest, sed nulla hactenus extat demonstatio, a paralogismo libera, quæ ostendat impossibilitatem specialis quadraturæ circuli totius. Placet autem ascribere exemplum figuræ, ubi succedit quadratura specialis sine generali. Sit in quadrato A E B Z (*figur. 2.*) trilineum orthogonium A E N M A, jam secentur latera quadrati opposita A E, Z B in punctis G, R, curva vero in puncto M, per rectas GR, reliquis quadrati lateribus A Z, EB parallelas. Abscissa B R appelletur *v*, & ordinata R M, appelletur *y*, & latus quadrati *b*, & æquatio naturam curvæ exprimens sit $y^4 - 6hhyy + 4yyvv + h^4 = 0$. GM appelletur Z, & AG appelletur X, fiet $y = h - x$ & $v = h - z$, quos valores substituendo in æquatione præcedenti fiet:

Fig. 2.



$h^4 - 4h^3x + 6hhxx - 4hx^3 + x^4 - 6h^4 + 12h^3x - 6hhxx + 4h^4 - 8h^3z + 4hhzz - 8h^3x + 16hhxz - 8hxzz + 4hhxx - 8hxxz + 4xxzz + h^4 = 0$ seu destructis destruendis:

$4hhzz - 8hxzz + 4xxzz - 8h^3z + 16hhxz - 8hxxz + 4hhxx - 4hx^3 + x^4 =$ cujus æquationem dividendo per $hh - 2hx + xx$ habebitur.

$$4zz - 8hz + \frac{4hh - 4hx + xx \text{ multiplicatum in } xx}{hh - 2hx + xx} = 0.$$

itaque si figura nostra est quadrabilis methodo supradicta, deberet hæc æquatio secundum alibi proposita conferri posse cum ista:

$$0 = \begin{matrix} bzz + caz + eaa \\ + 2dxz + 2fax + \\ + 4gxx \end{matrix} \frac{dde + ccg + bff - cdf - 4beg \text{ multiplic. in } aaxx}{4beaa + 4bfax + 4bgxx. \\ - ccaa - 2cdax - ddxx.}$$

Sed manifestum est, collationem non procedere, si vel solus numerator fractionis utrobique existens comparetur, deberet enim $4hh - 4hx + xx$ coincidere cum aa, in $dde + ccg + bff - cdf - 4beg$; indeterminatum cum determinato: ut taceam ex reliquis comparationibus literas d, e, f, g fieri æquales nihilo: unde in æquatione quæsita ad curvam quadratricem quæ est $\begin{matrix} byy + cay + eaa \\ + dxy + fax \\ + gxx \end{matrix}$ $= 0$ restaret tantum $byy + cay = 0$, quæ est æquivocatio non ad lineam sed ad punctum. Itaque linea curva Quadratrix habere hoc modo non potest. Et tamen aliunde scimus, trilineum propositum esse quadrabile: itaque ista methodus, licet maximi sit momenti, tamen ad omnes quadraturas inveniendas non sufficit, sed opus est alias adhuc artes adhiberi, quas quidem alias exponam, res enim omnino in potestate est.

DES VRAYES & DES FAUSSES IDE'ES CONTRE CE, qu' enseigne l' auteur de la Recherche de la Verite, par M. Antoine Arnaud Docteur de Sorbonne.

hoc est,

De veris & falsis ideis, contra id, quod docet Autor libri de inquirenda Veritate, per Dn. Antonium Arnaldum Doctorem Sorbonicum.

Coloniæ apud Nicolaum Schutenium 1683. in 8.

Decem

DEcem fere anni sunt, cum ingeniosissimus Malbranchius, Pater Oratorii Parisiensis, opuscula quædam Gallica de inquirenda veritate divulgavit, in quibus naturam animi humani plane ac perspicue declarat, præscriptisque regulis dirigere intellectum conatur, ut errorum scopulos in quarumvis artium ac scientiarum studiis evitet. Primus tomus, (in tres enim tractatum digessit autor) detegendis erroribus sensuum, imaginationis, & intellectus consecratus est; alter errores inclinationum & passionum manifestat, ac postremo generalem methodum tradit, qua se gerere in investiganda veritate Philosophus debeat; tertius difficultates nonnullas removet, ac quæ in præcedentibus libris obscurius dicta videbantur, exponit. Sicuti autem non omnes illæ partes simul lucem adspexerunt; ita prior vix prodierat, cum suos censores nacta est, e quibus uni, qui *Criticam Tractatus de inquirenda veritate* Gallice scripserat, in præfatione secundi tomi satisfit, nec tertium alio consilio Malbranchius operi jam perfecto adjunxisse videtur, quam ut partim amicorum petitis, partim adversariorum cavillationibus responderet.

Post illud tempus, cum sæpius priorum tomorum impressio subinde auctior iterata esset, emisit Vir doctissimus Tractatum de Natura & Gratia (de la nature & de la Grace) ante hos fere quatuor annos, quem confutaturus Jansenii celebris sectator Arnaldus, eam partem tomi primi de inquirenda Veritate, quæ de idearum natura est, sibi prius examinandam sumsit, quod illi haud parum inniti recentius scriptum Malbranchius fateatur. Ut vero magis, quid Arnaldus impugnaverit, & quo successu, constet, necesse est, nos de Malbranchii mente paucissimis cognoscere.

Is ergo sub tomi primi finem idearum naturam explanaturus initio probat, quicqnid ab anima hominis percipiatur, id omne vel intra animam esse vel extra ipsam subsistere. Illuc quidem pertinere animæ cogitationes, quod nomen quascunque ipsius modificationes complectatur, sive videlicet sentiat, sive imaginetur, sive intelligat, sive patiatur aut in rem aliquam naturali affectu propendeat. His enim cognoscendis non opus esse ulla idea, quoniam in anima velut hæreant, imo ipsa anima sint, prout illa sub alia atque alia ratione consideretur. Quod ad res extra intellectum subsistentes attinet, eas, nisi possint animæ intime jungi, atque ita se contemplandas immediate

mediate sistere, per ideas, quod est imagines quasdam repræsentativas ab objectis & actu percipiendi distinctas, ut Malbranchius disputat, cognosci necesse est. Unde vero hujusmodi ideæ nobis obtingant, & qua via ad intellectum ferantur, jam olim inter philosophos nonnullos quæstio fuit, & quinque omnino modis id contingere posse Malbranchius observavit. Statuendum enim est, vel ab objectis imagines quasdam emanare, & ad intellectum transmitti; vel animam ipsam ex virtute quadam connata ideas producere; vel tertio DEUM hujusmodi repræsentationes & velut icunculas cum anima creasse, aut hodie ipsi eas suggerere; vel quarto animam se intuendo rerum materialium naturas cognoscere; vel denique ipsam unitam esse essentiæ cuidam infinitæ ac summe potenti, in qua entium creatorum quascunque perfectiones videat. Ex his quinque modis objecta per ideas cognoscendi rejicit Malbranchius quatuor priores, ac quintum aliquot rationibus stabilire c. 6. s. 2. l. 3. t. l. annititur, quas strictim enarrabimus. Supponenda initio sunt duo: DEUM & rerum creatarum perfectiones in se continere, & intime unitum esse animabus nostris per suam præsentiam, vi cujus se habeat inter loci spirituum, quemadmodum spatiis, tanquam locis, corpora continentur. His ita præmissis *primo* cerium est, faciliori ratione in DEO infinitam extensionem omnibus spiritibus creatis cognoscendam sisti, quam si infinitus numerus idearum a DEO in instanti creationis illorũ singulis tribuendus sit. Sapientiæ autem divinæ haud congruum est, difficulter ac operose exequi, quod breviori via mediisque simplicioribus præstari poterat. *Secundo* ea sententia, quæ in DEO res materiales cognosci asserit, spirituum creatorum dependentiam ab increato amplificat, clariusque proponit. *Tertio* certum est, nos generalem quandam notitiam de omnibus entibus creatis possidere, antequam singulorum cognitionem acquiramus. Apparet autem omnia entia non posse alio modo ita abstracte a nobis cognosci, quam in DEO. *Quarto* impossibile est, DEO alium finem principalem suarum actionum propositum esse, quam seipsum. Quod si spiritui cuidam creato DEUS solem ideæ sive objecti cognitionis immediati loco dedisset, videretur ipse hunc spiritum, ejusque ideam solis causa, non sui, fecisse. Post proposita hæc argumenta explicat Malbranchius distincte, quo quidvis modo ab intellectu humano percipiatur. DEUM animus noster immediate & sine ima-

ne imagine videt; corpora & res omnes materiales per ideas apprehendit, & quidem, ut hactenus dictum fuit, in Deo; seipsum cognoscit per conscientiam, sive sensum internum, quem de actionibus suis habet; alios autem spiritus & aliorum hominum animas tantum conjectura assequitur. Hæc omnia quomodo & recte intelligi, & probe defendi contra quosvis adversarios debeant, latius ad tractatus finem usque traditur. Merentur autem conferri, quæ tomo III exhibentur, difficultatum quarundam solutiones. Illic enim Malbranchius diserte pronunciat, quod omnium corporum ideæ in extensione intelligibili infinita, qua in Deo rerum materialium perfectiones continentur, veluti lateant, quodque non sint in Deo particularium quorumcunque corporum imagines, sed quod eas Deus animabus nostris exhibeat per extensionem illam intelligibilem infinitam, prout variis formis figurisque affecta est. *Sic igitur in DEO non est equus, arbor, aut sol intelligibilis, vel alia quæcunque idea corporis cujusdam particularis, sed tota extensio intelligibilis quum possit concipi circularis, aut habere figuram equi vel arboris intelligibilis, inservit repræsentando soli, equo, arbori, ac per consequens est sol, arbor, equus mundi intelligibilis, imo fit sol, arbor, equus visibilis, quoties anima occasione hujusmodi corporum*, (extrinsecus oculis observantium,) *sensum aliquem habet, ut illis ideis sit intenta.* Hæc & similia Autor tomo III subjungit, e quibus, quæ ejus mens sit, sufficienter apparet.

Videamus nunc paucis, quid Arnaldus ipsi opponat. Principio ostendit, quod Malbranchius, dum præjudicia ponenda esse aliquoties monet, ipse totam doctrinæ suæ de ideis summam præjudiciis quibusdam infantiæ inædificet. Postmodum observat Malbranchium sibi parum constare, sæpenumero quæ semel affirmaverat, alibi rejicere, ac pugnantia non raro loqui. Capite quinto sententiam illam explicat, quæ res materiales in seipsis immediate absque ideis ab intellectu humano cognosci, & ipsum actum percipiendi statuit objectum essentialiter repræsentare. In sequentibus quinque argumentis demonstrat falsum esse ac absurdum, dari ideas, si per ipsas esse quoddam repræsentativum, ab objecto & actu intellectus realiter distinctum, intelligatur. Capite duodecimo modum cognoscendi res omnes in Deo sub examen revocat, ac ostendit, fieri non posse, ut extensio illa intelligibilis infinita, qualem Malbranchius fingat, quodcunque corpus in specie

nobis intuentibus sistat, sed omnino necessarium esse, particulares in Deo ideas admittere, si quis statuat, nos in ipso res materiales cognoscere. Similem esse, juxta Malbranchii expositionem, intelligibilem illam extensionem massæ alicui lapideæ aut ligneæ, quæ omni forma carens, quam statuarius voluerit, recipiat; quam inepte vero id dicatur, hac historiola Arnaldus declarat. Pictor quidam, artifex optimus, tanto amore Augustinum prosequebatur, ut aliquando cuidam familiari suo diceret, se ardentissime cupere sanctissimi hominis veram effigiem nosse, ut eam digne exhiberet. Quæ vota ille alter collaudans, pictori promittebat, se daturum operam, ut ipsi quam primum satisfaceret. Altero igitur mane fragmento marmoris, massa cerea, & linteo expanso in tabula dispositis, vocari pictorem jubebat, qui desiderio veram Augustini faciem cognoscendi flagrans, amicum magnopere rogabat, ut secum rem gratissimam communicaret. Is ergo pictori ostensis, quæ tabulam occupabant, dicebat, S. Augustini faciem revera cum in marmore, tum in cera latere, nec quicquam superesse, quam ut pictor, statuariæ quoque artis scientissimus, superflua tolleret, ac postmodum applicatis decenter coloribus caput sancti patris in tabulam referret. Pictor indignatus respondebat, se quidem facile admittere, Augustini faciem in marmore & cera latere, sed eodem modo, quo mille alias. Itaque se tam facile alius cujusvis hominis, quam Augustini formam exsculpturum; & si vel maxime ita contingat, ut patris hujus forma emergat, se tamen de rei veritate certum esse non posse, quum nunquam oculis suis Augustinum viderit. Alter, qui hisce sermonibus pictoris ad silentium redactus credebatur, accepto in manus libro *de inquirenda veritate*, regerebat, se Malbranchium sequi, cujus senteutiam si quis approbet, non posse eum in extensione intelligibili infinita aliter figuras, quas nunquam a se cognitas saltem nominari audiverit, invenire, quam si superflua tollat, ac ita extensionem prout par est, terminet, ac postremo applicatis rite coloribus illi parti extensionis, corpus sensibile efficiat. His fere, quæ Malbranchius dixerat, Arnaldus refellere, ac risui exponere laborat. Sequuntur capite decimo octavo tria præjudicia, quæ possint impedire, quo minus quis Malbranchii sententiam semel cognitam abjiciat, quæque adeo removenda esse Arnaldus monet. Sub libri finem examinat, an recte dictum sit, nos alios spiritus conjectura, animam nostram conscientia,

Deum

Digitized by Google

DEUM in se ipso ac per se ipsum apprehendere. Quo ordine ista discutiantur, clarius e syllabo capitum octo & viginti, qui sub initium tractatus exhibetur, apparet. Respondit autem hoc ipso anno Malbranchius ad singula, quæ ab Arnaldo objiciuntur, libro peculiari cui hunc titulum fecit:

RESPONSE DE L' AUTEUR DE LA RECHERche de la Verite au livre de Mr. Arnaud des vrayes & de fausses Idèes.

h. e.

Responsio Autoris Tractatus de inquirenda veritate ad librum Dn. Arnaldi de veris & falsis ideis.

Roterodami apud Leerium 1684 in 8.

Hujus Tractatus bona pars in eo insumitur, ut appareat, Arnaldum & pravis affectibus duci, & quum se librum *de natura & gratia* refutaturum pollicitus esset, intempestive nunc doctrinam de ideis aggredi, quæ nullam vel certe perexiguam cum hoc scripto connexionem habeat. Inde Arnaldi sententiam, quam de modo cognoscendi defendit, examinat, & perceptiones sive modificationes animæ nostræ omnino ab ideis res materiales repræsentantibus distinctas esse ostendit, repetitis fere illis argumentis, quæ in libro de inquirenda veritate jam exposita fuerant. Duo requiri docet, ut objectum aliquod sensibile, arbor, sol, domus, &c. videatur: modalitatem colorum, quæ sit, fatente ipso Arnaldo, animæ quædam affectio, & ideam puram de extensione. *Nam quando quis vivum sensum luminis habet, fixum sive comparatum ad circulum intelligibilem a certo spatio intelligibili distantem, quique per diversos colores sensibilis factus est, tunc sol videri dicitur, non qualis est, sed qualis apparet.* Postmodum quinque demonstrationes ab Arnaldo contra idearum naturam & existentiam allatas refellit, ostenditque, quantum eæ a veræ demonstrationis specie abeant, quum aliquoties supponant, quod est in quæstione. Capite decimo tertio, quo ultimas duas demonstrationes aggreditur, perspicue explicare nititur, quomodo DEUS in extensione intelligibili, tanquam archetypo, res omnes materiales cognoscat, & quomodo nos per eandem quorumvis corporum particularium ideas acquiramus.

Sicuti vero corporum existentiam Deus ipse non per extensionem intelligibilem, sed per voluntatem suam cognoscit, ita nos quoque, licet per ideas in Deo rerum materialium naturam videamus, tamen de existentia ipsarum certos esse non posse, antequam Deus per modum revelationis naturalis nos doceat, esse ante oculos tale corpus, qualis imaginem in extensione intelligibili invenimus. *Fit autem illud apprehensione colorum, qua Deus nos percellit ad hujus aut illius corporis præsentiam, juxta leges generales unionis animæ atque corporis, & cujus efficacia determinata est per motum corpusculorum, quæ cerebrum commovent.* Hinc apparet, quousque exemplum a pictore desumtum Malbranchius admittat. Fatetur similem esse extensionem intelligibilem infinitam in Deo massæ cuidam marmoreæ vel cereæ; applicationem vero ac determinationem ejus fieri non ab homine pro lubitu, sed a Deo per externa objecta materialia & speciatim per colores visū moventе, ut equi e.g. naturam & proprietates postea in extensione intelligibili quærat, quas, antequam corpus hoc vel illo modo coloratum vidisset, invenire ita non poterat. Deinde singulis Arnaldi capitibus examinandis vacat, & ordine, quicquid opponitur, diluit. Notitiam, quam de spiritibus, de animabus nostris, ut & de Deo habemus, explicat, ac probat. Hunc monet à nobis in hac vita non cognosci perfecte quoad essentiam, clare autem a quovis hominum percipi ejus existentiam, & quamvis in ipso tanquam in speculo corporum ideas beneficio extensionis intelligibilis infinitæ modo declarato videamus, nos tamen proprie loquendo Deum ipsumet non intueri, neque ab eo Deum videri, qui illud in ipso videt, quod ad ejus opera respectum involvit, aut qui ipsum videt, quatenus participari a creaturis potest. Cæterum plerumque Malbranchius contra Arnaldum e libro de inquirenda veritate disputat, & quæ illuc obscurius proposuerat, evolvit ac enucleat. Hunc enim adversarium rarissime mentem suam intellexisse, nonnunquam verba detorsisse in sensum alienum subinde conqueritur.

TRAITE DE LA LITHOTOMIE, ou de l'extraction de la pierre hors la vessie, avec les figures. Par François Tolet, Maître Chirurgien Juré à Paris, & de l'Hôpital de la Charité des hommes.

h. e.

h. e.

Tractatus de Lithotomia, sive Calculi e Vesica Extractione, cum Figuris, Autore Francisco Toleto, Magistro Chirurgo jurato Parisiensi, ac Xenodochii, quod Charitatis virorum vocant.

Parisiis, A. 1682. in 12.

QUantum ad Chirurgicas operationes, potissimum eas, quæ periculi plenæ sunt, feliciter peragendas valeat manus exercitata, vel sola luculenter testatur Lithotomia. Hæc enim, licet ob periculorum multitudinem, cum qua conjuncta semper est, olim ab Hippocrate in Jurejurando sancto evitata juramento fuerit, hodie nihilominus a multis magistris peritis eo sæpissime successu, quem calculis excruciati summopere exoptant, i.e. felicissimo, solet administrari. Magistros autem inter ejusmodi Lithotomos primatum nunc facile gerunt Galli, qui quotannis, verno inprimis tempore, in suis Nosotrophiis multos ægros ab ejusmodi sarcina calculosa, ipsis molestissima, fausto plerumque eventu, liberant: e quorum numero noster etiam est Autor, qui præsenti scripto Lithotomiam, velut operationem summe necessariam, facilem reddere allaborat. Quamvis enim ab aliis jamdum magnæ eruditionis atque experientiæ viris Chirurgia hæc explicata fuerit, quoniam nihilominus & hujus operandi motus, & instrumenta multum hodie immutata & emendata observantur, & ipse insuper plurima in praxi aliorum hac in arte præcellentium virorum, inter quos speciatim Dominum *Jonnot* sæpius nominat, studiose annotavit, talia omnino, quæ ab aliis fuere neglecta, se una prolaturum promittit; nec promissis suis eum cecidisse, quilibet, cui libellum præsentem cum aliis de Lithotomia scriptis conferre volupe erit, testabitur. Nobis impræsentiarum retulisse saltem sufficiat, totum hoc Scriptum in viginta tria esse distributum capita: quorum septem priora mere videntur theoretica, i. e. quid Lithotomia sit, calculorum causas, naturam, species, differentias, signa denique diagnostica & prognostica, exponunt; reliqua vero cuncta practica, triplicis temporis differentiæ, nempe ante operationem, in operatione, & post hanc, accommodata existunt. Sic ante operationem quæ prærequiruntur, accurate exhibentur, qualia præsertim sunt instrumenta, & commoda ægri situatio,

modus itidem catheterem rite & phimosin æque ac urethræ calculum, si fortassis adsint, prius removendi ratio. In operatione vero ipsum calculum e vesica extrahendi methodi diversæ, secundum apparatus, uti vocatur, vel alti, vel minoris, vel majoris, varietatem, exacte omnibus notatis cautelis instruuntur: e quibus tamen priorem, quæ apparatu alto, sive in pubis regione, celebratur, hodie abrogatam fere esse, etiamsi testes quidam fide digni confirment, Dominum *Bonnettum*, Chirurgum quondam Parisiensem non incelebrem, eam fuisse secutum. Post operationem tandem, quomodo ægri rite deligandi, symptomatis eorum succurrendum, ac calculi novi genesis præcavenda sit, edocetur: quibus bina capita, unum de ischuria, alterum de peritomæi propter urinam suppressam punctione, mediante instrumento ab Autore invento apte tentanda, immiscetur.

OBSERVATIO CIRCA ARENAM INVENTAM IN MURIA salinarum Comitatus Staffordii, missa ad Regiam Societatem a D. Roberto Plot S. R. S.

Excerpta e Transactionibus Anglic. mensis Martii, 168$\frac{2}{3}$.

PRodiit in lucem anno 1682 tractatus Anglicus de Sale & Piscatura Johannis Collini, in quo doctissimus Autor de variis generibus salium, modisque ea conficiendi, cum in Anglia tum in aliis quibusdam vicinis partibus erudite agit, piscaturam deinde, quam in Islandia, Terra nova (New found land vocant) Wallia alibique Angli exercent, describit, & qua arte quicunque pisces sale condiendi sint, ut quam diutissime integri serventur, docet. Passim etiam ac inprimis sub opusculi finem quædam de promovenda mercatura, cujus beneficio Anglia hactenus floret, traduntur. Inter alia quamplurima haud vulgaris notæ refert & affirmat autor, vastam illam molem arenæ, quæ præter salem in omni muria, sive ea fontium sit, sive maris, sive salis dissoluti, inven tur, a coctione esse, nec ante ipsam in liquore contineri; siquidem repetitis experimentis comprobatum sit, salsuginem per lintea Hollandica octuplicata actam, ne minima quidem arenæ vestigia in filtro relinquere. Hujus assertionis veritatem porro inquirendã sibi sumsit Robertus Plot, Medicinæ Doctor Oxoniensis, quum occuparetur in edenda naturali historia Comitatus Staffordii, qui fontibus salsis abundans, magnam salis albi copiam in omnes Angliæ partes transmittit.

transmittit. Usus autem in hoc negotio fuit duorum amicorum opera, quod ipse quidem tum temporis lon : ius, horum autem domicilia parum a salinis Staffordiacis abessent. Illi igitur primum per optima lintea aliquoties plicata muriam colantes, verum esse, quod scripserat Collinus, experiebantur; neque enim quicquam præter pauxillum nigricantis pulvisculi in linteis remanserat, quum tamen post muriæ coctionem arena inde proveniens salem una sexta parte excederet. Postea vero assumto microscopio, in muria minutiora quædam animalcula, & transparentes lamellas figuræ rectangularis oblongæ, nonnullas quadratæ observabant, e quorum invicem concretione & sal & arena fieri videbantur. Erant autem cum lamellæ, tum animalcula vicies fere, (id quod eodem vitro detegebant,) linteorum interstitiis minora, ut hinc facile appareret ratio, cur post percolationem nihil fuerit in linteis relictum. Alio tempore, quum illi aquam e corbibus & vehiculis, quibus sal recens factus ferebatur, destillantem examinarent, oblongas istas particulas congregari & in glomos coire sentientes, hinc concludebant, arenam eodem modo generari, quæ nihil aliud sit, quam sal insipidum, e partibus non æque acuminatis, ut ille alter, constans. Tentata deinde fuit cum a Roberto Plot, tum a duobus ejus amicis arenæ solutio, per quam sperabant, se observationis veritatem confirmaturos. Sed res parum successit. Quamvis enim post coctionem arena aliquid de gravitate sua perdidisse videretur, erat tamen suspicio, nonnihil salis arenæ permixtum fuisse, eoque soluto, hanc evasisse leviorem. De cætero ista animalcula anguillulis, quæ in aceto sunt, similia esse doctissimus Robertus pronunciat, ac ulteriorem de ipsis disquisitionem in naturali historia Comitatus Staffordii, quæ tum sub prælo erat, quum primum fieret experimentum, pollicetur.

TRAITE' DES PHOSPHORES AVEC Leur secrete composition, par Mr. Comiers &c.

hoc

hoc eſt,

Tractatus de Phoſphoris cum ſecreta ipſorum compoſitione, Autore Dn. Comierio Doctore Theologo, Præpoſito Ternantii, & Mathematum Profeſſore Pariſienſi; Exhibitus Mercurii Gallici menſ. Junio & Julio, 1683.

CLariſſimus Autor in hoc de Phoſphoris opuſculo, poſt eruditum præfamen de lumine, igne æterno, ac lampadum ſepulcralium uſu, varia phoſphororum artificialium genera, quæ hactenus erudito orbi, maximam partem per Germanos noſtros, innotuerunt, deſcribit, atque ut tam admirabilis inventi gloriam patriæ ſuæ vindicet, jam olim Fernelio, Henrici II Medico famigeratiſſimo cognitum fuiſſe modum parandi Phoſphorum ſiccum fulgurantem, qui nunc communiter Kraftio adſcribitur, & de ejus ſtupendis affectibus ipſum prolixe ac perſpicue *lib. 2. de abditis rerum cauſis c 17.* egiſſe affirmat. Is etenim lapis Indicus lucidiſſimus, quem Bononiæ Regi oblatum Thuanus memorat, & cujus mentionem Fernelius loc. alleg. facit, juxta Comierium Phoſphorus fuit, a Fernelio arte factus, & per hominem ex India venientem in aulam miſſus, ut tanto pluris æſtimaretur, nec, quum ejus compoſitio vulgaris faciliſque eſſet, vileſceret. Verum an hæc ita recte dicta ſint, viderint alii. Certe qui Fernelium leget, haud obſcure ſentiet, hiſtoriolam de lapide ex India allato ænigma ignis & flammæ eſſe, quo fortaſſe Fernelius aliquibus ſuæ artis ac ſectæ viris illudere voluit. Adducit præterea quædam alia Comierius, quibus probet, Phoſphororum primos autores Gallos fuiſſe, non Germanos aut Italos, qui poſtremi & ipſi de palma inventionis certant. Quum autem ex omnibus Phoſphoris Kraftianus, quem Comierius Phoſphorum Fernelianum Kraftii vocat, conſiderari mereatur, viſum ipſi eſt, modum, quo præparetur, hactenus paucis perſpectum, exacte & prolixius tradere. Eum nos Latine publico Curioſorum commodo hic exhibemus. *Ubi bonam urinæ quantitatem parumper fermentatam evaporare ad mellis conſiſtentiam feceris, immittas in eam terream retortam, & extrahes inde, lento igne ſubjecto, quicquid reliquum eſt phlegmatis una cum ſpiritu, uſque dum oleum guttis rubentibus deſtillare incipiat, quod illico applicato recipiente colligendum eſt.*

Auge-

Digitized by Google

Augeatur aliquando ignis, ut quicquid inest olei, exeat; invenies in fundo caput mortuum, cujus superior pars nigra erit & spongiosa. Eam addes alteri prorsus simili materiæ, quæ in alio vase remanebit, postquam lento igne separaveris omne humidum ab urinoso oleo, quod erat in recipiente. Ex hac duplicis materiæ mistura tolles libram unam medicam, eamque injicies in retortam fictilem ex optima terra, quæ fere contineat tres congii octavas cum dimidia, sive septem aquæ libras nummularias; applicabis retortæ magnum vas recipiens vitreum, lutoque probe munitis juncturis, subjicies ignem apertum, successive eum intendendo, donec retorta rubescat; quod ubi factum fuerit, augendus est ignis per novem aut decem horas, prodibunt tunc in recipiens nubeculæ albæ, quas sequetur materia subflava, quæ sublimata formabit phosphorum ad interiora latera colli recipientis. Is altero mane inde poterit decerpi, si recipiens aqua frigida lavatum fuerit. Totam massam in vase vitreo igni lenissimo impones, & emerget ex aqua materia oleosa, & congregabuntur minutæ phosphori partes. Omnibus bene refrigeratis, colliges massam phosphori, & indes eam lagenæ vitreæ, quæ aqua communi implenda est, & exacte vitreo obturamento claudenda. Quod si orificium largius sit, accipies subereum operculum, & vesicæ porcinæ particulam in aqua mollitam, quam extensam chorda ad collum lagenæ adstringes. Concludit Comierii opusculum observatio quædam curiosa. Sc. addiderat ipse phosphori liquidi, materia luminosa exhausti, aliquot guttis in poculo certam aquæ transparentis quantitatem, quæ & odore & sapore carens modico sumtu facillime, ut ait, paratur. Hi liquores juncti fumos & exhalationes subtiles, quæ in tenebris lucere videbantur, emittebant, & suprema vitri pars lumine repleta erat, quoties poculum palma tegebat. Ejus aquæ nomen 23 literis trium vocabulorum constans steganographice expressit:

CNTIRVENNIFFESIOIE
NILGI.

Cujus scripturæ explicationem nisi alii divinaverint, ipse proxime se daturum, cum aliis notatu dignissimis pollicetur.

LETTRES CHOISIES DE FEU MONSIEUR Guy Patin, Docteur en Medicine de la Faculté de Paris, & Professeur au College Royal.

 id est,

id est,

Guidonis Patini, Doctoris Medici Facultatis Parisiensis, & Professoris Collegii Regii, Epistolæ selectæ. In quibus continentur multa historica, ad vitas & mortes Literatorum eorumque libros pertinentia, cum aliis plurimis rebus scitu dignis ab anno 1645 ad 1672.

Hagæ Com. Anno 1683 in 12.

Quanquam inter solatia & levamina curarum & solicitudinum non immerito referatur, si liceat eas in sinum amicorum effundere, sive sermone id fiat, sive per literas: periculosæ tamen plenum opus id est aleæ. Si quis enim pro amico fido & taciturno, cui ut lapidi loqui se credit, reperiat hominem ad instar cribri perfluentem, qui commissa effutire gestiat, sibique dicta & scripta, omnibus dici scribique putet; næ ille in magnum malum incautus incidit. Qua mente aut ratione publicatæ sint Epistolæ hæ *Guid. Patini*, insignis non ita pridem in Parisiensi Academia Doctoris Medici, nobis quidem exacte non constat, nisi quod ex Epist. 188 apparet, ipsum, ne id fieret, deprecatum esse. Honeste tamen præsumimus, editas esse bona mente, eaque cum circumspectione, ne defuncti jam fato suo viri liberis aut posteris libertas illa noceat, qua in literis hisce suis non usus modo, sed fortassis abusus est. Ejus enim infelicitatis exemplum autor hic ipse refert, cum memorat, non alia causa severo judicio animadversum esse ante annos hos quadraginta, in illustrissimi Gallicarum rerum Historici, *Jacobi Augusti Thuani* nepotem, egregium itidem virum, quam quod avus de *Richelii Cardinalis* avo, vera quidem, sed illaudabilia, Commentariis suis inseruisset. *Vid. Ep. 75 & 170.* Nocuit forte vivo etiam Patino libertas linguæ, in Ecclesiasticos præsertim: nam filium ejus Virum Clarissimum & libris de *numismatibus* celebre nomen adeptum, *Carolum Patinum*, ex patria expellendi si non alia causa fuit, quam illa a Patre *Ep. 162* relata, quod libelli quidam Reformatorum & contra utilitatem Regiam ab exteris scripti, apud eum reperti fuerint; fieri potuit, ut invidia juri prævaluerit. Quicquid sit, nos majori cum securitate literas hasce legimus, quam qua scriptæ vel ditæ sunt. Tanta enim in brevi hoc libello, vix 200 epistolas, easque

que parum longas continente, est farrago rerum, de quibus ad amicos scripsit Patinus, ut non possit non lectio earum maxime delectare, in aliquibus etiam juvare. Quia vero ex stylo sermonis & literarum, animi quædam imago repræsentatur, facile assentiri possumus illi, qui præfationem epistolis præmisit, cum characterem Patini proponit; fuisse scilicet eum ingenio prompto & præsentissimo, eruditione exquisita, judicio acri, facundia & jocandi industria & facilitate naturali. Certe quod apud *Gregorium Nazianzenum* legitur, non inepte quadrat ad has epistolas: *eo nimirum esse pulchriores, quia tales esse non videntur; sicut ob eam causam aquila in fabula prælata esse dicitur, ob naturalem & modestum decorem, cæteris avibus vario plumarum ornatu superbientibus.*

Ut autem in gratiam eorum, qui Gallicæ linguæ periti non sunt, aliquid ex literis hisce excerptum exhibeamus, sciendum est, plurimas ad scientiam artemque medicam pertinere. Servit autem *Patinus* per omnia sectæ suæ *Hippocraticæ* & *Galenicæ*, quam adversus Empiricos & Chimicos acerrime, imo plusquam mordaciter propugnat; conviciis aliquando magis quam rationibus certans. Ita Paracelsum, ita Helmontium, ita collegas etiam suos, Chymiæ operantes, Regios licet Medicos, & in aula potentes, tanquam humani generis hostes & homicidas promiscuos excipit, ut referri id sine dedecore vix possit. Quicquid ex *Antimonio* paratur, cujusque usus tantopere prædicatur: nec experimentis caret, pro veneno ipsi est, intrepide asserenti, *omnes morbos curabiles, sine Antimonio aliisque chymicis medicaminibus, curari posse.* Eodem fere loco habet *Salia*, *Tartarum*, *Bezoar*, *vinum emeticum* (euecticum hoc ironice vocat) *confectiones Alkermes*, *Opium* & *Laudanum*, quæque ex *perlis* & *gemmis* fiunt, ad ostentationem, ut ait, & emungendos ære homines. Irridet, quæ dici solent *specifica*, negatque per ea morbos, qui medicorum scandala dicuntur, depelli, aut plus effici, quam si methodo veterum doctorum, quibus *Fernelium*, dein *Simonem* & *Nicolaum Petrejos* (*Pietre*) æquiparat, per venæ sectiones, & lenia purgantia ex vegetabilibus procedatur. De *Theriaca* judicat, in peste illam pro veneno habendam, nec olim adversus hanc, sed ad sanandos morsus a rabidis canibus inventam fuisse. Aquarum *mineralium* utilitatem elevat, & illis sua, id est, vulgatissima, domestica & parum sumptuosa remedia, Rhabarbari, fol.

sen. Syrup. rosf. & alia ejusmodi longe præfert. Laudat librum ea commendantem, (*le Medecin Charitable*) *Medicum beneficum*, cujus autorem nominat *Silvageonem*, (Sauvageon) aliumque tractatum, qui dicitur *Legenda Antimonii*, *à Joh. Merleto*, collega *Patini*, ut scribit, compositum sæpe allegat. *Caspàrum Hoffmannum* inter Germanos plurimi facit, ejusque pathologiam M.S. ab heredibus 50 Imperialium pretio redemisse se scribit. *Sennerti* & *Rolfincii* non sine honore meminit; sed ita, ut dubitet, an practici fuerint. Eos vero qui tales non sunt, sed intra docendi otium persistunt, ludibrio habet. Minus bene sentit de Medico Batavo *van der Linden*, cumque Chymicæ arti obstinate deditum, neglectaque sanguinis missione occubuisse, insultans narrat. In pharmacopolas lucripetas, eorumque complices medicos, & in chirurgos altum sapientes, & extra artis fines vagantes, vehementer invehitur. Singularia quædam habet de *Epilepsia*, quæ Latine leguntur epist. 32. item de radice *Chin-China*, cujus usum valde extenuat ep. 46. 104, de *sale vipera*, quem parvi facit. ep. 46. nec meliora de *Aloe* & *pilulis Francofurtensibus* tradit ep. 63. 76. Aphorismum Hippocratis, quod *fluente alvo vena non sit secanda*, male intellectum, innumeris hominum millibus necem attulisse tradit, epist. 133. Morsum canis rabiosi, absque specificis per venæ sectiones & purgationes mites sanatum, experimento probat ep. 130. Anatomiam hominis strangulati, in quo jecur sinistro, lien dextro latere repertum fuerit, refert ep. 30. idque a *Riolano* collega suo, (quem ex merito æstimat,) inspectum & notatum esse ait, sectionem faciente *Renerio*. Lunæ & siderum observationes in medicinam ab Arabum superstitione invectam parvi æstimat. Temperantem studii & lucubrationis usum, & somni utilitatem valde commendat, sibi ipsi gratulatus, quod praxi medica ab immoderata legendi & scribendi cupiditate distractus fuerit. *Scorbutum* plebis morbum esse tradit, a victus ratione ortum. De *lue Gallica* illorum accedit opinioni, qui non novum sed vetus malum esse crediderunt, sub lepræ nomine olim in Gallia intellectum: allegat *Pinedam* & *Bolducum*, qui Jobo a Dæmone illum ipsum morbum inflictum fuisse commentati sunt.

Sed ex aliis etiam disciplinis subjungimus, de quibus Polyhistor hic familiaribus suis animi sensa exponere non est veritus. Et *Theologica* quidem quod attinet, etsi Romanæ Ecclesiæ, ut dubitare nequimus

Digitized by Google

nequimus, membrum fuerit, aliqua tamen ejus dogmata vix videtur amplexus esse. *Purgatorium* sane satis aperte pro figmento habet, ejus igne ollas sacerdotum calefieri, & culinam instrui dictitans. De Pontificis potestate, Venetorum eorumque Doctoris *Pauli Sarpii* axiomata sequitur, cujus historiæ de concilio Tridentino fidem habet, spreto *Pallavicino*. In Ecclesiasticos, præsertim in Jesuitas omnesque fere Monachos, *Papæ*, ut ait; dictoque Innocentii X confirmat *Prætorianos*, mire acerbus aut petulans est. Luxum Episcoporum & Prælatorum notabilibus exemplis demonstrat. Inter alia convivium memorat, post Episcopi cujusdam inaugurationem anno 1652 habitum, in quo 120 convivæ sederint, & unicuique quindecim fercula exhibita fuerint. Decipi sic dicit mundum; *in nomine Domine*, vel ut *ex Val. Max.* loquitur, *per religionis simulationem, alimenta inertiæ quæri.* Aliquando ita loquitur, ut profane de religione, & inprimis de futura vita sentire videatur. In Paradiso sane Ciceronis, Virgilii, Aristotelis, Platonis, Juvenalis, Horatii, Galeni (quibus Fernelium, Morellum & Riolanum addit) societatem exoptat. Fœminarum ad templa & ceremonias cursitantium *Divos* esse ait, *S. Trotet, S. Coquet, & S. Babil*; quasi dicas, *sanctum Cursorem, sanctum Garrulum, sanctum Nugivendum*. De spectris & magis quæ narrantur, cum *Naudeo*, quo familiarissime usus est, quemque *Puritanum Peripateticum* vocat, pro fabulis habet; improbat etiam judicia contra magos, & increpat eo nomine *Delrium & Bodinum* scriptorem notissimum, quem impium & in Judaica superstitione mortuum esse dicit. *Gassendum* ut Epicureum verum, sed mitigatum, prædicat, ejusque morituri constantiam laudat, cum sibi, ut medico, illum de instantibus extremis monenti, magno animo respondisset, nihil se metuere, versumque allegaret:

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

Petrum de Marca maximi nominis virum, ambitionis & avaritiæ incusat, qui solutis Mazarino Cardinali 50 scutatorum millibus, Archiepiscopatum Tholosanum emerit. Refert etiam, illum in juventute Reformatæ religioni addictum & Ecclesiasten fuisse; quod à *Baluzio* non est traditum. *Jansenium*, etsi invisum, & censura Pontificia notatum, triumphare tamen ait inter viros bonos: & cum narraret Diarium *Ludovici Santamorii* (de Saint Amour) in quo Jansenius

nius strenue defenditur, Parisiis combustum publice esse, epicrisin addit: *veritatem non comburi.* Alios etiam ejus sectæ magni facit, inprimis *Arnaldum.* Erga Protestantes non male est affectus. Doctos inter eos viros, etiam Theologos, & in his *Ammyraldum*, & *Bochartum* egregiis mactat elogiis. Mire vero extollit *Casaubonum, Scaligerum, Salmasium, Grotium*, (cujus tamen vacillationes in religione non tacet,) aliosque in Belgio & Galliis illustres literatos. Ex veteribus *Erasmum* valde æstimat, ejusque & *Jos. Scaligeri* effigies, crucifixo quod depictum habuit, adjunxisse se ad latus testatur. *Richelium* Cardinalem, si vitam protulisset, conciliaturum fuisse ait religionis dissidia, & jam ære corrupisse præcipuos Protestantium Doctores, inter quos nominat *Ferrium* Metensem, 500. scutat. pensione annua honoratum. Itali cujusdam judicium non videtur improbare, qui *Genevensium*, quam viderat, disciplinam & religionem, non malam, sed præferendam ei Romanam esse dixerat, quia cum hac per orbem commodius transeatur. Eos qui religionem mutarunt, spernit, v. g. *Lipsium, Sorbierium*: manendum esse dicit cum *Naudæo* unicuique, qualis sit.

Eadem qua religionem & religiosos taxat libertate, etiam Politicos tractat. Regem quidem ubique laudibus & veneratione prosequitur, sed aulæ proceribus & vectigalium regiorum procuratoribus non parcit; *Mazarino* inprimis infensus, & maledictis insistens. Ita non est mirandum, quod in factione illa, quæ a *funditoribus* (frondeurs) nomen accepit, partes senatus contra aulam non obscure tueatur, ut quos ex eo ordine ira Regia perculit, *ultimos Gallorum*, ad Cremutii illius *Cordi*, Tacito memorati dicta alludens, vocare audeat. De publica & universali populi Gallici paupertate, cujus causas inter alias, gravitatem tributorum & fiscalium redemtionum versuras, & venalitatem munerum *(la Paulette)* facit, sæpe cum dolore conqueritur. De literatis, eorumque laboribus liberrime judicat, stultos potius quam sapientes ad libros scribendos accedere ait. De *Baronio* Lucæ Hostenii dictum refert, asserentis, se ex Vaticanæ Bibliothecæ cui præfuit libris, 8000 errores in annalibus ejus posse ostendere. Ex Jesuitis *Petavium, Sirmondum* & alios quosdam celebrat; at illi mordacitatem & contradicendi libidinem imputat, & ab Arnaldo superatum eum scribit libro *de frequenti communione.* *Grammondum*

mondum miserum scriptorem esse dicit, Thuano minime comparandum, & adeo vilis animi, ut quindecim paginas libri sui jam excusi mutaverit, *Richelii* laudandi occasionem captans, frustrata quidem adulatione, ob mortem Cardinalis mox secutam. *Charronium* divinum scriptorem esse ait; collaudat etiam *Launoium*, & ex superioris seculi viris *Montanum* (la Montagne) quem tamen dicit de Medicis iniquius, & sine experientia sufficienti judicasse, cum vitam, per suum illum Medicorum contemtum, ultra 60 annos non produxisset. Totas etiam nationes sale Satyrico defricat. *Germanis* ebrietatem, Alchymiæ & peregrinandi stolidum amorem exprobrat. *Batavos* superbiæ & popularis contumaciæ accusat. At *Italiam* proverbiali scommate *diabolorum patriam* nuncupat, plenam Judæis, Atheis, Apostatis, Monachismo & hypocrisi toto orbe maxima. Hæc atque innumera alia de ingenio viri fidem facere possunt. Vixit annos, ut hoc tandem addamus, 71, obiit anno 1672; natus erat prope *Bellovacum*, parentibus tenuibus, sed quos ob probitatem, & bene curatam sui educationem laudat & ditioribus nobilibusque præfert. Horum vitia, impietatem, luxum, avaritiam, crudelitatem & duritiem in pauperes passim insectatur. Ipse vero tantum vanitatis fastidium jactat, ut apud amicum excusaturus, quod splendidum Polonicæ legationis ingressum spectare neglexerit, addat: se vix a libris suis surrecturum, si Salomo Rex cum Regina Sabæa, & omni pompa sua, urbem intrarent. Hæc profecto *Stoam* sapiunt, & rerum vulgo æstimatarum præfractum vilipendium.

THREE ANATOMIC LECTURES. CONCERNING 1. the Motion of the Bloud through the Veins aud Arteries. 2. the organic Structure of the Heart. 3. the efficient causes of the Hearts Pulsation, read by Walter Charleton M.D.

id est:

Tres Lectiones Anatomicæ, concernentes 1. sanguinis per venas & arterias motum. 2. structuram cordis organicam. 3. causas cordis pulsationem efficientes: habitæ a Waltero Charleton. M. D.

Londini 1683. in 4. apud Waltherum Kettelby.

Inter

INter ſcripta ter ſeptem, in lucem hactenus ab Autore Clariſſimo emiſſa, Lectiones præſentes in Catalogo, calci earum adnexo, ultimum locum occupant. Argumentum earum præ aliis *Circularem Sanguinis motum* evolvit, non quaſi hic ab aliis nondum ventilatus ſit, ſed quemadmodum in præloquio ediſſerit, ut in ejus cauſas, conditiones & circumſtantias, item rationem mechanicam, de quibus illi nedum cogitarant, accuratius inquireret. Sicut autem ultro fatetur, ſe doctrinæ clarioris gratia demonſtrationes aliquot mechanicas, ex *Job. Alph. Borelli* ſcriptis eſſe mutuatum: ita ſi illæ propoſitiones quas Autor de Sanguinis per arterias & venas circulo, hinc de cordis ſtructura organica, ac tandem de cauſis vibrationem illius præſtantibus exponit, cum *Borelli de Motu Animal. part. 2. cap. 4, 5 & 6* conferantur, in iis dictorum capitum maximam partem comprehendi conſtabit. Imo a Borelli hypotheſibus vix unquam recedere obſervatur Noſter, ſi ſanguinis fermentationem ejusdemque cum ſucco nerveo ebullitionem, pro fibrarum cordis pariter, ac reliquorum muſculorum motu peragendo excitatam excipias: quarum illam, in primo ſtatim hujus ſcripti limine, cum reliquis viſcerum fermentis particularibus, a modernorum nonnullis eum in finem excogitatis, ut per ea proprias partium actiones explicent, refellit; hanc vero, a Williſio primo inventam, in fine Operis diverſis impugnat ratiociniis, ſolis ſucci nervoſi guttulis, poris fibrarum cordis rhomboidalibus inſtillatis, hosque inſtar cuneorum dilatantibus, ſyſtolen hujus organi in acceptis referens. Ut proin dubitare liceat, utrum Nobiliſſimus hic ſcriptor Borelli Epitomator, an interpres, nuncupari debeat?

BREVISSIMÆ JURIS CIVILIS INSTITUTIONES PRÆCIPUIS illius definitionibus ac diviſionibus contextæ.

Pariſiis apud Viduam Joannis Pocquet. 1683 in 12.

UT juris utriusque & Civilis & Canonici ſtudioſis ſuccurreret præſens Autor, quisquis eſt, e re eſſe putavit, poſtquam anno 82 juris Canonici Inſtitutiones tradidiſſet, in Actis præcedentis anni calendis Auguſti publicatis, jam a nobis commendatas, etiam Inſtitutiones Juris Civilis exhibere, ad quarum laudem, quæ ibidem diximus, huc repetita volumus ſingula. Nam & hic quæ Juſtinianus in Inſtitutionibus ſuis tradiderat, proponuntur perſpicue ſimul atque breviter, ac præterea definitiones terminorum quandoque a Juſtiniano omiſſæ (quarum quidem in Inſtitutionibus fit mentio) eorumque diviſiones ſtudioſa diligentia ſupplentur.

✱:)o(:✱

TAB. VIII.

ad A. 1684. pag 255.

GEMMÆ CÆSAREÆ SIVE ACHAT...
PE...

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DC LXXXIV.

ACHATES TIBERIANUS, SIVE GEMMA CÆSAREA, antiquitate, argumento, arte, historia prorsus incomparabilis, D. Augusti Apotheosin, Imp. Cæs. Tiberii, Augustæque Juliæ domus seriem & icones, gentesque bello captas repræsentans; notis historicis illustrata, auctore Jacobo le Roy, Libero Barone. S. R. I.

Amstelodami. Sed prostat Bruxellis apud Francisc. Foppens 1683, in fol.

Marmor sub finem superioris anni vetustissimum, quod Homeri repræsentat Apotheosin, exhibuimus, prout illud a *Giberto Cupero*, post *Athanasium Kircherum*, cum gemma Augustæa quadam aliisque numismatis antiquissimis fuit illustratum. Apotheosin nunc aliam sistimus, Augusti videlicet Imperatoris, quæ in gemma quadam alia, eaque vere augusta, & cui parem orbis terrarum vix vidit, expressa est, vel expressa esse colligitur. Asservatur illa hodie in sacro Regis Christianissimi gazophylacio, cui nō aliam ob causam illata olim videtur, quam quia *Josephū* sub Rege suo regnantem referre fuit credita. Undenam vero & per quos ea gemma ad Reges Francorum pervenerit, edisserere citra dubitationem non licet. Perquam autem credibile est, Constantinum M. cum Byzantium in Romam novam transmutatum iret, non statuas tantum plerasque eximias, sed & cimelia Augustæ suppellectilis secum eam in urbem transtulisse. Nec vero absimile est, hanc gemmam ab Imperatoribus tandem, cum & Turcæ & hostes alii Constantinopolitanum Imperium adorti essent, grandi pretio divenditam, tandemque a Balduino II Flandro Imperatore Constantinopolitano, in Galliam fuisse transportatam; quippe qui a Palæologis pulsus, non tantum Franciam, *Tab. VIII.*

 Angliam,

Angliam, aliaque regna ad ſuppetias undique conquirendas peragravit, ſed & ablatas ſecum paſſionis Dominicæ reliquias cimeliaque alia, pecuniam ut corrogaret, hoſteſque ſua Byzantio expelleret, vel vendidit regibus vel oppignoravit. Regnabat enim id temporis non fœda tantum barbaries & ſpiſſa quædam antiquitatum Romanarum ignorantia, ſed & ſuperſtitio mirifica, atque idololatrica reliquiarum, quæ Chriſti Sanctorumque aliorum eſſe venditabantur, veneratio. Sacrum igitur quippiam in hac quoque gemma exhiberi cum viſum ſit, ecquid miri eſt, eam magno in pretio habitam, tandemque in Sancta, ut vocant, Capella Pariſ. fuiſſe repoſitam? Nam ut *Petrus Gaſſendus* in vita *Nicolai Fabricii Peireskii* lib. III p. 288 atteſtatur, *exornata illa circum fuerat Chriſtianis figuris, & epigraphis a Græco quodam Imperatore; adeo, ut cum Balduinus eam oppignoraſſet D. Ludovico, & poſtmodum tandem veniſſet in manus Caroli Regis, nomine quinti, & crederetur ſacram quandam continere hiſtoriam, in gazophylacium ſacelli Baſilicæ, ſeu, ut vulgo indigitant, Sanctæ Capellæ quaſi donarium religioſum fuerit illata.* Sed idem Peireskius, uti priſcorum cimeliorum admirator conquiſitorq; fuit & ſolertiſſimus & intelligentiſſimus, ita facile pervidit, non triumphum Joſephi, ut vulgo exiſtimabatur, vel aliam ex ſacro codice hiſtoriam, ſed profanam aliquam, & quantum aſſequi conjecturis potuit, Cæſaris Octaviani Auguſti Apotheoſin, ejusque aulam ac proſapiam in hac gemma repræſentari. Peireskium excepit *Johannes Triſtanus*, Toparcha Sancti Amandi, vir de re antiquaria & nummaria inſigniter meritus. Nam & hic in Commentariis hiſtoricis Imperatorum Romanorum, anno 1635 Pariſiis Gallice editis, non Gemmam tantum hanc æri inciſam exhibuit, ſed & ſuam explicationem ſubdidit, a Peireskiana multum deflectens. Nam quem Peireskius cenſuit eſſe *Auguſtum*, radiato ac velato capite conſpicuum, Deæ Romæ ope elatum in cœlum, eum Sanctamantius hic interpretatur *Jovem*; & quem ille credidit eſſe *Marcellum*, equorum amantem, quem fata terris tantum oſtendere, hunc eſſe vult *Auguſtum*. Sic quem Peireskius ſub Marcello exiſtimavit eſſe *Druſum*, Tiberii filium, manu verſus Jovem extenſa poſtulantem quaſi poſt patrem Imperium, Sanctamantius *Numerium Atticum* eſſe autumat, qui D. Auguſtum in cœlum aſcendentem vidiſſe ſe juraverat; & quam aſſidentem Druſo *Livillam* uxorem ille cenſuit,

hi

Digitized by Google

hic censet esse posse *Juliam*, Augusti filiam in exilium actam; uti credidit, illum ad dexteram Jovis esse *Drusum*, Tiberii fratrem, quem potius *Julium Cæsarem* esse Peireskius fuit arbitratus. De *Germanico*, *Agrippina*, *Caligula* nihil est discriminis, imo nec de *Tiberio*, nisi quod Peireskius vestem imperialem serpentibus circumdatam esse duxit *Ægidem Jovis*, appellavitque lanceam sine ferro, sceptrum prælongum. De cætero quam Peireskius existimavit *Antoniam* Germanici matrem, Sanctamantius *Liviam*; & quam ille putavit *Liviam*, Santamantius *Antoniam* agnoscit. Post Peireskium & Tristanum eandem gemmam interpretari cœpit *Albertus Rubenius*, Petri Pauli Rubenii, celeberrimi pictoris, qui & gemmam hanc manu propria excepit, filius, & Philippi IV in sanctiore Concilio Secretarius, cujus dissertatio de hac gemma anno 1655 Antverpiæ a *Gasperio Gevartio*, cui & dedicata est, fuit edita. Hunc si audias, (sequitur autem jam Peireskium, jam Sanctamantium, jam neutrum, suismet divinationibus indulgens) *Livia* in eodem, quo Tiberius, solio residet, Augusta quippe & dominationis fere socia; *Antonia* Drusi uxor recta adstans filium *Germanicum* amplectitur, qui galea, clypeo & ocreis instructus tacto capite ad vitam Reipublicæ & Tiberio patri impendendam se obstringit. Adsistit Germanico *Cajus Cæsar Caligula* manipulario habitu, qui patrem in Syriaca expeditione, teste Suetonio, fuit comitatus. Marito & filio, Germanico nempe & Caligulæ adjuncta est *Agrippina*, eaque non stola, ut Livia & Antonia, sed chlamyde fibularia, quia in castris plerumq; versabatur, circumvelata. Ab altera parte pone thronum Tiberii sedet puella in subsellio sphingis imagine exornato, *Livilla* videlicet Germanici soror, ejusque maritus *Drusus*, juvenis galeatus ac paludatus, seipsum quoque dextra ad cœlum elevata paratum innuens ad pericula pro majestate Imperii subeunda. Liviæ adjacet *Armenia*, habitu Barbari, qui tiara, tunica manicata & sarabaris est velatus. In superiori gemmæ parte quatuor Divi seu Heroes conspiciuntur. Ex his, qui orbem manibus tenet, *Æneas* vel *Iulus* videtur Rubenio; qui supra hunc emicat, *Augustus*; qui Pegaso vehitur, *Drusus*, Germanici pater; & quia creditum est, Drusum ex rogo a Venere ereptum, & in stellam Hesperum fuisse transmutatum, Pegaso Veneris velut ministro *Cupido* ductor & moderator habenarum est appositus. Qui superest Heros paludatus & laureatus, ac clypeum utraque ma-

 nu te-

nu tenens, Rubenio *Tiberius Claudius Nero* eſt, Tiberii Cæſaris pater naturalis, qui uti Alexandrino bello claſſi præpoſitus, Ægyptios, teſte Dione, navali devicit prælio, ita laurea eam ob victoriam hic eſt coronatus. Imum gemmæ ſegmentum refert illuſtres utriusque ſexus captivos, eosque ut Rubenius cenſet, Germanos a Cæſare Germanico in triumpho traductos, & a Strabone lib. 7. recenſitos. Exhibetur nempe ex mente ejus *Thusſnelda*, & in gremio ejus *Thumelicus* triennis. Aſſidet frater ejus *Segimundus*, & qui huic adhæret, patruelis *Septhacus*, cum adjuncta uxore, parmæ incumbente; barbarus in extremo gemmæ angulo ſedens *Deudorix* Sicamber: ab altera parte captivus alius manu caput ſuſtinens *Libys*, Cattorum ſacerdos. Inter Libyn & Thusſneldam, *Arpi* Principis Cattorum conjux & filia apparent. Atque hæ illæ Rubenii ſunt de Achate iſthoc Tiberiano, poſt Peireskium & Sanctamantium, conjecturæ. His ſuperveniens Vir illuſtris *Jacobus le Roy*, Liber Baro S.R.I. interpretatione nova eandem gemmam ex priſcis numiſmatis ſcriptoribusq; elucidavit, elucidatamq; ſuperiore anno Amſtelodami publicavit. Hoc judice in ſegmento ſuperiori *Roma* Dea, galeata & paludamento ſuccincta orbem terrarum utraq; manu geſtat, Divumq; *Auguſtum* Cæſarem corona radiata veloq; ſacro inſignem, ac ſceptrum haſtamve manu geſtantem humeris dorſoq; ſuo impoſitum in cœlum evehit; ſed *Julium Cæſarem* laureatum, & clypeum utraque manu tenentem, pede ſuo ad tibiam ejus adducto, leviter in altum extollit. Qui Pegaſo ſeu equo alato vectus, *Druſus Germanicus* eſt, Germanici Cæſaris pater, ob victam Germaniam laurea coronatus. Quod ſecundum ſegmentum attinet, auguſtali ſolio inſidet *Tiberius*, Jovem habitu repræſentans, eiq; aſſidet *Livia* dominationis fere ſocia; ad ſellæ Auguſtæ pedes qui ſedet, *Armenius* eſt, vel *Armenia* ipſa a Tiberio in poteſtatem P.R. redacta. Retro poſt Liviam adſtat *Druſus* junior, Tiberii Auguſti filius, tropæum ferens ob res in Germania bene geſtas, manusque extendens, vel ad *Auguſtum* Tiberio propitiandum, vel ad orbem quem *Dea Roma* portat, ſucceſſione ſibi debitum. Druſo aſſidet *Livilla* ejus uxor; quæ *Julia* Auguſti filia Sanctamantio videbatur. Ad lævum Tiberii latus adſtat *Antonia* Aug. Druſi uxor, Cæſaris Germanici mater. Retro poſt Germanicum ſedet uxor ejus *Agrippina*, juxtaque matrem adſtat *Caligula*, militari & ipſe habitu ac clypeo, & arma hoſtium ob

patris

patris victorias pedibus calcans. In tertio ſegmento captivi Domino le Roy videntur eſſe *Armenii* a Tiberio Auguſto domiti, non *Germani*, & quidem non ob tegumenta tantum capitum veſtimentaq; cætera, ſed & plane diverſa armorum genera. Nos enarratis hiſce Quatuorvirorum ſummorum de hac Gemma Auguſtæa expoſitionibus, Palæmonis nobis partes non ſumimus: minime autem dubitamus fore, ut aliis non minus, quam nobis, *Peireskii*, *Rubenii* & Domini *le Roy*, quam *Sanctamantii*, divinationes longe plauſibiliores videantur.

GUARINI GUARINII MUTINENSIS, CLERICI Regularis, & Ducis Sabaudiæ Mathematici &c. Cæleſtis Mathematica.

Mediolani, 1683 in fol.

NOn eſt, ut operis hujus, cujus editionem Autor fato ſuo antevertit, juſtum recenſum inſtituamus: cum argumenta ejusmodi ſyſtematum ubique fere ſint eadem, & ſi qua hinc inde peculiaris Auctorum induſtria novis commentis ſe profert, lectori fontes indicaſſe ſufficiat, unde, quod ſibi profuturum ſit, ipſe petat. Summa ergo tantum delibabimus capita, ut ordinis ab Autore uſurpati conſtet ratio & Lector ex paucis annotatis judicare queat de reliquis ſilentio prætermiſſis. Complectitur autem Cœleſtis hæc Mathematica, præter doctrinam de metiendis motibus & magnitudinibus corporum cœleſtium, quæque his affinia ſunt, geometricas etiam rationes umbrarum ſolarium, in ſciatericis planis exceptarum: unde & Auctori viſum eſt eandem in duas partes dividere.

Prima pars uno & viginti tractatibus, continua Theorematum Problematumq;, & inde aliquando deductorum corollariorum ſerie conſtantibus, & in peculiares expenſiones ceu capita ſubdiviſis, antiquas & novas temporum & ſtellarum leges, ex obſervationibus veteris & recentioris ævi explicat, tabulasque earum novas adornat, plurium obſervationum conſenſu, ubique exhibito, ſubnixas. Ipſorum Tractatuum I & II communia Sphæricæ tradunt: III & IV temporis Aſtronomici partes & ſpecies, ejusque inæqualitates, & æquandi rationes, crepuſculorum etiam cauſas & varietates exponunt; horæq; momenta diverſimode definire docent; V Parallaxes; VI Refra-

ctiones distinguit & metitur: VII modos varie observandi Meridianum, obliquitatem Eclipticæ, azimutha, solstitia & æquinoctia, altitudines poli, Æquatoris & siderum; horum porro diametros, distantias, loca, motuumque irregularitates evolvit: VIII Theorias describit, ab Astronomis hactenus, explicandis Planetarum motibus, introductas, prælata cæteris Ptolemaica: IX & X luminarium motus (ubi bisectionem eccentricitatis, & Tychonicam Lunæ variationem Autor rejicit;) XI, XII & XIII eorundem, ut & Terræ Eclipses, quæque iis accidunt; XIV, XV & XVI Planetarum minorum motus secundum longitudinem & latitudinem, contemplantur: XVII ortus & occasus Errantium, reductionem, curtationem, aspectus, revolutiones, velocitatem; XVIII figuram, illuminationem, numerum, distantiam a Terra, magnitudinem & locum, determinant: reliqui tres, quæ Fixas attinent, deque Asterismis earum & Via Lactea tractant, adjecto Fixarum Catalago & Schematismis asterismorum; sed rudioribus, & ad solam fere longitudinem & latitudinem oculis exhibendam factis.

Altera parte totam Gnomonicen Autor, e Geometricis fundamentis dilucide deductam tradit, aptisque figuris, quomodo arcus cœlestes quicunque, qui horologiis exprimuntur, in planis sciatericis emineant, ob oculos ponit. Absolvunt hanc quatuor Tractatus: quorum primus de Horologiis planis astronomicis cujuscunque generis construendis & collocandis, ac circulis horariis & verticalibus, in iisdem describendis; Secundus de vestigiis Parallelorum tam Horizontis, quam Æquatoris, hoc est conicis sectionibus ibidem delineandis; Tertius de Horologiis Italicis & Babylonicis conficiendis; Quartus de signis Zodiaci ascendentibus & descendentibus sciaterico inscribendis, agunt.

Ut vero diffitendum non est, Autorem ingenii sui acumen non uno in loco ostendisse, operamque Astronomiæ non inutilem præstitisse, ex. gr. in animadvertendis antiquorum & recentiorum etiam nonnullorum, ipsiusque Riccioli circa æquandi temporis doctrinam erroribus; in theorematibus per diagrammata, ad tyronum captum maxime accommodata, exponendis; in ostendenda lubricitate observationum, captandis dichotomiis lunaribus, & inde stabiliendæ Solis a Terra distantiæ institutarum; in figendis & varie determinandis Eclipsium

psium Solarium terminis; in doctrina Eclipsium terrestrium novis luculentisque theorematis locupletanda; in oscillatorio Lunæ motu (quod tamen, an phænomenis huc spectantibus satisfaciat,& an inde ipsum oscillatorium Lunæ motum recte negaverit Guarinus, aliis judicandum relinquimus) ad perpetuum disci Lunaris ad axem mundi parallelismum referendo &c. Sic nec dissimulandum duximus,esse alicubi,quæ Autor forte lima adhibita emendaturus fuisset, si vitæ usura longior ipsi contigisset: quo referimus lapsum p. 83, aliis etiam celeberrimis viris,Copernico,Reinholdo,Magino,Ricciolo communem, in quadruplicatione differentiæ maximæ ascensionis rectæ & arcus Eclipticæ,pro determinanda dierum naturalium maximorum & minimorum differentia; cum differentia arcuum istorum, quotieslibet sumta, differentiæ dictorum dierum mensura esse nequeat (hanc quippe constituunt binæ maximæ differentiæ arcus diurni, Eclipticæ & Æquatoris,una circa punctum æquinoctiale, altera circa solstitiale, junctæ) nec si vel maxime adhibeatur ad definiendam temporis medii & apparentis, intra certa duo puncta sumti,maximam differentiam (ad quam revera adhiberi potest) non quadruplicanda sit,sed tantum duplicanda; quia, utut maxima hæc differentia per integrum circulum quater occurrat, non ad unam, sed ad duas inæqualitatis temporum pertinet periodos: ἀβλεψίαν opticam, in ἀνασκευῇ doctrinæ Keplerianæ, de coloribus Lunæ eclipsatæ p.179, radios Solis in athmosphæræ ingressu refractos rursumque exeuntes, ad eundem angulum restitui, ut radius jam bis refractus parallelus evadat radio nondum refracto (ex quo contra leges catoptricæ sequeretur,radium e medio densiori in rarius,ad perpendicularem refringi) pronunciantis: Ricciolo p. 241 imputatam inconstantiam circa observationem Lunæ,relatam in Almagesto & Astronomia reformata; & pag. 270 eidem affictam sententiam de umbra Telluris ab Athmosphæra sensibiliter aucta; cum tamen prioris rationes Ricciolus afferat citato Astron. reform. loco; contrariam vero hujus teneat ipso a Guarino citato cap.4. l.5. Alm. in Scholiis & seq. capite.

PETRI

PETRI SCHOLIRII, EQUITIS ET SENATORIS *Antverpiensis, Sermonum Familiarium libri III, perpetuis & hactenus desideratis commentariis illustrati, opera & studio Alberti le Roy, Fratris Eremitæ Augustiniani.*

Hermopoli, typis Basilicis, anno 1693, in 4.

CUm inter Satyricos prisci ævi Poetas tres potissimum sint commendabiles, Juvenalis, Persius, atque Horatius; Horatius inter oratoriam Juvenalis dicacitatem, & inter Persii obscuram nimis adstrictamq; brevitatem medius incedit, atque adeo inter Satyricos non minus, quam inter Lyricos Latinos, primum meretur locum. Hunc itaque imitandum sibi præ cæteris proposuit *Petrus Scholirius* Antverpiensis, quasi ab ipsa natura ad Satyras scribendas factus. Scripsit etiam, uti Horatius, Sermones sive Satyras, inque illis perversos seculi sui mores aceto satis acri perspersit. Usus etiam videri voluit dictione Horatiana, h.e. eleganti, festiva atque urbana; quanquam neque hoc dissimulandum, Satyrographum hunc legibus latinitatis haut nimis arcte constringi semper voluisse. Tres sermonum familiarium libros ipse Auctor adhuc vivus diverso edidit tempore; sed cum plurima in illis loca propter obscuritatem lucis quid sibi postularent, exorari tandem se passus est *Antonius le Roy* Frater Eremita, id laboris in se ut susciperet. Scripsit itaq; scholia seu commentarios in Sermones XI Scholirii tribus libris comprehensos, a *Francisco* potissimum *Diependalio*, JCto Antverpiensi, & *Macario S. Michaelis*, Ordinis Præmonstratensis præsule instigatus, multumq; a *Francisco Paschasio van den Cruyce*, qui Scholirii mores & genium pernoverat, ut & duobus Viris Consularibus *Joh. Antonio Tuchoro*, & *Philippo Schoyte*, in illustrandis quibusdam locis adjutus, illisque non septem tantum *epistolas* hactenus ineditas, utut breves illas & extemporaneas, sed & geminum *indicem* subjunxit; quorum prior omnia, tam res quam verba ac phrases, posterior parœmias tantum complectitur. Fuit alias Petrus Scholirius Antvverpiensis ex familia equestri, quæ tribus haud minus seculis apud Noricos cognomine gentilitio, *Schuller*, apud Belgas *Scholier*, inclaruit, multisq; honorũ prærogativis a Rudolpho

pho II Imp. fuit aucta. Natus autem est anno superioris seculi LXXXII patrem nactus *Davidem Scholier*, avumque *Petrum Schullerum* Patritium Noribergensem, qui eodem anno Antverpiæ in æde Cathedrali fuit tumulatus. Ob ingenii poetici scintillas mature se exerentes Musis consecratus, Gymnasioque dein Grud o immissus in Philosophico quoque pulvere fuit versatus, sed exiguo aut plane nullo cum fructu. Valere tandem jussis illecebris Lovanium anno ætatis XXX repetiit, ubi & anno 1612 tam legum sacrarum, quam civilium laurea fuit insignitus. Profectus inde in Italiam, per sex annos continuos mores hominum & antiquitatum studia, situs item & amœnitates urbium attentis oculis observavit, honorarius ducis Arschotani comes. In Belgicam redux factus, ducta conjuge venusta ac nobili *Anna Lamberti*, sedem sibi delegit Lovanium, celeberrimum literarum emporium, ut Musis vacare liberius, & cum doctis, Erycio inprimis Puteano, conversari posset. Antverpiam postliminio reversus, atque in Senatorium ordinem cooptatus, cultissimorum hominum cœtus frequentavit, fabellasque suas urbano sale condivit, natura ad jocularem censuram propendens, optimisque poetis, Horatio inprimis, Juvenali ac Persio, præter Historicos atque Politicos deditus. Tandem cum valetudinem afflictam, potis Spadanis fontibus utcunque instaurasset, repentina inter sodales apoplexia correptus, XVI Kal. Decembr. anno 1635 mortem obiit non sine magno sui apud doctos desiderio.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS, NON NATA RESURgens in expositione legali Co. Caroli Cæsaris Malvasiæ U. J. ac S. paginæ Doct. Colleg. nec non in patrio Archigymnasio horis vespertinis ordinarii Legum interpretis primarii &c.

Bononiæ, apud Josephum Antonium Davicum de Turrinis 1683 in 4.

CUm multæ veterum Inscriptionum ænigmatici quid præ se ferant, tum illud maxime Bononiense epitaphium, quod *Ælia Lælia Crispis* inscribitur, obscurissima Sphinx quædam semper fuit visum.

Sed nec pauci illius Oedipi tum hoc tum anteacto seculo ex doctiorum cœtu exsurrexere. Quadraginta & tres a Malvasia auctores recensentur, qui Inscriptionem isthanc vel speciatim exposuerunt, vel saltuatim saltem attigerunt. Illa autem, si vetustius exemplar spectes, ita habet:

D M

ÆLIA LÆLIA CRISPIS
NEC VIR NEC MVLIER NEC ANDROGYNA
NEC PVELLA NEC JVVENIS NEC ANVS
NEC CASTA NEC MERETRIX NEC PVDICA
SED OMNIA
SVBLATA
NEQVE FAME NEQVE FERRO NEQVE VENENO
SED OMNIBVS
NEC CœLO NEC AQVIS NEC TERRIS
SED VBIQVE JACET
LVCIVS AGATHO PRISCIVS
NEC MARITVS NEC AMATOR NEC NECESSARIVS
NEQVE MœRENS NEQVE GAVDENS NEQVE FLENS
HANC
NEC MOLEM NEC PYRAMIDEM NEC SEPVLCRVM
SED OMNIA
SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.

Quemadmodum autem Oedipi isti diversissimas professi fuerunt artes, ita ex perplexabili illo ænigmate pro sua aliquid facultate exsculpere quisque sategerunt. Et Marius quidem Michael Angelus hanc Æliam Læliam de aqua pluvia; Ricardus Vitus primum de Niobe in saxum conversa, dein de anima rationali, & tandem de idea Platonis; Joannes Turrius de materia prima; Franciscus Schottus de eunucho; Nicolaus Bernaudus de lapide Philosophorum (cui & Olaus Borrichius, in tr. de ortu & progressu Chymiæ videtur accedere;) Zacharias Pontinus de tribus humanis corporibus in eodem situ, & a tribus insimul viris conditis; Andreas Nesmondius de lite seu studio litigandi; Joannes Gasperius Gevartius de amore; Zuerius Boxhornius de umbra; P. Ferronius de musica; Fortunius Licetus de generatione, amicitia, & privatione; Ovidius Montalbanus de

Digitized by Google

de canabe, alii de alia quadam re interpretantur. Quanquam autem plerorumque omnium, quos diximus, eruditæ admodum, & sic satis plausibiles videntur esse interpretationes, nulla tamen illarum, quam ingeniose etiam excogitatæ sint, approbare sese Carolo Cæsari Malvasiæ JCto apud Bononienses primicerio, potuit. Novam itaque adinvenit, cumque scopum cæteris omnibus propius feriisse sibi sit visus, eam clam literarium orbem amplius esse noluit. Productis itaque auctoribus, qui Inscriptionem istam aut declararunt, aut memorarunt, exhibitisque duobus illustrioribus illius exemplaribus & lectionibus mire variantibus, Epitaphium hoc intellectum esse censet de filia Lælio nascitura, eademque sponsa Agathoni designata, sed neque filia, neque sponsa, quia concepta, non edita, non orta item, sed aborta; unde & Agatho dilectus pridem in conjugem, sed a sorte elusus ænigmatica hac Inscriptione non abs re ludere potuerit. Nimirum Malvasiæ D.M. est *Diis manibus*, quæ frequentissima mortuorum conditorum est nota; *Ælia Lælia Crispis* sunt nomina expectato & expetito huic partui, si fœmineus apparuisset (id quod Agathoni tanquam sponso designato in votis erat,) imponenda; cumque embryo tum fuerit, *nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec juvenis, nec casta, nec meretrix, nec pudica* fuit, quæ tamen omnia repræsentare olim potuerat, si nasci eidem ac vivere contigisset; *sed omnia*, potentia scil. non actu. De cætero uti Lælia vitam assecuta non est, ita nec mortem experta. Atque hinc Agatho: *sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, sed omnibus*, quia nimirum quovis genere fati occumbere aliquando potuisset; & quia nullibi reperta, hinc Agathoni *nec cœlo, nec aquis, nec terris, sed ubique jacet*, potentia nempe non actu, quia ipsa vere non fuerit. Igitur *Lucius Agatho Priscius*, quia ducere eam, quæ nata non est, diligereque, quæ non vixit, atque adeo & mortuæ succedere non potuit, fuit *nec maritus, nec amator, nec necessarius*, atque hinc *neque mærens, neque gaudens, neque flens*. Denique: *hanc nec molem, nec pyramidem, nec sepulcrum*, sed simplicem Inscriptionem tum moli, tum pyramidi, tum sepulcro apponendam, sicque *omnia; scit & nescit cui posuerit*; quia nomen quidem scit, quod a parentibus ductum imponi huic partui debuerat, nescit tamen, quia nondum impositum fuerat. Hanc interpretationem suam ut magis probabilem reddat Malvasia, eam

consuetudine gentium variisq; ex historia exemplis suffulcit. Quemadmodum enim stirpes amicitiæ vinculis connexæ per decreta natorum sponsalia devinciri arctius subinde consuevere, ita Lælianæ quoque atque Agathonianæ genti hunc animum fuisse autumat, ut diutina inter genitores mutuæ amicitiæ fides per initum inter liberos conjugium protraheretur & veluti æterna redderetur. De cætero, quæ strictim eo, quo dictum, modo cap. III exposuit Malvasia, cap. IV & V fusius elucidat, magisque confirmat, Inscriptionibus plurimis sententiæ suæ illustrandæ adhibitis. Cap. denique VI Agathonem omnigena rerum scientia fuisse excultum docet. Cap. VII Inscriptionem hanc non recentis, sed vetustioris ævi esse, atque hinc non paucos ad æmulationem provocasse tradit; qua occasione multæ Inscriptiones argutæ, in quibus ὁμοιοτέλευτα tria, afferuntur. Defendit denique cap. VIII puram ac priscam Inscriptionis latinitatem; cumque ostendisset in cap. IX, etiam fœminas antiquitus tria habuisse nomina, ut *Ælia Lalia Crispis*, cap. X. & ultimo ea omnia, quæ Inscriptioni detrahere aliquid de antiquitate, puritate atque elegantia videntur, feliciter removet, hæc talia (v. g. Æ pro AE) in priscis etiam aurei seculi Inscriptionibus reperiri demonstrans.

CASPARIS ZIEGLERI
de Clerico renitente, sive muneris ecclesiastici fuga, dissertatio Justinianea.
Wittebergæ 1684 in 12.

INter principes, qui applausum hujus seculi per Germaniam meruere, JCtos, vel maxime caput effert CASPAR ZIEGLERUS, Vir & summis honorum functionibus & amussitata doctrina vere illustris. Certe, quod Tullius de Servio Sulpicio Philippica nona prædicat, ipsum scilicet admirabili quadam & incredibili & pene divina in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia præditum fuisse, id etiam recte de *Zieglero*, non Juris magis, quam Justitiæ consulto, dici affirmarique potest. Eam quippe rerum gravitatem, eam interpretandi ἀκρίβειαν spirant ea, quæ publicæ luci exposuit, ut e tabulis suis nullo tempore nomen illius sit expunctura orbis eruditi posteritas. Ejusdem commatis quoque est hæc ipsa dissertatio Justinianea, quæ elegantissimam commentatiunculam ad l. XXXI *C. de*

Episc

Episc. & Cler. exhibet. Occasio scribendi eruditissimo Viro non fuit alia, quam vocatio ad spartam muneris ecclesiastici supremam, quæ a GEIERO quondam, Theologo consummatissimo νῦν ἐν ἁγίοις, invito prorsus & renitente animo suscepta fuerat. Huic igitur Gamalieli suo, ad cujus pedes se consedisse olim gratus profitetur, post fata parentaturus quasi, hoc ipsum opusculum concinnavit, partim ut gratam mentem testaturus beatissimis GEIERI manibus ære perennius monumentum erigeret, partim ut omnibus simul Theologiæ studiosis & ministerii candidatis exemplum aliquod, qua morum innocentia ac puritate & ipsi aliquando Ecclesiæ claves capessere debeant, ob oculos sisteret. Exordium dicendi facit de Jure Romano a Justiniano composito, istud vel eo nomine commendans, quod, post sacras paginas, ex hoc potius, quam hodiernis Moralistarum libris informatio conscientiarum peti possit. Patescere id inprimis e doctrina de acquirendis rebus, in qua maxime solliciti fuerint Romani, ne quæ injustitiæ sordes vel personas acquirentes, vel rem acquirendam, vel titulum & modum acquirendi contaminarent. Enatam inde JCtis multam de bonæ & malæ fidei possessore disceptationem: apprime vero Legislatores Romanos non paucis constitutionibus hanc in rem promulgatis voluisse, ut officia publica tam civilia quam sacra omni labe vacarent, & pura mente manuque a singulis induerentur. In cujus rei argumentum affert *Legem XXXI C. de Episc. & Cler.* a Leone I Romanorum Augusto ad compescendam avaritiam & ambitionem eorum, qui Ecclesiæ dignitates anhelarent, emissam. Hanc vero non ab Anthemio, qui A. C. 467 in Occidentem, Romæ imperaturus, missus erat, sed a solo Leone Orientis Imperatore publicatam esse affirmat, utut Anthemii quoque nomen inscriptio ostenderet. Usu enim tum temporis fuisse receptum, ut lex ab alterutro Imperante conficta & promulgata utriusque titulum in fronte præ se ferret: probans id insuper tum ex subscriptione, quæ Constantinopoli, utpote sede Leonis, hanc sanctionem prodiisse commemoret, tum ex eo quod ista ad Armasium, Præfectum Prætorio Constantinopolitanum fuerit exarata. Digressus hic in laudes Leonis, pietatem ejus præcipue ex Arianorum persecutione & zelo conservandæ diei dominicæ sanctitatis per *l fin. C. de fer.* luculentissime prodito, commendat. Pro *Armasio* vero, ad

quem, uti dictum, hæc imperialis constitutio fuit perscripta, Suidæ autoritatem cum Baronio secutus, mavult legere *Armato;* hunc enim fuisse Præfectum Prætorio, post, Zenone ad Imperium aspirante, hanc dignitatem cum officio magistri militiæ commutasse; quas functiones cum Præfectura urbis æqualem ea tempestate splendorem habuisse ex *l. 1. C. de Præfect. Prætor. s. Urbis* demonstrat. His præmissis in occasionem, quæ hanc salutarem legem pepererit, accuratius inquirit, neque aliam fuisse asserit, quam pravos Ecclesiasticorum mores, Simoniaca peste passim infectos. Postquam enim Gennadius, ad summam Constantinopolitanæ vicinarumque Ecclesiarum ephoriam A.C. 458 evectus, non sine maxima indignatione animadvertisset, Chalcedonensis Concilii sanctionem, qua depositionis pœna in eos, qui pretio ordinassent Episcopos, statuta erat, variis variorum fraudibus circumveniri, idque in Galatia maxime, Ponticæ Diœceseos, & subjecta sedi Constantinopolitanæ provincia frequentius fieri, eum operæ pretium duxisse, coacta synodo provinciali, quam A.C. 459 celebratam fuisse conjicit, illam denuo repetere, & insuper anathematis metu transgressuros inposterum coercere. Cum vero hoc decretum synodale extra Asianam, Ponticam & Thracicam, quæ Constantinopolitano Patriarchæ subditæ erant, Diœceses vim suam porrigere nequivisset, adeoq; Gennadius Patriarcha fuisset veritus, ne ex vicinia, eodem maligno sidere afflata, lues iterum in sui districtus episcopos transiret, Imperatorem ex suggestione ejus hanc universalem legem condidisse, ut omnes & singulæ Imperii Orientalis Ecclesiæ hujus vinculo adstringerentur. Qua occasione simul de potestate legislatoria in negotiis ecclesiasticis, per id tempus summis Romanorum Principibus adhuc salva, disserit, eamque soli in Republica Majestati vindicat. Ut vero Auctor majus lumen explicationi suæ accenderet, retro quasi legit vestigia, & in statum aliquot Ecclesiarum Patriarchalium, quomodo is ante tempora Gennadii se habuerit, diligentius paulo inquisivit, exemplis pariter ac testimoniis ostendens, Constantinopolitanam, Alexandrinam, & Antiochenam maximis turbis atque seditionibus, præsertim vero Simoniæ morbo immane quantum sideratas fuisse. Quod vitium Ecclesias tum demum infestasse dicit, quum auctis in immensum Ecclesiasticorum reditibus, nemo non gradum istius dignitatis appetierit, ex qua tantæ divitiæ atque emolu-

menta

menta cum honoribus pene divinis & tot hominum devota subjectione temporis progressu fuissent suspensa. In reliquis, ad ductum textus, Simoniæ crimen enucleatius evolvit, varia subinde ex antiquitatibus ecclesiasticis, e.g. de constructione templorum veterum, de occasione Concilii Chalcedonensis, nec non iis, qui ecclesiastica dignitate oblata noluerint ornari, inspergens. Damnat postremo cavillationes Moralistarum, quibus per mentis directionem illicitum in genere licitorum constituere speculentur, cum parum prosit, si eorum distinctiunculæ nos apud homines quidem absolvant, internus interim animi nostri præco apud DEUM delicti reos arguat. Hinc concludit, ad tranquillitatem conscientiis procurandam & conservandam, satius esse, circa actum electionis & ordinationis Ecclesiasticæ omnibus in universum largitionibus, quantulæcunque illæ fuerint, abstinere.

THE LIVES OF SUNDRY EMINENT PERsons in this later age, by Samuel Clark, sometimes Pastor of Bennet-Fink, London,

hoc est:

Vitæ eminentium quorundam hominum hujus seculi, autore Samuele Clerico, quondam Pastore Londinensi Parochiæ, quam vocant Bennet-Fink.

Londini, 1683 in fol.

AD virtutem & præclara facinora nihil efficacius excitat, quam autoritas & exemplum magnorum hominum, multoque major ac certior fructus est, si quis eorum pietatem ac ornamenta, qui principem locum in populo tenent, ad imitandum proponat, quam si mille regulis ac præceptis formare mores conetur. Id secum animo reputans Samuel Clericus, presbyter Anglus, virorum illustrium vitas condere ante hos viginti annos & amplius aggressus est, earumque in aliquot tomos, teste librorum ab ipso scriptorum catalogo, qui in vita ejus operi huic præfixa exhibetur, antehac vulgavit. Iis nuper anno 1682 tertium, ut ipse numerat in præfamine, volumen adjicere incepit, quod ab ejus filiis, quum operi patrem immori contigisset, perfe-

perfectum anno proxime elapso in publicam lucem prodiit. Ut pauca quædam de Autore commemoremus, fuit is illi notissimæ Sectæ addictus, cujus asseclas Scotia Puritanos, Anglia Presbyterianos vocat. Et illud quidem satis clare cum ex operis textura, tum ex Autoris cursu vitæ, quem ipse composuit, & præfatione aliqua Richardi Baxteri celebris Presbyterianorum hodie antesignani apparet. Refert enim Clericus, se primum in collegio Emanuelis Cantabrigiæ a Puritanis educatum, postea propter impugnatas Ecclesiæ ceremonias ejusque regimen, indigne plurima passum, & denique cum edictum de ministrorum conformitate ante hos fere viginti annos vulgaretur, de statione dejectum ac expulsum fuisse. Similiter quoque in toto opere, quæ vitæ enarrantur, Presbyterianorum sunt. Prior pars ministros Ecclesiæ ac theologos; posterior viros nobiles, ac in reipublicæ negotiis adhibitos, fœminasque aliquot illustres complectitur. Initium fit ab Hugone Brougthono, qui e *Concentu Scripturæ* notus est, quem in Latinam linguam Isaac Genius transtulit. Sequuntur Robertus Boid, acutissimus Tvvissus, Thomas Wilsonius, Samuel Boltonus, Richardus Vines, Richardus Blackerbius, Radulphus Robinsonius, Johannes Janawajus, Johannes Machinus, Samuel Winter, Thomas Tregossius, Richardus Matherus, Joseph Allenius, Stantonius, Samuel Terclogius, & Thomas Wadsworthius. Ultimo de Oweno quodam Stoctono, & Thoma Gugio, qui anno 1681 vivere desiit, exponitur. Sub finem primæ hujus partis Scoti aliquot pastores, & providentiæ divinæ circa gregem fidelium exempla nonnulla commemorantur. Altera pars incipit a Philippo Sidneio, qui in aula Elisabethæ haud parum quondam valuit, & eo tempore, quo Hispanus Belgicas provincias invaserat, Reginæ jussu Belgarum libertatem strenue defendit. Postea Carolus Coot, Johannes Lamot, Nathaneel Barnardiston, Johannes Row, & Matthæus Hale, quorum omnium haud obscurum est in Angliæ historia nomen, descripti inveniuntur. Alterius denique sexus novem personæ virtute ac morum integritate illustres, quas nostra memoria vivere contigit, sistuntur. Hasce vitas omnes non tam ipse Clericus scripsit, quam ab aliis scriptas collegit, ac rejectis inde, quæ superflua videbantur, ne interirent, hac forma evulgavit. Quicquid in ipsis dicitur, fere ad virtutes & pietatem cujusvis personæ pertinet. Plerumque illic de conversione agitur, quo

tempore

Digitized by Google

tempore & qua occasione primum quis Deo se tradere inceperit; postmodum de persecutionibus, quas Ecclesiæ ministros, imperante Carolo I ejusque filio hodierno augustissimo Monarcha, expertos Autor ait, agitur: sæpe de raptu afflatuque divino, de donis propheticis disseritur, quibus imbuti prædixerint nonnulli pluribus annis ante, fatalem illam Reipublicæ Anglicanæ sub Caroli I regimine conquassationem. Ut adeo Quakerianos fere sermones in hoc scripto legere se arbitrari possit, qui non satis perspecta habet principia sectæ illius Presbyterianorum, qui utique singularem morum sanctitatem & emendatissimam vitæ rationem profitentur.

JOHANNIS a SANDE OPERA OMNIA Juridica continentia decisiones Curiæ Frisicæ, tractatus de actionum cessione & prohibita rerum alienatione, ac commentarium ad Titulum de Regulis Juris; hac ultima editione juxta Autoris autographum aucta & multis in locis emendata: Accessit index locupletissimus, quem adornavit D. Dominicus a Feenstra.

Groningæ 1683, in 4. ex officina Dominici Lens.

INter celebres Frisiæ JCtos, si non primum, parem certe primo locum meruisse Joannem a Sande, scripta ejus, non in Belgio tantum, sed & apud nos jure quodam suo magni semper æstimata demonstrant. Quanta enim autoritate polleant in judiciis nostris, qua superioribus qua inferioribus, decisiones ejus Frisicæ, omnigena videlicet ac solida refertæ jurisprudentia, quis est qui ignoret? Quam plene vero & quam eleganter utilissimas de actionum cessione & prohibita rerum alienatione materias elaboraverit, cum aliorum laudi aliquid detrahere non soleamus, iis judicandum relinquimus, quibus non molestum erit, hos ejus tractatus cum aliorum scriptis, qui idem sibi sumsere scribendi argumentum, conferre. Denique commentationes in titulum de Regulis Juris, præterquam quod se ipsas commendent satis, acutissimus Wissenbachius in præmissa iisdem præfatione digne prædicavit. Quemadmodum vero hæc diversa Sandii scripta diversis temporibus seorsim edita, ac fere singulorum editiones aliquoties re-

petitæ fuerunt, ita qui opera omnia junctim imprimi curaverit neminem scimus, nisi quod anno 1674 Antverpiæ una cum operibus Frederici a Sande a Marcello Parisio in folio fuerint exhibita. Cæterum cum Frederici a Sande opuscula seorsim in quarto venalia prostent, eorumque argumenta a Joannis a Sande operibus non parum distent, (commentatus quippe fuit ille in Gelriæ & Zutphaniæ consuetudines feudales, & consuetudinem Gelriæ de effestucatione seu modo solenni transferendi dominium rerum immobilium) non male, ut arbitramur, is qui præsentem editionem in forma minori paravit, de re literaria fuit meritus, & hac certe de causa commendandus, si vel maxime augmenta ex Autoris autographo, quæ titulus promittit, quæque nos quidem, hanc editionem cum Antverpiensi conferentes, detegere non potuimus, non accesissent.

POLYPUS RENIS, LUGDUNI GALLOrum nuperrime observatus a Jacobo Spon, Med. D.

POlypos veros æque ac nothos, quos *Kerckringius Pseudo-polypos* appellat, in cordis ventriculis, horum ac pulmonum vasis majoribus & duræ matris sinubus frequentius produci, præter autopsiam multifariam & aliorum Scriptorum testimonia nos docet *M. Malpighius*, in tractatulo de *Polypi Natura* quam eruditissime conscripto. Hinc rarioribus phænomenis annumerandi Polypi in uteri vasis a *Graesio* reperti, & ab eodem *de Mulier. Organ. cap. 8.* pro aliqua menstruorum suppressionis causa venditati. Ast extra sanguinis receptacula polypum generari, paradoxum magis videtur, qualem nihilominus pronunciare cogimur illum, quem ex Nobilissimi Viri supra nominati benevola communicatione, tibi, L. H. impræsentiarum exponimus. Ita vero ipsius habent verba:

Initio hujus anni 1684 Lugdunensis mercator locuples & celebris, Dominus Cæsar Saracenus, *incidit in dolorem nephriticum renis sinistri, paucas habentem intermissiones, cum nauseis & vomitibus initio satis frequentibus, febre assidua non tamen vehementi, sed aliquando pulsus aderat intermittens. Urina non erat suppressa, sed tamen solita paucior. Vocatus ad eum existimavi similem esse morbum, quem ante biennium circiter*

circiter paſſus erat, nephritidem nempe ex parvis calculis renalibus quos tunc excreverat. Præcavendæ inflammationi renum & ſedando dolori, per venam juſſi ſecari ex brachio utroque, præſcripſi clyſteres infundi, potiones lenientes ex ol. amygd ſyrup. capill ven. & aqu. parietariæ exhiberi, fotusque tepentis aquæ applicari, unde paucum emolumentum. Dolorem tandem certius mitigabant fotus aquæ frigidæ, ut ex puteo hauriebatur. At ecce nona morbi die, ſubito naturæ ope ſolvitur morbus, profuſione urinæ ſanguineæ, poſt vehementem ſed breviſſimum prægreſſum dolorem; in fundo cujus urinæ reperta eſt ſubſtantia longa & rubra, quam pro lumbrico ſtatim habebamus; at exactius conſideratam ſine fibris circularibus, quibus vermes conſtant, eam eſſe animadvertimus, planeque ſimilem Polypis cordis. Ideoque eam Polypum renis nominare non dubito, cujus pars craſſior, longitudine & craſſitie digiti circiter minoris latitudinem æquans, ni fallor in renis pelvi hærebat, reliqua propendebat in uretere usque ad veſicæ ingreſſum. Erat enim pedalis circiter magnitudinis. Sequentes urinæ copioſæ fuerunt & naturalibus ſimiles. Altera die parvum calculum piſi majoris mole ſine dolore excrevit. Inde nunc ſanus omnino vivit.

RELAZIONE DEL RITROVAMENTO DELL' uova di Chiocciole di A. F. M. in una lettera al Sig. Marcello Malpighi.

hoc eſt:

Relatio de inventione ovorum limacum autore A. F. M. in epiſtola ad Dn. Marcellum Malpighium.

Bononiæ, 1683, in 4.

POſtquam ejecta e Phyſicorum ſcholis ſententia de rebus ſponte ac ſine ſemine naſcentibus, illa opinio invaluit, quod quicquid in hoc orbe ſentire, imo quicquid vivere videmus, ex ovo emerſerit, enixe allaborarunt quamplurimi ingenio & induſtria præſtantes viri, ut ipſa quoque inſecta, quorum magna pars ad unum illud principium generationis univocæ vix referri poſſe videbantur, ex ovo originem ducere demonſtrarent. Eminet inter omnes *Franciſcus Redi*, qui tanto operi manum feliciſſime adhibuit, & plurimorum inſectorum, maxime eorum, quæ domeſtica & familiaria nobis ſunt, accu-

ratam descriptionem orbi literario dedit. Sed ostreas & quæcunq; alia testacea, quæ Aristoteles in limo vel cœnoso vel arenoso nasci statuit, ex ovis prodire, primum in Anglia observatum, variisque postmodum scriptis deductum fuit. Quum autem non ita pridem Jesuita quidam Italus *Philippus Bonanni* in libro Romæ edito, cui titulum fecit: *Ricreazione dell' occhio e della mente nell' osservazione delle Chiocciole*, veterem Peripateticorum opinionem resuscitasset, limacibusque putredinem ac cœnum seminis loco esse contendisset, operæ pretium se facturum præsentis epistolæ autor *Antonius Felix* Abbas Marsilius credidit, si, qui fortuitu in horto suburbano laboranti obvenerat acervus limacum ex ovis prodeuntium, de eo ad celeberrimum Malpighium scriberet, ac recenter impugnatam modernorum sententiam novo testimonio ab experientia petito confirmaret. In hac Commentatiuncula primo prolixius historiam de falsitate generationis æquivocæ detecta, deque studiis Francisci Redi, Willisii, & Listeri, pertexit; postea inventionem ovorum, quæ 10 die mensis Julii superioris anni contigerat, exponit, ac quæ ipse observarat, cum aliorum annotatis confert; addito insuper schemate, quo ovorum figuræ, pullorumq; varia incrementa exhibentur. Ultimo Jesuitæ illius Itali quatuor argumenta paucissimis refellit, quibus ille Aristotelicam traditionem de testaceis sponte natis confirmat. Neq; vero ipsa tanti sunt momenti, ut prolixiori refutatione indigeant, cum omnia vel ab autoritate Magistri, vel a falsis quibusdam præsuppositis ducantur.

Atque hæc jam scripseramus, cum ad manus nostras pervenit Latina relationis istius Italicæ versio, adornata a clarissimo *Johanne Jacobo Hardero*, Medico Basileensi, quæ lucem hoc ipso anno Augustæ Vindelicorum aspexit. Ei memoratus Vir doctissimus epistolam ad Abbatem *Marsilium* de ovis & genitalibus cochlearum perscriptam, cujus Reverendissimus Abbas in hoc opusculo meminit, adjecit, & insuper literas aliquot, in quibus *Harderus*, & *Scrockius* Medicus Augustanus clarissimus de insectorum generatione univoca ex ovo invicem non inerudite disputarunt.

HISTO-

Digitized by Google

HISTOIRE DE CHARLES IX PAR LE SIEUR VARILLAS. Nouvelle edition.

ſive

Dn. de Varillas Hiſtoria Caroli IX Galliar. Regis.

Editio nova,

Cui in fine Tomi cujusque acceſſerunt inſignia quædam loca in editione Pariſienſi omiſſa.

Coloniæ 1684, in 12.

QUam laudem ſibi tribuit vel ominatus eſt Ludovicus Maimburgius in hiſtoria Ligæ, a nobis menſe Martio hujus anni p. 100. relata; *non exiguæ induſtriæ eſſe* ſcribens, *ex veteribus autoribus novum quoddam opus concinnare, & inventionis, diſpoſitionis & elocutionis artes oſtendere:* eam, ſi quis alius, aſſecutus eſſe videtur autor hujus hiſtoriæ Varillaſius. Incipit eam a menſe Decembri a. 1560, poſt mortem nempe Franciſci II Galliæ Regis, & ad Caroli IX obitum, id eſt ad menſem Majum a. 1574 pertexit. Loco præfationis utiliſſimam operam impendit, dum Acta memorialia & Relationes præſertim manuſcriptas recenſet, ex quibus hiſtoriam hanc compoſuiſſe ſe ſcribit, addito etiam judicio de autoribus, in quo nec acumen nec modeſtia merito deſiderari poteſt. Agit autem, breviter quidem, de ingenio & ſtylo *Eliſabethæ* Angliæ, & *Catharinæ* Galliæ Reginarum; item Cardinalium *Bellaii, Turnonii, Lotharingi, Borromæi, Eſtenſis, Alexandrini, Caſtilionæi;* nec non Epiſcoporum *Johannis Montlucii* Valentini, *Franciſci Noallii* Aquenſis, *Morvillerii* Aurelianenſis; porro Abbatis *Delbenii, Hoſpitalii* Cancellarii, *Caroli* & *Timoleontis Briſſacorum, Trajani Caraccioli* Melphitani Principis, *Jacobi Sabaudi* Nemoroſii Ducis, *Ludovici Gonzagæ* Nivernii, *Franciſci Vindocini* Carnutenſis, *Bironii, Gondii* ſive *Retii, Caroli* & *Renati Biragiorum, Caſparis Colinii* Admiralii, ejusque filiæ *Annæ Telignia*, denique *Jacobi Spiſamæ*. Profitetur Varillaſius, ut apparet, religionem Romano-Catholicam, & ex hujus præſcripto pro hæreticis habet Proteſtantes Gallos; ſed præter hoc præjudicium vix habituri ſunt iſti, in quo fidem aut modeſtiam ſcriptoris deſiderent. Nec eſt forte, qui *Jac. Auguſti Thuani* moderationem & veritatis ſtudium, addimus etiam politicum

de consiliis & eventibus judicium, felicius & accuratius fuerit imitatus. Patebit id iis, qui comparare velint cum hoc alios ejusdem historiæ scriptores, præcipue *Maimburgium* in Historia Calvinismi, a nobis mense Martio superioris anni pag. Actorum 89 sqq. recensita. Specimen unum alterumve dabimus. In narratione actorum colloquii Posſiaceni Varillaſius in omnibus fere sequitur Thuanum, & cum ad Manuscripta provocet, marginique adscribat, unde hauserit quæ refert, non parum stabilire videtur, quæ Thuanus tradidit. At ab utroque in multis discrepat Maimburgius. Hic v. g. causam permissi colloquii Colinio potissimum attribuit, qui Reginam, regni gubernationem tunc tenentem, eo induxerit; at Thuanus (Lib. hist. XXVIII) Cardinali Lotharingo: *Hunc enim unum*, ait, *ostentandi ingenii & popularis auræ captandæ ad vanitatem usque cupidum, tenuisse annitente regina, ut colloquium haberetur, cum se Patrum testimoniis sectarios confutaturum palam jactaret, & suorum animos magnificis pollicitationibus impleret, adeoque triumphum jam spe concepisset.* Pluribus hoc adstruit Varillaſius, & legi omnino merentur, quæ de studiis Theologiæ Scholasticæ, qua imbutus erat Lotharingus aliique ex R. Catholicis, & de Protestantium eruditione judicat, lib. 1. p. 55, 56. Sed Maimburgius Lib. III. Hist. Calv. censet, malignas conjecturas secutos esse, qui isthæc scripserint, Thuanum non obscure taxans. Omisit idem, incertum quo fine, quæ de sermone privato inter Cardinalem & Bezam, & de accitis istius opera ad conventum Posſiacenum theologis Palatinis & Würtenbergensibus, tum de Augustana Confessione, quam Lotharingus subscribendam Bezæ & sociis proponebat, cum Thuano consentiens refert Varillaſius. In numero etiam Prælatorum non leviter discrepat Maimburgius, præter sex Cardinales viginti circiter adfuisse scribens; sed triginta sex memorat Varillaſius, nec dissentit Thuanus quadraginta circiter referens. Maimburgius *Jacobi Lainii* Jesuitarum Generalis orationem, (quam arrogantiæ & immodestiæ arguit Thuanus) mire probat, eaque permotam Reginam esse dicit, ut publici Consessus celebritatem, Regisque & procerum præsentiam colloquio isti adimeret. Sed datum id esse Prælatorum honori, & Johann. Montlucii consiliis, antequam Lainius aut alii Theologi disceptationes suas ordirentur, Varillaſius & Thuanus tradunt. Maxima altercatio inter colloquentes erat,

Digitized by

erat, *de præsentia corporis Christi in S. cœna*, & ob hunc articulum abruptus est congressus. Conceperant formulam Reformati hoc modo: *Et quoniam fides verbo Dei innixa, res perceptas facit præsentes, ac per istam fidem recipimus re & facto ipso verum ac naturale corpus & sanguinem Christi, virtute Spiritus Sancti, hac ratione fatemur & agnoscimus corporis & sanguinis ipsius in cœna præsentiam.* Huic aliam formulam Catholicorum nomine conceptam opposuit vir doctus & pacis Ecclesiasticæ, ut Thuanus scribit, studiosus *Claudius Espencæus*, his verbis: *Et quoniam verbum & promissio Dei, cui fides nostra innititur, res promissas facit præsentes, ac virtute & efficacia verbi recipimus re & facto ipso verum ac naturale corpus & sanguinem Christi, hac ratione fatemur & agnoscimus corporis & sanguinis ipsius in Cœna præsentiam.* Ista cum Thuano conformia refert Varillasius: sed Maimburgius moderatam hanc Espencæi formulam præterit, & aliam a Sorbonicis Theologis compositam, & ad Regem missam refert, hoc tenore: *Credimus & confitemur, quod in Sacramento Altaris verum sit corpus, & verus sanguis Jesu Christi, realiter & transsubstantialiter, sub speciebus panis & vini, virtute & potentia divini verbi a sacerdote, solo ministro ad id ordinato, pronunciati, secundum institutionem Domini nostri Jesu Christi.* Eadem reperitur apud Albigneum temporum illorum Historicum ex Protestantibus, sed nihil de hac commemorant Thuanus & Varillasius, quamvis etiam illam quam Espencæus composuerat, rejectam a Protestantibus esse asseverent, sententiam suam sequenti stylo vel emollientibus, vel explicantibus: *Etsi nulla locorum distantia impediri possit, quo minus corpori & sanguini Christi communicemus, quippe cum cœna Domini res Ecclesiæ sit, & quamvis in terra accipiamus panem & vinum, vera corporis & sanguinis signa, tamen fide & Spiritus S. efficacia mentes nostras quæ hoc cibo pascuntur, in cœlum raptas corpore & sanguine præsenti frui, & hac ratione dici, corpus vere pani conjungi, & sanguinem vino sed Sacramenti modo, hoc est, minime secundum locum & positum naturalem, sed quatenus efficaciter significant, Deum illa exhibere fideliter participantibus, illosque vere per fidem ea percipere.* His a Thuano latine relatis exacte conveniunt verba Gallica a Varillasio lib. 2. inserta; ex quibus status controversiæ & tentatæ concordiæ, qui tunc fuit, non paulo aliter, quam a Maimburgio proponuntur. De rebellionis vero crimine, quod hic confidenter

Re-

Reformatis imputat, eumque præcipuum ſcribendæ hiſtoriæ ſuæ ſcopum habuit, caute loquitur Varillaſius, ita ut etiam in præfatione Calvinum a conſcientia conjurationis Amboiſianæ abſolvat; & paſſim inter Calvinianos ſimplices, ſive bonæ fidei, & factioſos diſtinguit, nec omnia quæ illi ad obtinendam libertatem religionis per edicta & promiſſa regia indultam geſſerunt, rebellionis ſimpliciter damnat: imo quod per quadraginta annos Gallia bello civili conflictata eſt, præcipuam cauſam Triumvirali factioni *Guiſii, Montmorantii, & Sant-Andreani* adſcribit. In Hoſpitalium Cancellarium nulla non occaſione invehitur Maimburgius; ſed meliora de eo paſſim habent Thuanus & Varillaſius. Notabilis tamen eſt hujus obſervatio lib. 6. ubi Hoſpitalio ea tribuit, quæ ſummam contra Reformatos malignitatem ſpirant, & præludia quædam præſentis temporis præbent. Ejus enim prudentia admirabili factum eſſe refert, quod Reformati, pace licet anno 1564 impetrata, & tam potentes, ut directe opprimi nequiverint, per declarationes edicti pacificatorii a Cancellario procuratas indirecte ad incitas pæne fuiſſent redacti. Mandatis enim regiis cautum tunc eſſe d. 6 Aug. dicti anni, *ne nobiles ad conciones ſibi permiſſas alios quam ſubditos ſuos admitterent; ne ſynodi paſtorum amplius haberentur; ne tributa colligerentur; ut matrimonia a religioſis, qui monaſteria deſeruerant, contracta invalida eſſent, utque deſertores illi in clauſtra ſua revocarentur.* Sic enim plurimis ex Reformatis periiſſe commoditatem conciones frequentandi, zelumque religionis frigefactum, & ſublata media fuiſſe ærarii communis & ad alendos paſtores: ademtam, prohibitis ſynodis, facultatem abuſus gliſcentes corrigendi; ſupplicio etiam deterritos apoſtatas. Hæc ſi intendit tunc Hoſpitalius, ſatis apparet, quam nullo fundamento illi imputetur, quod religioni reformatæ clanculum addictus fuerit, quanquam uxorem, generum & nepotes haberet, eam profitentes.

Quod attinet loca, editioni huic ex manuſcripto codice inſerta, quæ in Pariſienſi (Pariſiis enim primum anno 1683 opus hoc prodiit) expuncta fuiſſe in titulo libri indicatur, ſunt illa non levis momenti, ut legentibus patebit, & ex ſubjuncto uno alteroque exemplo judicare licebit. Referuntur v. g. *Tom. I. p. 10* contenta orationis, quam Nobilitatis nomine in conventu ordinum regni A. 1560 *Rupifortius* habuit, notaturque abſtinuiſſe eum erga Regem titulo Majeſtatis,

quia

Digitized by Google

quia non approbaret hunc honorem, Regibus seculis posterioribus, eadem ratione ac Imperatoribus Romanis olim, exhibitum. Sed horum loco ex M.S. sequentia substituuntur: *Rupifortius titulo Majestatis in compellando Rege nunquam usus, innuebat, inventum illum ab adulatoribus esse, sequioribus seculis, ut mentem Regum, cum quibus ipsi solidam potentiam partiebantur, fumo implerent. Neque enim reperiri, quod summi Gallorum Monarchæ, etiam Imperatoria dignitate ornati, & maximæ orbis Christiani parti dominantes, hoc titulo usi fuerint.*

P. 106. ejecta sunt ex scripto Protestantium Germaniæ, hæc verba: *Curia Romana reformet pompam, luxum, avaritiam, simoniam, ambitionem & turpitudines suas; Concilium Tridentinum non est convocatum, neque continuatur, ut doctrina Christi stabiliatur, aut abusus corrigantur, sed ut foveantur intentiones spiritus mere humani, doctrinæ illi contrariæ. &c.*

P. 390. ex *Ferrerii* Legati Gallici replica, Tridenti adversus Hispanos exhibita, omissa sunt notatu digna, quæ is adversus Pontificem dixerat.

Tom. II. p. 20. itidem omissæ sunt gravissimæ inculpationes a Pasquierio contra Jesuitas in Parlamento Parisiensi, A. 1565 pronunciatæ.

Sed hæc, uti diximus, speciminis loco sufficiant.

AN ACCOUNT OF THE GOVERNMENT OF the Christian Church for the first six hundred years. By Samuel Parcker D. Arch. Deacon of Canterbury.

hoc est:

Relatio de Regimine Christianæ Ecclesiæ seculis sex prioribus. Autore Samuele Parkero Theol. D. & Archidiacono Cantuariensi.

Londini 1683, in 8.

Anglicana Ecclesia, ex quo Papæ Romani legibus potestatique se subtraxit, quamvis aliorum Reformatorum exemplo plurimos errores deposuerit, pristinam tamen administrationis formam semper conservat, & in hunc usque diem ab Episcopis gubernatur, qui cum illa autoritate, qua reliquo clero præsunt, amplissimæ dignitatis

Digitized by Google

civilis gradum obtinent. Cui instituto se validissime opponunt Calvinianorum illi, qui in Anglia Presbyterianorum nomen gerentes, negant, ullam inter ministros Verbi inæqualitatem esse debere; unde habent Episcopi, quique ab ipsorum partibus sunt, domesticos hostes, cum quibus fere quotidie depugnent. Recentius igitur non minori contentione, quam antehac, quum Hallus, Bilsonus, Carletonus viverent, agitata fuit controversia, an Episcopi distincto a Presbyteris ordine contineantur, & an Apostolorum tempore & proximis inde seculis Metropolitanorum autoritas viguerit? Venit etiam in quæstionem, an Episcopi in Parliamento sedendi jus habeant, & utrum salva conscientia causarum civilium ac inprimis capitalium dijudicationi interesse possint? Novissime se adversariis objecit Samuel Parkerus, vir acutissimus, & e pluribus scriptis notus, cui visum fuit, recentiores non directo aggredi, sed illa hominum doctorum scripta refutanda sumere, quibus ipsi tanquam propugnaculis contra quosvis impetus utuntur. Walonem videlicet Messalinum, scriptorem notissimum, Blondellum, & Dallæum invadit, de quibus Triumviris ita sentit, ut Blondellum reliquis anteferat, sed cujus rationes sæpenumero ita sint jejunæ, ut examinari vix mereantur. Walonem adeo confuse ac sine methodo scripsisse affirmat, ut pauci sint, qui ipsum legere ac sequi velint: Dallæum vero testatur vix attulisse quicquam, quod a Salmasio, quem sub Walonis nomine latere neminem fugit, & Blondello dictum non sit. Itaque Blondellum potissimum aggreditur, ejusque argumenta enervare satagit. Tria autem in toto hoc opusculo, ut ipse titulus docet, ostendit, quorum primum ac principale est Apostolica praxis Episcopatus Diœcesani & Metropolitici. Hanc ipse probat, & contra adversarios modo nominatos defendit sectionibus quindecim, quas orditur ab Episcopatu Hierosolymitano Jacobi Apostoli, negato a Walone Messalino, qui *absurdum esse* scripserat, *illud Clementis Alexandrini commentum, qui Jacobum Apostolum, ac proinde universalem Episcopum, in specialem & localem transmutare, & sic in ordinem cogere cogitaverit.* Cui respondet Parkerus, Apostolos olim nihil aliud fuisse, quam Episcopos moventes, qui Ecclesiis fundandis operam dederint; Episcopos vero fuisse Apostolos fixos, qui ecclesias a se fundatas rexerint. Postmodum argumenta, quæ a duarum vocum, *Episcopi ac Presbyteri*, promiscuo in sacris usu, æqualitatem ministrorum in primiti-

mitiva Ecclesia deducunt, solvit. Cumque e priscis patribus Hieronymus sæpissime, & a Calvinianis & a nostratibus allegetur, dum probant, Episcopos non esse Presbyteris jure divino superiores; prolixius demonstrare conatur Parkerus, quo sensu Hieronymus Presbyteros Episcopis exæquarit, quidque ipsum impulerit, ut ita faceret. Succreverat nimirum Diaconorum potentia & autoritas eo in Ecclesia, ut Presbyteris superiores & proximi esse ab Episcopis vellent, nec iis se legibus subjicere, quibus ministrare Pastoribus jubebantur. Quod ubi ad Hieronymum pervenit, acriter is Diaconos objurgavit, atque ostensurus, quibus partibus Diaconorum officium circumscribatur, & quantum ipsi a Presbyteris differant, divisionem illam antiquam in tres Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordines, in dichotomiam commutavit, ita ut Diaconos ordini ministeriali includeret, Episcopos vero ac Presbyteros junctim autoritativo complecteretur. Hoc sensu affirmat Parkerus Hieronymum Presbyteros Episcopis exæquasse, eundem tamen postea ordinem autoritativum nova partitione distribuisse, & satis manifeste Episcopos a Presbyteris sejunxisse. Deinde quid ab Apostolorum excessu in ecclesia factum sit inquirit, ea Patrum testimonia, quæ pro se faciunt, pro virili confirmans, ac enervans illa, quæ alteri parti favere videntur. His peractis specialius administrationis Ecclesiasticæ modum, qualis tempore Apostolorum & prioribus a Christo nato seculis fuerit, declarat, ac duo ex antiquitatis consensu contra Presbyterianos evincit. Unum, in primitiva Ecclesia non fuisse unquam peractam ministrorum ordinationem, nisi ab Episcopo, quamvis peragi potuisse non neget. Alterum Chorepiscopos, quorum primam institutionem contra Blondellum & Walonem in quartum demum seculum rejiciendam esse probat, veros Episcopos fuisse, vicarios illorum, qui civitatibus præerant, & habuisse intrinsecam ministros ordinandi potestatem, sed canonicis quibusdam constitutionibus restrictam. Cæterum cum Parkerus intelligeret, Presbyterianos in disputationibus cum Episcopis illuc plerumque eniti, ut adversarios suos de Papismo suspectos reddant, & odio populari exponant; ipse versa vice Presbyterianos ostendit cum Papistis in eo conspirare, quod per Presbyteros fieri ordinationem posse existiment, & postquam Apostolicam praxin Episcopatuum per seculorum ternarium evolvit, secundo loco Patriarchatum sola usurpatione Episcopo-

ſcoporum potentiorum in Eccleſia invaluiſſe, contra Romanenſes deducit. Equidem non dubitat ipſe, quin potuerint Patriarchæ creſcente indies credentium cœtu ab Eccleſia recte inſtitui, quemadmodum civile regimen magiſtratum magiſtratui, vicarios præfecto ſubordinat. Negat tamen ullo Concilii canone introductam fuiſſe Patriarcharum autoritatem, vel ordinatum, ut ipſi Metropolitanis præeſſent. Atque eo nomine Hieronymum, Innocentium primum, & Johannem Scholaſticum refellit, quod Patriarcharum originem ad Concilium Nicænum retulerint. Eodem Innocentio ex arcanis quibusdam conſiliis ſuggerente, titulos ac jura Patriarchalia in Eccleſia orientali primum fuiſſe uſurpata docet, poſtea aliis ſuccedentibus aucta, donec a Concilio Chalcedonenſi confirmarentur. Ita tandem Parkerus ad ultimum tractatus ſui caput defertur, quo bella inter Orientis atq; Occidentis Epiſcopos, ducentos annos pro univerſali autoritate geſta perſequitur. Eorum originem in urbis Conſtantinopolitanæ illuſtria incrementa ac decora, quibus ipſa Romam aliquot Imperatorum munificentia ſuperabat, rejicit, ac e veteris hiſtoriæ monumentis declarat, quibus gradibus ad ſummam in Eccleſia poteſtatem utraque pars adſcendere tentaverit. A nudis enim honorum titulis, ac dignitatum innocuo, ut videbatur, ſplendore auſpicati, jurisdictionem in reliquos Epiſcopos paulatim invaſerunt, plerumque tamen ancipiti ſucceſſu, & æquo velut Marte, donec Bonifacius III titulo ac jure Epiſcopi Oecumenici, quæ Cyriacus ejusque anteceſſor Johannes, Conſtantinopolitani antiſtites, a Mauritio, fruſtra contradicente Gregorio Magno, obtinuerant, ab Imperatore Phoca honoraretur. Ultimo dum ad ſummam Parkerus, quæ dixerat, reducit, Cardinali Baronio, qui Phocam Romano Epiſcopo titulum decreviſſe & adjudicaſſe, non contuliſſe primum contendit, reſpondet, ac ſpem orbi literario facit, fore, ut pluribus amore ſolius veritatis, quem ubique Vir Clariſſimus profitetur, hoc argumentum inpoſterum evolvat.

BIBLIOTHECA ANTI-TRINITARIORUM. OPUS poſthumum Chriſtophori Sandii, quod cum aliis quibusdam ſcriptis, compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Unitariorum, qui Sociniani vulgo audiunt, exhibet.

Freiſtadii, 1684, in 8.

Etſi

ETsi Christianis optandum esset, æternum latuisse Pauli Samosateni, Arii, Macedonii, Photini, & Pelagii Scoti impia dogmata, quibus SS. Trinitatis mysterium, gloriam Christi, hoc est, divinam ejus naturam, ac summa nobis acquisita beneficia aut impugnarunt aut abnegarunt: tamen cum superiori seculo, Lælius & Faustus Socini doctrinam eorum diu damnatam resuscitare, ac longe lateque propagare clam palamve moliti sint; ad historiam nostrorum temporum pertinet, istius furfuris scriptores, horum vitas, libros ac molimina non ignorare. Ea vero præter Theologos, qui Socinianorum hæresin ex instituto confutarunt, in hac bibliotheca *Christoph. Sandius* Arianus ante hos tres annos fato functus colligere voluit. Quæ ejus collectanea editor hujus bibliothecæ eadem hæresi imbutus vulgavit, & insertis septuaginta scriptoribus a Sandio prætermissis auxit, atque horum vitas, multorumq; insuper librorum Socinianorum titulos, præsertim vero Msctorum, ex Germanicis Latine factos addidit. Nam omnes scriptores & eorum opera tum edita tum inedita, inde a seculi præterlapsi primordiis ad hanc nostram ætatem, observata temporis serie, recensentur, præmisso indice alphabetico nominum propriorum, quorum in bibliotheca mentio extat.

Huic subjunguntur *Joannis Stoinii* cœtus Racoviensis pastoris *Epitome historiæ originis Unitariorum* in Polonia: *Georgii Schomanni Ratiboriensis Testamentum ultimæ voluntatis*, continuans vitæ ipsius transactæ historiam: Relatio de *typographiis Unitariorum in Polonia & Lithuania*, nec non *de Johannis Tyscovicii Martyrio*, ut editor vocat, propter blasphemias scilicet rogo impositi: *Andreæ Wissowatii Narratio compendiosa*, quomodo in Polonia a Trinitariis Reformatis separati sint Christiani Unitarii, una cum Appendice *historiam* de *Spiritu Belga exhibente*: & tandem *Vindiciæ pro Unitariorum in Polonia religionis libertate*, ab equite Polono conscriptæ, quæ librum finiunt præsentem.

GABRIELIS CLAUDERI D. MEDICI DUCALIS Saxonici, Academici Curiosi, Inventum Cinnabarinum, h. e. Dissertatio de Cinnabari Nativa Hungarica, longa circulatione in majorem efficaciam fixata & exaltata. Ad normam Acad. Nat. Curiosor.

Jenæ, Sumptibus Joh. Bielkii, 1684, in 4.

 Publi-

PUblico & curiosis rerum physicarum scrutatoribus denuo litaturus *Vir* hic *Nobilissimus*, postquam medicamenta mineralia, & in specie Mercurialia contra misochymicos defendit, eorumque posteriorum nonnulla rite præparata, eorumque effectus mirabiles tam in Chymia, quam Alchymia indigitavit: illorum noxam a minus recta eorum confectione seu insufficiente fixatione derivat. Hinc medicamina mere Mercurialia quamvis abhorreat, præprimis in corporibus nostris, a labe scorbutica vix immunibus; tutiora nihilominus & mitiora tamen ipsi videntur Cinnabarina, de essentia & qualitate Mercurii participantia: Cinnabaris autem Antimonii ac Nativæ vires dum deprædicat, hanc illi anteponit. Ast quoniam sylvestreitas Mercurio solennis, in Cinnabari hac aliquantum equidem, nondum tamen plenarie, extincta esset, per longiorem fixationem & digestionem illam absorptum iri, sibi promittebat, non per separationem partium, sed arctius earum connubium, minerale hoc ad meliorem frugem reduci, diversorum Scriptorum testimoniis, sibique & aliis pyrotechnis perspecta magna digestionis vi confirmatus. Modum ergo, quo in circulanda hactenus Cinnabari Hungarica usus, prolixius exponit Noster, qui in accuratiore potissimum ignis lampadis moderamine & annua fere applicatione consistit. Quo facto fixati hujus medicamenti dosin atque utendi modum, cum ejusdem virtutibus singularibus in morbis gravioribus, imo ipsa pestis virulentia, recenset, subnectendo quædam de illarum ætiologia, sc. quod easdem per idealem illuminationem seu irradiationem, ut Helmontius loquitur, minerale hoc exaltatum exerat.

LA NOUVELLE DECOUVERTE & LES admirables Effets des Fermens dans le Corps humain &c, par le Sieur Jean Pascal, Docteur en Medecine.

id est,

Nova Explicatio & mirandi Fermentationis in Corpore Humano effectus &c. auctore Joh. Pascalio, Doctore Medico.

Parisiis, apud Edm. Couterot, 1681, in 12.

Quem-

QUemadmodum Fermentatio instrumentum illud catholicum est, quo natura in operationibus suis quam frequentissime utitur, & cujus formalitate sufficienter cognita infinitorum phænomenorum, in historia æque naturali ac microcosmo morboso occurrentium, ætiologia quam commodissime explicari valeat: sic non minus Philosopho ac Medico doctrinam de Fermentationis natura & causis necessariam esse, vix ullus, nisi quem fermentum dementiæ exagitat, in dubium vocabit. Hæcque causa, cur intra paucos hujus seculi annos tot Viri egregii Zymologiam tanto conatu evolvere, scriptisque adeo variis declarare allaborarint, v.g. idiomate Germano *Ziglerus*, Latino *Billichbius*, *Schoockius*, & *Willisius*, Anglico vero *Simpson* & *Henshavv*: quibus ingenii haud obtusioris æstimari voluit *Gallus* iste *Doctor*, vernacula lingua, sub epistolarum schemate, de Fermentatione, (quam veteribus haud ignotam credit,) quatenus præprimis œconomiam animalem in corpore humano moderatur, prolixe satis disserens. Primo equidem illius directorium universale potentiamque in totum macrocosmum immensam innuit, productionem ac perfectionem mineralium, generationem, nutritionem & vitalitatem animalium ipsi in acceptis referens; imo meteororum productricem eam pronuncians: in homine tamen dum illius vim majorem observat, phænomenis etiam hujus vitalibus mentem magis applicat. Postquam itaque, in quo essentia Fermentationis consistat, ejusque requisita explicuit, fermentum duplex, sc. acidum seu activum, alcalicum seu passivum magis, supposuit, id est, acidum pariter atque alcali omnium effervescentiarum & fermentationum causas socias existere, diversis argumentis probavit: Peripateticorum elementa ac Chymicorum principia recenset, utramque vero hypothesin taxat, & spiritum, sulphur, atque sal pro veris & adæquatis rerum principiis venditat, eorum existentiam & energiam in macrocosmo ac microcosmo evincendo. Quorum occasione de dissolutione, præcipitatione, ac coagulatione, hinc de menstruorum natura, discurrit, illarumq; in Chymicis æq; ac corpore animali effectus varios in scenam producit, fermentationi vitali sanguinis confectionem, circulationem, ejus a putredine præservationem, spirituum animalium præparationem, caloris influxum & corporis nutritionem, ut autori primario, attribuens. Essentiam fermentorum in corpore humano dum

dum evolvere sollicitus est, hæc, quamdiu sub mobilitate & activitate propria existant, volatilia, dum vero alcalicæ partium solidarum substantiæ connubant, fixa pronunciat: quorum posteriora prioribus simili ratione, ac alcalia acidis, stimulo existant, si forsan in motu suo, adeo necessario, turbarentur. Humidum proin radicale & calidum innatum veterum nihil aliud, quam fermenta acida & alcalica, in partibus fixata hisque infixa, suspicatur: calorem autem influum omnem a sanguine emanare, i. e. a particulis hujus sulphureis, inter fermentescendum volatilisatis, concitari. Volatilia fermenta acida existere, blandissima tamen, postquam comprobavit, recedit ab illis, qui eorum scaturiginem in ventriculo, liene, pancreate, corde &c. constituerunt, a cerebro & genere nervoso potius illorum influxum, adeo perpetuum, nec nisi cum vita cessantem, derivando: ita ut fermenta hæc, quæ alias spiritus animales vocant, nihil aliud, quam pars sanguinis, non sulphurea, non salina, sed acidior, per triplex potissimum experimentum ipsi videantur. Horum interim secretionem atque perfectionem dum exponit, *Willisii* accensionem sanguinis & succum Anglorum nervosum impugnat, fermenta cordis, ventriculi, lienis ac pancreatis acida destruit, tandemque usum fermenti vitalis declaraturus speciatim & per potissimas, sc. generationis, conceptionis, chylificationis &c. functiones animales, illum demonstrat.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SECULI A NATO Christo sexti decimi supplementum, celeberrimorum ex illo ævo Theologorum epistolis ad Joannem, Erasmum, & Philippum Marbachios constans, divisum in octo libros, una cum Apparatu ad totum opus necessario, & tabulis chronologico-historicis, editum a JO. FECHTIO S.S. Theol. Licentiato, Seren. Marchionis Badensis Consiliario ecclesiastico, Concionatore aulico, Illustris Gymnasii Durlacensis Inspectore & Theologiæ Prof. Ordinario.

Durlaci, 1684, in 4.

NOn dubium est, quin eruditum orbem insigni sibi obstrinxerit beneficio clarissimus Editor, dum hunc epistolarum ad Marbachios the-

thesaurum, hæreditario tandem jure ad se delatum, non diutius luctari cum tenebris passus est, sed publicæ luci exposuit. Equidem corpora epistolarum pleraque, ac tantum non omnia, sic prodire solent, ut singula complectantur unius cujusdam viri celebris ad numerosam amicorum cohortem epistolas: quales e priscis habemus Ciceronis, Plinii, Symmachi, Sidonii Apollinaris; e recentioribus Bembi, Sadoleti, Erasmi, Manutii, Mureti, aliorum. Rara vero admodum seges earum est epistolarum, quæ junctim editæ conspiciantur plurium ad unum aut paucos: quales hæ sunt ad tres *Marbachios*, *Joannem* patrem, & *Erasmum* ac *Philippum* filios; qui omnes in Argentinensi academia functi sunt, diversis quidem temporibus, professione theologica. Itaque vel raritas hæc eas commendare Lectori potest. Verum longe majorem illis venerationem conciliat cum auctorum splendore conjuncta rerum sublimitas. Effluxerunt enim e calamis præstantissimorum sæculi superioris, quadantenus & nostri, (nam ad annum usque M DC XII illæ extenduntur) Theologorum: Philippi puta Melanchthonis, Davidis Chytræi, Joannis Brentii, Martini Chemnitii, Jacobi Andreæ, Lucæ Osiandri, Balthasaris Menzeri, Leonhardi Hutteri, Helvici Garthii, ut alios taceamus. Cumque refertæ sint memorabilium neque passim obviarum, imo alicubi & reconditarum rerum expositionibus: quis neget fore, ut earum perlustrandarum desiderio accendatur, quisquis talium curiosus est?

Neque adeo sine causa placuit Editori titulum ipsis asserere *Supplementi historiæ ecclesiasticæ*; nimirum quia, quod ipse in dedicatoria profitetur, edidit illas eum in finem, *ut cognoscendis superioris ævi rebus in ecclesia gestis, & dijudicandis iis quæ ab inquietæ mentis sectariis tum passim movebantur, fidei controversiis inservirent.* Sane vero Ecclesiasticæ historiæ scribendæ haud parum commodare etiam epistolas, docebunt Annalium Evangelii renovati Decades duæ, quas ab anno M D XVI usque ad M D XXXVI progressas elucubravit Abrahamus Scultetus: nam in his ille (Calvino quidem quam Luthero addictior) passim utitur excerptis epistolarum, imo alicubi & integras apponit. Quapropter &, si cui libeat alias parturire Annalium ecclesiasticorum decades, ei certe hic epistolicus optimorum Doctorum thesaurus, annorum circiter *septuaginta* literarium complexus commercium, idq; ab anno sæculi superioris quasi quadragesimo inchoa-

tum, adjumenti plurimum suppeditabit; præsertim cum juxta seriem *septem* decenniorum totidem in partes digestæ compareant hæ ad Marbachios epistolæ. Ad Marbachios inquam. Pars enim *octava* & ultima nullam habet ad quempiam Marbachiorum, (si octogesimam septimam seu penultimam, quæ p. 907 inchoatur, excipias) plerasque ad Erasmum Roterodamum, non paucas ad Laurentium Tuppium, reliquas ad alios quosdam. Neque juxta seriem temporum ordinatæ ibi hæ conspiciuntur epistolæ. Quod quidem vel eam ob causam excusatum habebit æquus Lector, quod alias quicquid ibi reperitur epistolarum ad Erasmum Roterodamum, quem constat anno 1536 obiisse, fuisset anteponendum Marbachianis, quarum prima (Lutheri de Doctoratu Joannis Marbachii testimonialis) est anni 1543. Interim certe prædicandum est doctissimi Editoris studium, qui nihil e superiore seculo ad se propagatæ supellectilis epistolicæ delitescere diutius intra privatos parietes voluit. Omnes autem illas octavæ partis epistolas, a Melch. Sebizio e supellectile librorum Matthiæ Bernegger fuisse ei communicatas, ex autographis manu *Roberti Robertini* descriptas, disces e pag. 907 & Apparatus cap. 4 p. 164.

Ut redeamus ad eas, quæ partium septem præcedentium terminis circumscriptæ Marbachiis missæ sunt, suppleri ex illis poterunt non modo scrinia (ut sic loquamur) Historiæ Ecclesiasticæ, sed etiam celebrium Theologorum tum vitæ, tum jam antehac editæ seorsim epistolæ. Planum utrumque faciemus uno alterove exemplo. Tilemanni Heshusii vitam concisam admodum & mancam ad nos transmisit Melchior Adamus *Vit. Germ. Theolog. p. 621 seq.* multo locupletiorem, eamque carmine heroico exaratam, & Heshusii commentariis in Esaiam adjectam gener ejus D. Jo. Olearius: ubi & quarti, quod sustinendum illi fuit, mentionem reperies exilii; cujus historiam illustrabunt egregie quæ hic *Parte II sub anno 1565 p. 182 seqq.* tum in ipsius Heshusii, tum in aliorum epistolis leguntur. Exilio non uno exploratam quoque novimus constantiam Theologi ævo superiore de ecclesia Christi meritissimi *Jeremiæ Hombergeri.* Hujus vitam qui contexuerit, compertum nobis nominare possumus neminem. Licebit interim illius construendæ qualiacunque rudera colligere partim ex scriptis ejus, illo maxime quod Germanicum de justificatione edidit, ubi f. 341 seqq. (edit. Jenensis anni 1592) ipse avum, aviam, parentes, studio-

studiorum & ecclesiasticarum functionum suarum principia memorat; partim ex opere præsenti, quod epistolas ab eo ad Marbachios exaratas exhibet bene multas. Jam quod diximus, ex hoc eodem opere suppleri etiam posse celebrium Theologorum seorsim editas epistolas, id confirmari cumprimis potest exemplo epistolarum Davidis Chytræi, quæ Hanoviæ prodierunt anno 1614. Nisi enim fallimur, in isto Hanoviensi corpore comparent Chytræi ad Marbachios epistolæ non plures tredecim, cum eas hoc in opere Fechtiano numerare liceat parum abest quin centum. Quid quod quædam epistolæ Chytræi, quæ utrobique leguntur, uberiores nobis hic repræsentat Durlacensis typographus, quam illic Hanoviensis? id quod clare animadvertet, qui comparabit epistolas quæ hic inchoantur p. 227 sub n. CVIII, 281, 567 cum iisdem, quales illic p. 817. 482. 1060. exhibentur. Porro in harum trium ultima (quæ quidem Chytræi est ad Petrum Patientem) typus Hanoviensis p. 1061 hæc sistet: *Docet autem in Academia N. vir gravis, prudens & doctus quem meo periculo commendare non vererer, N.N.* Aperte eum prodit typus Durlacensis, ubi palam p. 569 memoratur in Academia *Julia* docens *Daniel Hofmannus.* Similem in modum N. ille, quem epistola Chytræi ad Philippum Marbachium p. 1087. ed. Hanov. occultat, D. Celestinus propalatur p. 592. ed. Durlac. Vicissim tamen Chytræi epistolam, cujus initium: *Βαρδίςου μακάριον* (ea vero Joach. Morlino est inscripta) lineis bene multis refertiorem deprehendimus in Chytræanis p. 363 seq. quam Marbachianis p. 293 seq. Quin & integras tres Chytræi epistolas, unam anni 1581 ad Philippum Marbachium de obitu parentis p. 374. *Divinitus insita* &c. duas ad Erasmum anni 1587 & 1593, quarum initia p. 588. *Intelligo collegæ mei*, & p. 808. *Cum facile sit* &c. frustra quæsivimus in Marbachianis; ut adeo subiisse ipsas appareat fatum earum, quas e bibliotheca Marbachiana periisse editor *p.* 3. *Apparatus* significat. Veruntamen ex his ultimam verosimile est ne quidem unquam ædibus Erasmi illatam fuisse, eam ob causam, quod paulo post scriptam illam nuncius de obitu ejus ad Chytræum pervenerit. Verbis enim epistolam finientibus: *bene & feliciter vale. D. XX. Febr. Anno 1593.* statim hæc p. 809. subnectuntur: *His ipsis diebus in cœlestem Academiam optimus & doctissimus vir, Erasmus Marbachius, Theologiæ in Academia Argentinensi Doctor, evocatus est.* Id die XXII Februarii mensis dicti anni e-

venisse discim9 e Melch. Sebizii *appendice chronologica ad D. J. Schmidii conciones Jubilaas Argentoratensis festi anno 1638 celebrati p. 231.*

Cæterum in corpore Marbachiano epistolis admixta reperies & alia quædam: ut p. 112 *theses undecim de Manichao Satana creationis absurdo.* Epistolis autem ad Marbachios, in quibus & Germanicæ quædam, insperſas quoque habebis non admodum raras ad alios: quales (ut unam alteramve memoremus) ad Davidem Chytræum Jacobi Rungii p. 110, ad Pastorem Kitthingensem Pauli Eberi p. 114. Ab ipsis autem Marbachiis scriptas non plures quatuor numerare licuit: tres Joannis, unam Philippi, quas leges p. 78, 84, 158, 740. Nimirum nihil manuscriptorum talium ad se ex bibliotheca Marbachiana delatorum invidere Lectori voluit candidissimus Editor. Qui & corpori huic, ut in lucem venustius prodiret, præmisit amplissimum *Apparatum*, subjecit *Tabulas chronologico-historicas.* Apparatus in novem distinctus capita, *primo* agit de occasione hujus operis edendi; *secundo* de vario epistolarum theologicarum genere; *tertio* de Marbachiorum vita & in ecclesiam Dei meritis; (ubi & Joannis atque Philippi Marbachiorum effigies conspicies: nam Erasmus ære nunquam expressus esse fertur) *quarto* de epistolarum harum scriptoribus; *quinto* de studio imitandi veterem Ecclesiam ex his epistolis elucente; *sexto* de usu harum epistolarum in recentioris Ecclesiæ historiam redundante; *septimo* de variis religionis controversiis, quæ ex his epistolis lucem accipiunt; *octavo* de prudentia conservandæ & propagandæ Ecclesiæ, in his epistolis apparente; *nono* de quibusdam offendiculis, quæ præsentis operis editioni objici posse videntur. Magna quoque primi capitis pars impenditur doctissimæ dissertationi de more, jam inde ab Ecclesiæ Christianæ incunabulis usque ad nostra tempora propagato, agendi Christiana negotia missitandis hinc inde epistolis. Ubi tandem & p. 12 clarissimus Auctor visos sibi olim Jenæ in Bibliotheca Gerhardina memorat plurimos eosq; bene spissos variarum epistolarum tomos, ex omnibus orbis partibus ad immortalis nominis theologum Joannem Gerhardum scriptarum. Utinam hunc etiam thesaurum publicæ luci expositum intueri aliquando liceat! *Tabula Chronologico-historica* certis per singulas paginas distinctæ lineis universum ejus temporis, quo epistolæ illæ ad Marbachios scriptæ sunt (ab anno M D XLI usque ad M D XIII) historiam, eamque tum sacram tum civilem

vilem, allegatis ſubinde geſtarum rerum monumentis, quaſi in compendio repræſentant.

JOHANNIS a LENT,

Lingu. Orient. & Hiſtor. Sac. Prof. Illuſtris Lycei Naſſovici Bibliothecarii, Shediaſma Hiſtorico-Philologicum de Judæorum Pſeudo-Meſſiis.

Herbornæ, a. 1683, in 4.

QUod verus Meſſias Joh. 5. v. 47. dixerat: *Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me; Si alius veniat in nomine proprio, illum accipietis:* id experientia ſubſequentium ſeculorum ad hoc usque ad finem jam vergens comprobat. Neque enim ullum propemodum poſt Chriſti Servatoris unici effluxit ſeculum, quin unus itemque alter Pſeudo-Meſſias exſurrexerit, perniciemque recutito populo ingentem attulerit. Eos itaque poſt *Chriſtianum Chriſtiani* & *Johannem Hottingerum* (nam & hi, ut alios taceamus, diſſertationes de Pſeudo-Meſſiis edidere) percenſere auctor Schediasmate iſthoc Hiſtorico-Philologico voluit. Ac principe quidem inter eos loco conſtituitur *Bar Cochab* ſeu ſtellarum filius, quem imperante Hadriano, qui Æliam urbem in Judæa condiderat, Judæorum gentes penitus ex illa amoturus, contra Romanos arma ſumpſiſſe, Bitteramque regiam ſedem conſtituiſſe conſtat. Judæi autem, cum a Stella hac ſeductos miſere turpiterque deluſos ſe viderent, Meſſiam hunc falſum a tempore iſto ad hoc usque præſens *Bar Coſabh* vel *Bar Coſibba* h. e. filium mendacii, vocitarunt. Ipſe quoque Bar Coſibha occupata abs Hadriano urbe Bittera occiſus; quique armiger ipſius erat Akiba graviſſimo ſupplicio fuit enectus; quin & reliqui Judæi, poſt tot millia mactata extorres patria per orbem ſunt diſperſi, & in hunc usque diem ſine rege, ſine duce, palabundi ludibriis mortalium omnium ſunt expoſiti.

Anno poſt C. N. 434 tempore Theodoſii junioris alius Pſeudo-Meſſias natione Judæus, *Moſes Cretenſis* dictus, in Creta Inſula, quæ Candia hodie vocatur, Bar Coſibhæ non multum inferior ortus eſt. Hic Moſen ſe eſſe finxit, ſeque miſſum a cœlo, ut Judæos Cretam incolentes per mare deduceret, aſſeveravit. Sed qui ad juſſum ejus in

 mare

mare se præcipitarant, partim scopulis illisi, partim aquis sunt submersi; ipse vero jamjam comprehendendus ex oculis evanuit.

A.C. 520 sub Imperatore Romanorum Justino Seniore quidam nomine *Dunaan* Homerita, Mosis filium se professus, Negramque Arabiæ felicis urbem ingressus Christianos vi oppressit; sed flagitiosæ crudelitatis mox pœnas dedit, ab Elesbano piissimo Æthiopum duce captus ac ferro cæsus.

A.C. 529 Judæi cum Samaritanis in Palæstina rebellarunt, jugoque Romanorum excusso *Julianum* quendam Regem sibi præfecerunt, proque Messia habuerunt. Sed brevi post oppugnarunt eos Romani sub Imperatore Justiniano, innumerique ex illis una cum duce sunt interfecti.

Posthæc *Muhammed*, in Arabia deserta a. 571 natus, partim ex vero & falso Christianismo, partim ex Gentilismo, partim ex Judaismo novam conflavit religionem, ac primum apud Arabes Judæosque pro Messia, quem hi expectarent, se venditavit; sed hæc consilia non procedere subolfaciens, revocato Cerinthianorum, Marcionitarum & Manichæorum dogmate, Christum non verum corpus, sed *φάντασμα* aliquod assumsisse, se autem verum DEI prophetam, eumque Christo majorem esse affirmavit.

A C. 721 *Syrus* quidam sub Leone Isauro Imp. insignis veterator Christum se esse simulavit, Judæisque illusit.

A.C. 1137 in *Gallia* pessimus nebulo sub Messiæ nomine iisdem imposuit; verum & hic meritas impietatis pœnas dedit; plurimi etiam Judæorum in Gallia occisi, præsertim quod singulis annis in festo Paschatos mactare puerum Christianum dicerentur.

A.C. 1138 in regno *Persico* extitit Judæus quispiam, qui se Messiam fuit professus, magnamque Judæorum coegit manum. Verum & hic impostor apprehensus & a Rege Persarum fuit capite plexus.

A.C. 1157 in *Hispania Bœtica*, urbe *Corduba*, impostor alius Judæos in spem novam erexit, sed & decepit pariter, ut omnes fere Judæi per Hispaniam universam interneciom darentur.

A.C. 1167 alius in regno *Fessano* Pseudo-Messias prodiit. Eodem anno in *Arabia* veterator insignis, se prodromum Messiæ jactitavit, seque, si decollaretur, revicturum gloriatus est. Sed jussu Regis decollatus, permansit mortuus. Non multo post *Vir Judæus* ultra Euphra-

Digitized by Google

phratem hoc solo signo Messiam se esse dixit, quod in somno nocte leprosus, mane vero & per diem formosus integerque esset. Verum & hic dignum moribus suis invenit exitum.

A.C. 1174 Magus quidam novus seu falsus Messias conspectus in *Persia*, qui pertinaciter prætendit, se esse illum diu quæsitum expectatumq; Messiam, unde Judæi in maximas redacti fuere angustias.

A. C. 1176 In *Moravia*, regione Germaniæ, *David Almusser* Pseudo-Messias comparuit, qui& artis magicæ beneficio invisibilem se reddere potuit. Verum & hic captus trucidatusque est, & Judæi magna pecuniæ summa mulctati. Eodem seculo XII alius Pseudo-Messias fuit exortus, sed quo anno, & qua in provincia moratus fuerit, Autori non constat.

A.C. 1199, aut potius ex Auctoris mente circa a. 1160, *David El David*, alias David *Alroi* in Persia non suis tantum, sed & Persarum Regi aperte dixit, se Messiam esse a Deo missum, prodigiisque atque incantationibus suis multos suorum in admirationem pertraxit. At enim, cum debellare Regem illum cum exercitu tentaret, captus, cumque fuga elapsus esset, opera Regis Turcici Persæ subjecti capite truncatus est, quod Regi Persarum fuit missum.

A.C. 1497 sub Ferdinando Catholico, Hispaniarum Rege, spe Pseudo-Messiæ novi, *Ismaelis Sophi*, iterum turpiter delusi fuere Judæi.

A.C. 1500 pro Messia se venditavit Rabbi *Lemlem*, Judæus Germanus, Vindobonæ, urbe Austriæ primaria, qui fornacem domus suæ destruxit, se proximo anno in terra sancta cocturum popularibus suis placentas paschales persuadens; sed & hic spe vana lactavit suos & periit.

A.C. 1534 novus in *Hispania* exortus Judæus Pseudo-Messias, Rabbi *Salomo Malcho*, sed a Carolo V combustus.

A.C. 1615 alius Judæus Pseudo-Messias in *India* Orientali fuit visus, quem & Judæi in Lusitania sunt secuti.

A.C. 1666 *Sabetbai Zevi* Smirnensis patria, Judæus natione, & Doctor ob summam in Hebraica literatura, Philosophia & Theologia eruditionem insignitus, se esse Messiam Ben-David vel filium Davidis aperte professus est. Missus in exilium, quod nomen tetragrammaton pronunciasset, *Nathanem Levi* Judæum doctissimum invenit, qui se Messiæ hujus præcursorem & magnum Prophetam Eliam pro-

fi-

fiteretur. Sed cum Messias a magna Judæorum multitudine esse crederetur, nec humanis tantum, sed & divinis honoribus oneraretur, Constantinopoli in vincula fuit conjectus, cumque evaginato gladio sagittisque, ut, num inviolabilis Messias foret, appareret, petendus jam esset, sacris Turcarum cum uxore initiari, quam id periculi subire maluit.

A. C. 1682 Rabbi *Mardochai* Judæus, natione Germanus ex urbe *Eysenstadt*, Messiam se profiteri cœpit, nec salutari tantum se eum, sed & adorari jussit. Ex Italia, ubi summo cum honore ab omnibus fere Judæis fuit exceptus, in Germaniam reversus iter suscepit in Poloniam. Et nunc Pragæ hærere dicitur, cujus tamen obscura est fama, nec magna apud Judæos ejus habebitur ratio, toties a planis istiusmodi deceptos. Atque hi isti sunt Pseudo-Messiæ Judæorum, quos clarissimus Lentius in Schediasmate hoc breviter recensuit, majus opus de iisdem, uti p. 72 pollicetur, editurus.

JOHANNIS SCHILTERI
Praxis Juris Romani in Foro Germanico.

Jenæ, 1684, in 4° apud Matthæum Bircknerum.

QUod hactenus per partes salivam orbis literati movit eruditum opus, id nunc omnibus absolutum numeris prodit in publicum. Quemadmodum vero intentionem & scopum, ad quem utroque oculo excellentissimus Auctor collineat, jam mense Martio superioris anni exhibuimus lectori: ita is instituti ubique memor & sui semper similis, in conferendis cum Jure Romano legibus Germanorum aliarumque gentium, nec non variorum responsis & monitis practicis passim inserendis, eam industriam adhibuit, ut aspectu nunc longe augustiori sanctissimum Justitiæ templum, (quo nomine Pandecten ornat Imperator,) effulgeat. Hoc interim votis omnibus optamus, ut nova, quam clarissimus Schilterus moliri videtur, Alemannici & Saxonici Juris, ad fidem vetustissimorum Codicum MSS. Ambrasianorum correcti editio omnium doctorum propediem expleat desideria.

✱(o)✱

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Julii A. M DC LXXXIV.

PRÆSTANTIUM AC ERUDITORUM virorum Epistolæ Ecclesiasticæ & Theologicæ, quarum longe major pars scripta est a JAC. ARMINIO, JOAN. UYTENBOGARDO, CONR. VORSTIO, GERH. JOAN. VOSSIO, HUG. GROTIO, SIM. EPISCOPIO, CASP. BARLÆO.

Editio secunda, ab innumeris mendis repurgata, & altera parte auctior.
Amstelædami, apud Henr. Wetstein, 1684, in fol.

Quantas in Fœderato Belgio turbas dederint, natæ sub exitum superioris seculi inter Theologos quosdam de prædestinatione ac gratia meritoque Christi controversiæ, non Reformata tantum Ecclesia in Remonstrantes & Contra-Remonstrantes scissa, sed & Republica ipsa in atroces factiones distracta; multi meminerunt adhuc, neminem vero ignorare Scripta utriusq; partis, quæ publice extant, eristica patiuntur. Quemadmodum vero de ipsis fidei articulis, circa quos dissensio orta fuerat, magna animorum contentione fuit disceptatum: ita non minus partium studium in condenda motuum illorum historia fuit deprehensum. Hinc enim, *ut Wilh. Baudartii, Gerh. Brandtii,* aliorumque lucubrationes silentio nunc prætereamus, ingentia illa *Johannis Uytenbogardi* & *Jacobi Triglandi* nata sunt volumina, Belgico sermone conscripta, quibus uterque, ille Remonstrantium, hic Contra-Remonstrantium partibus addicti, magno id egerunt studio, ut dissidiorum, profectorumque inde in Ecclesiam & Rempublicam malorum invidiam a se amolirentur, ac in partem derivarent adversam. Inprimis

vero Remonſtrantes, quo magis preſſi ab adverſariis fuere; damnati ſcilicet in Synodo Dordracena, pulſi in exilium, omnique calamitatis genere afflictati, donec refrigeſcente paulatim odio cathedris pulpitisque ſuis conniventia magiſtratuum reſtituti ſunt: eo magis allaborandum ſibi cenſuerunt, ut innocentiam ſuam cauſæque æquitatem omni ratione aſſererent. Atque hæc ipſa cauſa fuit, ob quam anno 1660 *Chriſtianus Hartſoecker* & *Philippus a Limborg*, clariſſima inter Remonſtrantes nomina, Eccleſiaſticas Theologicasque epiſtolas a diverſis ſuarum partium hominibus diverſo tempore exaratas, publici juris fecerunt; univerſo nempe orbi vel ita probaturi, quanta pietate ac religione cauſam egerint Remonſtrantiſmi, ſi loqui ſic liceat, auctores. Ita enim perſuaſum habuere, non aliunde rerum geſtarum hiſtoriam hauriri ſincerius poſſe, quam ex familiarium litteris, quibus in amici ſinum libere quisque deſtinata ſua ac cogitata omnia, affectusque & animi motus effundit; nec ulla monumenta alia minus, quam hæc, debere eſſe ſuſpecta, cum in ſubita illa & ſæpe calida ſcriptione ſimulationi locus eſſe vix poſſit. Itaque & fiduciam cauſæ ſuæ manifeſtaturos ſe arbitrati ſunt, ſi totius orbis oculis non dubitarent ſubjicere, quæ per epiſtolas familiares actitata ac diſceptata inter Remonſtrantium principes fuerunt; (tametſi non diſſimulandum, interſeri ſubinde epiſtolas etiam alias, non a Remonſtrantibus, ſed ab aliis, Remonſtrantium tamen plerumque cauſa, ſcriptas) & lectorem ſperarunt de Remonſtrantiſmi auctorum ac promotorum indole, ſtudio, moribus, æquius ex epiſtolis hiſce, quibus ſe ipſi candide ac ingenue absque fuco expreſſerunt, quam ex adverſariorum illorum ſcriptis, laturum eſſe judicium. Eo vero magis gratum epiſtolarum illud volumen eruditis accidit, quod non tantum momenti plurimum adferrent ad hiſtoriam motuum illorum, quibus Fœderatum Belgium ſuperioribus temporibus graviſſime concuſſum fuit, illuſtrandam, ſed & de difficillimis fidei Chriſtianæ articulis doctiſſimorum virorum meditationes exhiberent, Politicis etiam ac philoſophicis diſcurſibus hic illic interſperſis. Eam enim circumſpectionem adhibuerunt epiſtolarum editores, ut non quascunque promiſcue & ſine delectu, ut ab aliis fieri aſſolet, ſed eas tantum, quæ fructum allaturæ lectori eſſent indubitato, publici juris facerent; ordine etiam, qui conveniens maxime erat, temporis ſcilicet,

licet, quo quæque exaratæ sunt, servato, ut rerum hoc gestarum seculo historica quædam connexio lectori pateret.

Cæterum cum prior illa Operis hujus editio distracta dudum esset, & epistolæ tamen illæ a quamplurimis avide desiderarentur, id sibi laboris imponi facile passus est, qui primam cum Hartsoeckero curaverat, *Philippus a Limborg*, ut novam editionem, & eam quidem tum emendatiorem, tum altera parte auctiorem adornaret. Itaque & tollendis mendis, quæ priori editioni irrepserant, epistolas singulas cum autographis studiose contulit; & ultra trecentas easque maximi momenti prioribus adjecit, quas inter novæ *Hugonis Grotii* quadraginta quinque, *Gerb. Job. Vossii* quadraginta & una, *Conradi Vorstii* quatuordecim, *Jacobi Arminii* sedecim, totidem *Wilhelmi Laudi* Cantuariensis quondam ArchiEpiscopi, undecim *C. Niellii*, quadraginta octo *Joh. Uytenbogardi*, pluresque diversorum auctorum aliæ leguntur. Nec diffitendum tamen, plurimum decoris editioni huic conciliare, & Remonstrantium causæ admodum favere, Anglorum duorum, qui Synodo Dordracenæ interfuerunt, *Gualteri Balcanquallii*, & *Johannis Halesii* epistolas, Anglico quo conscriptæ fuerant idiomate, a doctissimo Anglorum *Johanne Pearsonio*, Cestriensi hodie Episcopo, pridem editas, sed nunc in Latinum sermonem Limborgii cura translatas. Iis enim non pauca luci exponuntur publicæ, quæ in Synodo secreto & quasi post siparium gesta fuerunt, ut vel ex illis appariturum Limborgius censeat, Synodi scribas non tam veritati ingenue litasse, quam serviisse tempori.

HISTOIRE D' ALLEMAGNE ANCIENNE ET Nouvelle &c. Par Mr. de Prade.

sive

Historia Germaniæ Antiquæ & Novæ: continens origines, mores, opes, consuetudines, bella & religiones gentis; fundationem & descriptionem urbium Imperialium; politiam, regimen & utilitates Principum & Electorum; vitam etiam omnium Imperatorum usque ad LEOPOLDUM Augustum nunc regnantem, eorumque icones. Autore Dn. de Prade.

Lutetiæ apud Augustinum Besoigne, 1683, in 8.

Liber

Liber hic, pro tanta materiæ amplitudine ſat brevis, partes habet duas. In *prima* per *capita decem* Autor ab hiſtoria Imperii *Romani & Francorum*, ad deſcriptionem veteris Germaniæ ejusque gubernationem progreditur, & hanc in *Romanam* & *Auſtraſianam* diſtinguit, formamque ejus ſub *Merovingiis*, *Carolovingiis*, & *Teutonicis* Regibus aut Imperatoribus variantem explicat. De Prælatorum Eccleſiaſticorum priſtino ſtatu, auctisque dignitatibus & opibus, per improvidam, ut notat, Principum liberalitatem, ſatis libere judicat. Urbium initia & politiam pluribus perſequitur; ſpeciatim de *Argentorati* & *Norimberga* regimine agens, ut & de fœdere *Anſeatico*, de tribunalibus & judiciis, de comitiis & conventibus, de litibus per duella olim finitis, de hominibus propriis, ſive mancipiis: quarum materiarum quædam *parte ſecunda* reiterantur. In hac per alia *decem capita* hodierni Germaniæ fines, diviſiones, & mores breviter memorantur. Agitur deinde de Imperatore, ejusque electione, coronatione, poteſtate: tum de potentia domus Auſtriacæ, itemque de Rege Romanorum: porro de Electoribus, Principibus eccleſiaſticis & ſecularibus, de Comitibus & Baronibus, de liberis civitatibus, de nobilibus ſive equitibus immediatis. Additur epicriſis de forma & defectibus regiminis, ſatisque ampla de tribunalibus Imperii diſſertatio. Inſeruntur multa de Genealogia Principum, itemque ſucceſſiones Epiſcoporum, & denique catalogus Imperatorum a *Rudolpho Habsburgenſi* ad noſtra usque tempora: nam priores ad *Alfonſum* usque Caſtellæ Regem, *parte prima* exhibiti fuerant: expreſſis ubique ex numiſmatibus fere iconibus. Eruditionem & induſtriam Autoris, qua plurima & diverſiſſima in compendium redegit, nemo improbabit; ſed quæ in *Actis menſis Maji nuperi p. 219, ad Malleti Deſcriptionem orbis* annotavimus, non poſſumus non huc repetere; ne quæ peregrinus autor ex aliis erronea hauſit, novoque huic libro intulit, per incuriam transmiſſa, aut agnita videantur. Omnia illa adnotare, refutare, corrigere, diſputare licebit, cui ad id lubitus & otium eſt: nos nulla alienos labores taxandi impetigine, ſed ad commonefaciendos lectores, & ab errore præmuniendos aliqua ſaltem indicabimus.

Omittimus autem, quæ *parte prima* ex Gallorum ſive *Franco-Gallorum* rebus, Germanis tribuuntur. Nota enim eſt autorum utriusque gentis diſſenſio, dum noſtrates originem gentis Francicæ, ejusque

ejusque legum & imperii, in Germania, qua Francorum ſive Franconum nomen adhuc retinet, regionibusque conterminis, quærunt & collocant, nec Franco-Gallos Germanis progenitoribus ſuis, ſed hos illis, ut colonis, imperaſſe, aut morum legumque normam dediſſe contendunt; Galli vero, veteris tenuitatis & ortus pertæſi, ſpecie & fama majora pro veris ſectari incuſantur. Expendi hic nihilo magis opus eſt, quæ de migrationibus, nominibus, ſedibus gentium commentatur Pradius, facili in talibus lapſu. Nec mendorum Typographicorum, quibus totus liber ſcatet, indicem texere volumus. V.g. ubi p. 32. *Zutland*, legitur pro *Jutland*. p. 320. *Raſtenvoigt*, pro *Kaſtenvoigt*. p. 344. *Mindesheim*, pro *Windesheim*, p. 341. *Eſchſtet* pro *Eichſtet*; & innumera alia, ex imperitia linguæ & orthographiæ Germanicæ nata. Huic etiam tribuimus, quod p. 26 inter majora Germaniæ flumina referat *Mizam* & *Gizeram*, quæ nulla ſunt; & quod p. 268 notiſſima factionis *Guelphæ* & *Gibellinæ* nomina ita exponit, ut Guelphus idem ſit ac *fidem ferens*, Gibellinus ac *bellum ferens*: item quod p. 351 plane invertit *Schriftſaſſiorum* & *Amtſaſſiorum* ordines, (ita nobiles ratione jurisdictionis in Saxonia diſcriminantur) illos ſub præfectis, hos ſub Principibus eſſe autumans; cum contrarium verum ſit, ipſoque nomine indicetur. Dubia etiam, partimque cruda, præcipitata aut confuſa ſunt, quæ de electione Imperatorum a rebellibus ſub *Rudolfo Suevo* primum introducta p. 300, & de jure deponendi Impp. p. 391, item de Comitum & Baronum requiſitis & diſtinctionibus p. 344, nec non de civitatibus *liberis* & *ſemiliberis*, compilavit; quanquam negari non poſſit, præeuntes eum alicubi Germanos Scriptores habuiſſe, dum & inter illos ſunt, qui multa ſine judicio ac incomperta tradiderunt, tanto majori culpa, quanto turpior eſt patriarum rerum ignoratio. Sed manifeſtius peccant, quæ p. 340. *de Ducatu Würtemburgico* referuntur, dum territorium ejus a domo Auſtriaca dependens dicitur. Nam *parte II* p. 144 rectius ipſe autor notavit, nexum feudalem, quo Auſtriæ obſtrictus olim fuit Ducatus ille, jure tamen territorii nihilominus ſalvo, in ſpem ſucceſſionis mutatum eſſe. Errat etiam pag. 341. cum exiſtimat, *Scabinos*, (ita vocantur judices oppidani, alicubi & ruri) ſolum in civitatibus Imperialibus reperiri. Nec magis verum, quod *Magdeburgi* (pag. 543) tribunal

ſupremum fuerit: erat enim collegium Juriſconſultorum, qualia nunc apud nos hic ſunt, & *Halis Saxonicis*,& *Witeberga*, & *Jena*, vetus Scabinorum vocabulum retinentia, nulla niſi conſulendi & reſpondendi de jure poteſtate. P.82 non recte dicitur *Marchio Bambergenſis*, qui Comitis titulum geſſit, inferiorem Marchionibus apud Germanos. Et p. 203 Comitatus *Querfurtenſis* ad *Sylvam nigram* ſitus dicitur, qui non tantum plus quam decem dierum itinere ab illa, quæ hodie ſola hoc nomen in Suevia obtinet, ſed & ab *Hercynia Brunſvicenſi* ſat amplo abeſt ſpatio, in Thuringiæ finibus jacens, iisque immixtus. At quanto major eſt *parte ſecunda* rerum farrago & copia, tanto etiam uberius proveniunt errores. Intacta relinquimus, & aliis expendenda, quæ de Majeſtate & officio Imperatoris & Principum, tum de ceremoniis publicis, de tribunalibus eorumque proceſſu, & alia ejuscemodi confidenter diſſerit, autorum, quos ſequitur, fide aut ſua opinione haud ſatis tutus: quædam tamen ex manifeſte erroneis adnotabimus. *Commendatores Ordinis Teutonici in Saxonia*, ſupra Prælatos in Comitiis provincialibus locum capere ſcribit p. 75, qui tamen in claſſe nobilium ſedent, a præcedenti Prælatorum curia diverſa. Pag. 86 male ex hoc capite præfert Epiſcopos *Bambergenſem* & *Wurtzbergenſem* cæteris, quod illi ſoli habeant ſupremam poteſtatem, reliqui *Cameræ Spirenſi* ſubdantur; nam & illi, & omnes Principes hanc in caſibus legitimis agnoſcunt judicem, nec ideo minus gaudent jure ſuperioritatis. P.180 *Johannis Georgii I. Sax. Electoris glorioſ. mem.* filios Sereniſſ. tertium & quartum *Chriſtianum & Mauritium* transponit, huic *Martisburgum*, illi *Naumburgum* aſſignans, quod inverti debuit; omiſit etiam ſecundogenitum *Sereniſſimum quondam Auguſtum*, *Magdeburgicum Adminiſtratorem*. Pag. 129. *Sueciæ* Regi in circulo Saxon. inferiori locum inter *Magdeburgenſem & Bremenſem Antiſtites* tribuit, cum ipſe Rex *Bremenſis Archiepiſcopi* jus, ſub *Ducatus* nomine habeat. Pag. 147, incongruum eſt, quod Haſſiæ Superioris Landgravium *Comitem* vocat *Darmſtatinum*: nec rectius p. 152, quod *Brunſvicenſes* Duces inter illos refert, qui jus προεδρίας inter Principes alternis vicibus exercent; quos tamen ſine controverſia præcedunt. Nec p. 157 *Eutinum* Holſaticæ familiæ ſedem recte facit, cum ſit *Epiſcopatus Lubecenſis*. P.165 omiſſa eſt tertia

Co-

Comitum claſſis, *Weſtphalica*. P. 166. Comitibus illuſtrioribus accenſet, quorum familiæ aut expirarunt, aut qui non niſi titulotenus tales ſunt, aut quorum nomina ita ſcribuntur, ut divinari vix poſſit, qui & ubi gentium ſint: præterit vero alios, memorari digniſſimos. P. 167 Comites & Barones non ab Imperatore, ſed a *Camera Spirenſi*, ratione feudorum ſuorum inveſtiri ſcribitur, ſed male; omnes enim vaſalli Imperiales in Aula Imperatoria inveſtiuntur, etiam minoris ordinis Nobilitas. Erroris anſa forte fuit, quod de controverſiis majoribus circa feuda Imperii Imperator, de minoribus Camera judicat; ſed hoc non pertinet ad inveſtituram. Dein p. 171 inter *Confraternitatis* ſive pactorum de hæreditate mutua exempla, referri non debuiſſent familiæ *Palatina, Brunſvicenſis, Mecklenburgica:* nam hæ ſanguinis & inveſtiturarum reſpectu ſuccedendi inter ſe jus habent, accedentibus forte pactis ad majorem certitudinem. P. 179. ex obſoletis matriculis, quas ipſe *fugitivas* vocat, ſed quarũ recentiſſimam ſequi debuiſſet, plurima oppida liberis & Imperialibus annumerat, quæ hodie ſubſunt Principibus; & licet moneat, quasdam ſtatum mutaſſe, non definit tamen, quæ id fecerint, ſed lectorem in incerto relinquit; & nihilominus *Moguntiam* & *Trevirim*, ſubjectas notorie Antiſtitibus ſuis, inter liberas ſatis prolixe deſcribit. Etiam inter *Hanſeaticas* pro Imperialibus venditat municipales manifeſtas, *Gottingam*, *Lemgoviam*, *Warbergam* & alias. P. 293, ubi de *Nobilitate immediata* tractat, pernitioſum, & qui lites publicas inter Germaniam & Galliam non parum promovit, errorem errat, dum feudi & ſuperioritatis jura confundit, & libertatem ſive exemtionem Nobilibus aliisque negat, in locis, quæ feudali vinculo aliis obligantur; quod tamen fieri poteſt, & frequentiſſime fit absque omni ſubjectione territoriali, ita ut Principes non a paribus tantum, ſed ab inferioribus feuda accipiant; ut præter alios fit ab Electoribus ſecularibus, *Bambergenſi Epiſcopatui* hoc nomine obnoxiis, quos ideo p. 43. perperam negat eatenus immediatos eſſe. Idem enim locus, feudi jure ab alio dependens, nihilo ſecius liber & Imperio immediate ſubjectus eſt, non ex pacto, ut putat, ſed ex regula & libertate provinciarum & familiarum. Territorii vero hoc ſuperioritatis jus aliis quam feudi nititur titulis, ſuisque continetur finibus, v. g. in *Auſtria, Saxonia, Bavaria*, plurimisque aliis regionibus. Plura ſunt in capite hoc, non minus falſa; & p. 398. pagi ſive diſtri-

Digitized by Google

ctus nobilium recenſentur, vocabulis corruptis, divulſis aut omiſſis. Sed ſatis pro ſcopo noſtro, quamvis multo plura reſtent, quæ moneri poſſent.

EPISTOLA CONSULARIS,
in qua Collegia LXX Conſulum ab anno Chriſtianæ epochæ XXIX uſque ad annum CCXXIX, in vulgatis Faſtis hactenus perperam deſcripta corriguntur, ſupplentur, & illuſtrantur. Autore F. Henrico Noris Veronenſi Auguſtiniano Sereniſſ. Magni Hetruriæ Ducis COSMI III Theologo, & in Acad. Piſana Eccleſiaſtica Hiſtoriæ Profeſſore.

Bononiæ, apud Anton. Piſarium, A. 1683, in 4.

SCripſerat R.P. *Antonius Pagi*, ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci Doctor Theologus, diſſertationem Hypaticam ſeu Conſularem, inque ea, ut ſuperioris anni Actis menſe Junio p. 235 memoravimus, Cæſarum & Auguſtorum Conſulatus ordinarios, eorumque Decennalia, Vicennalia atque id genus alia feſta regulis nemini obſervatis declaraverat; ſeque hoc ſcripto uti eruditioribus plerisque aliis, ita *Henrico* quoque *Noriſio*, viro in antiquitatibus Romanis ad ſtuporem usque verſato, valde approbaverat. Cum autem idem Noriſius ex *Antonio Magliabechio*, celeberrimo Bibliothecæ Mediceæ præfecto intellexiſſet, doctiſſimum hunc *Pagium* in eo jam eſſe defixum, ut notas in Annales Eccleſiaſticos a ſe ſcriptas in lucem evulgaret, deprehendiſſetque in diſſertatione hypatica jam laudata eundem a *Joanne Leunclavio* mirum quantum fuiſſe deceptum, impetrare abs ſe non potuit, quin quædam ei ante operis editionem, quæ non exiguo eſſe uſui poſſent, indicaret. Et vero Indicem illum Conſularem, quem *Leunclavius* ab Imperio Neronis ad octavum usque annum Alexandri Severi, Dionis præfixit libris, Dioni ipſi adſcribit *Pagius*, adeo quidem, ut teſtimonio ejusdem plus vice ſimplici uſus, contra *Noriſium* in Diſſertatione ſua diſputet; cum tamen totus ille Catalogus ex *Onuphrii Panvinii*, Veronenſis & Fratris Auguſtiniani, faſtis exſcriptus Dioni ipſi perperam aſſignetur. Veritus itaque Noriſius, ne in notis in ſacros annales adornatis, eundem errorem *Pagius* committe-

ret (nam plurima Conſulum Collegia tum a Panvinio, tum ab exſcriptore ejus Leunclavio depravate recitata in Rationario Faſtorū recenſuerat) mature ipſi tanquam amico amicus aurem vellere de re iſta voluit. Laus equidem ſua non deroganda, quem & civem & ſyncellitam, ut ſic dicamus, agnoſcit Noriſius, Panvinio, quod Romanos Faſtos ex Romanæ Hiſtoriæ ſcriptoribus, ex tabulis Capitolinis aliisque inſcriptis lapidibus ac Imperatorum nummis, ab urbe condita ad exitum usque Neronis, non ſine ingenti labore concinnaverit; unde & omnium eruditorum judicio, ſed Lipſio elogium concipiente, *Faſtorum pater* honorifice fuit nuncupatus; ſed neque hoc diffitendum, quod, cùm Conſulum ſubſequentium cognomina, quæ in Faſlis Caſſiodori & Anonymi apud Cuſpinianum, in Codice item Juſtiniani aliisque monumentis nuda lectitantur, ex inſcriptis antiquitus lapidibus probatisq; temporum illorum hiſtoriis integre expoſuiſſet, ſæpiſſime omni præſidio deſtitutus, ſolisq; conjecturis indulgere coactus, multorum Conſulum prænomina ac familias falſis characteribus deſcripſerit. Cujusmodi grandes errores, in Panvinianis Faſtis occurrentes, cum a nemine quoquam, poſt centum ac quindecim annos ab autoris obitu, expuncti huc usque fuerint, ſuum eſſe non abs re exiſtimavit Noriſius, ut Romanorum Cæſarum Faſti in eadem patria ac familia, in qua, Panvinii manu obſtetricante, in lucem editi olim fuerant, nunc novum iterum ſplendorem acciperent. Initium autem hac in epiſtola, quam Conſularem inſcripſit, facit a duobus Geminis Conſulibus, qui anno Urbis Varroniano 782, vulgaris vero Chriſtianæ epochæ 29, faſtis prænotantur; non ſolum, quod Dio ad exitum vitæ Auguſti, ac prima Tiberii imperantis tempora optime conſularem indicem deſcribit, cui poſtea Leunclavius Panvinianos Faſtos aſſuit, verum etiam, quia hic Conſulatus in veterum Patrum libris frequenter memoratur. Termino hoc veluti conſtituto, Collegia Conſulum ad annum usque æræ Chriſtianæ CCXXIX recenſet, nec recenſet tantum, ſed & corrigit, ſupplet, & tum variis Hiſtoricorum veterum locis, tum Inſcriptionibus etiam plurimis illuſtrat. Plura etiam non ſatis cæteroqui certa, v.g. de tempore belli Dacici, deque profectione Hadriani in Orientem, de tempore item perſecutionis, quæ imperante Trajano, Proprætore Bithyniæ Plinio juniore, contigit &c. interſpergit. In altera vero epiſtolæ hujus parte canones, quos Pagius de conſulatibus Cæſaris primus ſta-

tuerat, in examen adducit, ea indicans, quæ regulis iſtis opponi poſſint, aut ab aliis oppoſita fuerint. Sub finem etiam indicem Faſtorum emendatorum, inque eo hinc Faſtos vulgares, inde Faſtos emendatos ab anno Chriſtianæ epochæ 29 usque ad 230 repræſentat.

TRACTS VVRITTEN BY JOHN SELDEN, OF the Inner Temple, Eſquire.

hoc eſt:

Tractatus ſcripti a Johanne Seldeno, Interioris Templi Socio, Armigero.

Londini apud Thomam Baſſettum & Richardum Chisvvellium, 1683, in fol.

INter illuſtria ingenii Seldeniani monumenta, quæ mandata literis extant, primum fere, ſi temporis rationem habeamus, eſt *Janus Angliæ*, quem celeberrimus Autor Latino ſermone conditum, ante plures quam ſexaginta annos, in publicam lucem exponi ipſemet curavit. Eundem nunc novo quaſi habitu indutum, inque Anglicam linguam verſum erudito orbi exhibet *Redmannus Weſtcotius*, ratus, deberi a ſe hunc laborem libro, qui obſcuram gentis Anglicæ originem evolvat, ac jura, quo ordine ab antiquis Britannorum Regibus ad Henricum uſque ſecundum pervenerint, cum cura explicet. Quum vero in hac verſione textui omnino nihil acceſſerit, nec inde quicquam fuerit ablatum, ſupervacaneum & præter inſtituti noſtri rationem eſſet, ejus ſcripti argumentum prolixius exponere, quod Actorum noſtrorum natales tanto temporis intervallo antevertit. Ut pauca dicamus, complectitur Janus ille Anglicus Seldeni, inſtituta ac leges Britannorum cum veteres, tum recentiores. Primum fragmenta illarum, quibus Samothes, Phranicus, Molmutius, Belinus & inde Regum alii, ad Romanorum usque tempora populos ſubjectos gubernarunt, refert; eas etiam, quibus uſi fuerunt Britanni, quamdiu Romanorum imperio ſubjecti, & quas poſtmodum Saxones tulerunt, exponit. Poſtea (libro videlicet altero) jura omnia quæ Wilhelmus Conquæſtor, ejusque filius Wilhelmus Rufus, & qui huic in regno ſucceſſit Henricus I, cum Stephano e ſorore, & Henrico II, e filia nepotibus

bus ſtatuerunt, dilucidat, ubique præclara Seldenianæ eruditionis ſpecimina oſtendens. Verſio hujus Jani, quam adornaſſe Weſtcotium diximus, & accurata ſatis eſt & perſpicua. Viſum tamen interpreti fuit notas quasdam ad libri calcem adjicere, tum ut clare de Seldeni mente conſtet, quoties ipſe obſcurius ſcripſit, tum ut unum alterumque verſionis caput, in quo fortaſſis invenire quis poſſit, quod reprehendat, vindicetur.

Tria inſuper opuſcula Anglice a Seldeno ſcripta cum Jano in hac editione prodeunt, quæ hactenus publicam lucem non adſpexerunt. Illorum primum *Epinomis Angliæ* vocatur, colligens prætermiſſa ab iis, qui ante hac cum autore Archæonomiæ, Wilhelmo Lambardo, originem ac conſtitutionem jurium Anglicorum inquiſiverunt. Nihil eſt autem aliud quam Jani Britannici compendium, legum farraginem, ſepoſitis, quæ ad hiſtoriam magis, quam ad ſcientiam Juris pertinent, ex ipſo repetens. In fine Janum legibus Richardi auget, & Johannis Magnam Chartam cum ea, quæ nunc communiter hoc nomine inſignitur, ac Henricum III Johannis filium autorem agnoſcit, confert. Reliqui duo tractatus breviſſimi *de origine poteſtatis Eccleſiaſticæ circa teſtamenta* ſunt, & *de adminiſtratione bonorum inteſtatorum.*

Habet nimirum hoc inter alia ſplendidiſſima jura Epiſcoporum in Anglia reverendus Ordo, ut nec condi teſtamenta de catallis perſonalibus, ut his JCtorum Anglorum verbis utamur, absque ipſorum approbatione poſſint, nec repeti legata ab iis, qui injuſte negaverint, niſi coram judice Eccleſiaſtico. Sed & de illorum bonis, qui inteſtati decedunt, Epiſcopi Anglicani a pluribus ſeculis ſtatuunt. Quibus igitur legibus iſta Epiſcoporum autoritas nitatur, & quo tempore cœperit, inquirendum ſibi Seldenus ſumſit. Ac initio poteſtatem circa teſtamenta in intrinſecam & extrinſecam partitꝰ, illam quidem nec Pontificum canonibus, nec Romanorum civili jure Epiſcopis competere probat; hanc vero ipſis in Decretalibꝰ ex concilio quodam Moguntino aſſeri non diſſimulat, *extr. de teſtam. c. 6*; profano tamen jure apud Magiſtratum civilem ſemper, exceptis legatis in pios uſus, fuiſſe affirmat. Saxonum temporibus quid obtinuerit, non ſatis conſtat, ac monet Seldenus, eccleſiaſticam curiam cum temporali illa ætate unam eandemque fuiſſe, donec a Conquæſtore ſepararentur, quod ſe in *ſpicilegiis ad*

Eadmerum demonſtraſſe ſcribit. Henrico autem ſecundo imperante intrinſecam, ut vocat, jurisdictionem teſtamentorum ad curiam Chriſtianitatis pertinuiſſe, e Glanvilii cujusdam, qui illo tempore vixit, operibus declarat. Quod extrinſecam jurisdictionem concernit, eam fuiſſe ſub Henrico III ab Epiſcopis exercitam, compluribus exemplis docet. Sed cum non conſtet, qua ſanctione & hæc & illa libertas ad Clerum devenerit, concludit Seldenus, hanc partem Juris Epiſcopalis ad Conſuetudines Angliæ referendam eſſe, quæ Legis communis nomine veniunt. Hæc ita de eo, quod Epiſcopi circa teſtamenta poſſunt. Inteſtatorum bona ultimo loco Seldenus Saxonum inſtitutis a territorii domino quondam adminiſtrata fuiſſe, ex Canuti & Edwardi Confeſſoris legibus oſtendit. Nec a Normannis Regibus inde receſſum fuit uſque ad Johannem, qui cum ſatisfacere Regni proceribus privilegiorum confirmationem cum murmure exigentibus cogeretur, ſtantiũ tunc a ſua parte primorum Cleri fidem hoc ſtatuto, quod reliquis adjectum, ac poſtea quoque Henrici III Magnæ Chartæ inſertum fuit, remunerari voluit: *Si aliquis liber homo inteſtatus deceſſerit, Catalla ſua per manum propinquorum, parentum & amicorum ſuorum, per viſum Eccleſiæ diſtribuantur, ſalvis unicuique debitis, quæ defunctus ei debebat.* Atque ex eo tempore hanc a Johanne conceſſam poteſtatem, nemine unquam contradicente, Epiſcopi exercuerunt.

LA BESTE TRANSFORMÉ EN MACHINE, PAR J. Darmanſon.

hoc eſt:

Beſtia in Machinam commutata, Autore J. Darmanſonio

A. 1684, in 12.

CArteſianorum Philoſophorum communis opinio eſt, animalia bruta ſine ſenſu & cognitione agere, & omnino ſimilia eſſe machinis, quarum motus non ab intrinſeco principio, ſed a rotarum apta compoſitione dependet. Eam poſt alios, quos inter memorari meretur *Antonius le Grand*, defendere Vir quidam eruditus nuper ſuſcepit duabus diſſertationibus, quas in quibusdam colloquiis privatis Amſtelodami ante hac recitavit, & nunc publici juris facere voluit. Harum altera

altera peſtilentiſſimos errores recenſet, quibus Peripatetici primaria fidei Chriſtianæ capita inquinent, dum beſtiis animam cognitionis ac paſſionum capacem tribuant; altera ſententiam Carteſianam confirmat, omnesque brutorum actiones a ſola ſanguinis varia agitatione cieri oſtendit, juxta illud Scripturæ: *anima eorũ in ſanguine.* Prioris partis ſumma huc redit: ſententiam veterem, de brutorum animantium perceptione, injuriam eſſe in amorem atque gloriam eſſentialem DEI, dum bruta dominos quidem ſuos agnoſcere, ſed DEI nullum habere ſenſum affirmet; injuriam in omnipotentis Creatoris ſapientiam, dũ animam brutorum nobiliorem corpore fateatur, ad hujus tamen conſervationem unice ordinatam pronunciet; injuriam denique in DEI juſtitiam, dũ bruta doloris capacia eſſe admittat. Hinc enim ſequi, poſſe ipſa eſſe infelicia, cum tamen libertate agendi deſtituantur, adeoq; nec deficere a virtute, nec nocere delinquendo queant. Sed & argumenti cujusdam, quod pro immortalitate animarum noſtrarum, a functionibus, quas ipſæ obeunt, corpora autem obire nullo modo poſſunt, validiſſime urgeatur, vim ac nervum Peripateticorum illa doctrina elidi Autor demonſtrat. Idque dum facit, plura quidem a receptis vulgo ſententiis abeuntia proponit, de quibus ſe alio tempore fuſius acturum pollicetur. Parte altera opuſculi, quid de brutorum actionibus habendum ſit, ut dictum eſt, explicat. Orditur a diverſa notione corporis & ſpiritus. Deinde cauſam motuum, quos in corporibus obſervamus, inquiſiturus, poſt expoſitam *Malebranchii*, cujus tamen reticere nomen ipſi viſum fuit, de ideis doctrinam, animam noſtram non eſſe motionum corporis cauſam, niſi occaſionalem, ut vocat, & ſolam DEI voluntatem corporibus motum imprimere docet, qui per ſpiritus animales propagetur. Hinc brutini corporis ſtructuram & membrorum conformationem examinat, ac poſtremo potiores brutorum actus, qua ratione a ſolo ſpirituum curſu, ac vario cerebri impulſu pendeant, declarat. In quo quidem ipſe *Antonii le Grand* veſtigia ita preſſe legit, ut parum omnino novi propoſuiſſe videatur.

RECUEIL DE QUELQUES PIECES Curieuſes concernant la Philoſophie de Monſieur Deſcartes.

hoc eſt:

Collectio ſcriptorum quorundam curioſorum, concernentium Philoſophiam Carteſianam.

Amſtelodami apud Henr. Desbordes, 1684, in 12.

Ex quo Carteſianæ doctrinæ ſemina in aliquot Pariſienſium ſcholis ſe prodiderunt, data inprimis opera a Jeſuitis fuit, ut pro ea, qua hodie in regno pollent, autoritate naſcentem herbam mature opprimerent. Metuebant enim, ut eſt in præfatione huic opuſculo præfixa, Patres, tum ne fidei Romanæ capita detrimenti quid per hos Philoſophos paterentur; tum potiſſimum, ne juventus, quam hactenus ſemper numeroſiſſimam docuerant, relictis poſthac ſuis Seminariis, illuc ſe novitatis cupida reciperet, ubi Carteſii recentibus principiis initiaretur. Quid eo nomine ſex aut ſeptem abhinc annis actum fuerit, cognoſcere ex his opuſculis licet, quorum aliqua antehac quidem in Gallia typis excuſa ſunt, ita tamen ſuperiorum juſſu latuerunt, quaſi lucem nunquã adſpexiſſent. Bonam igitur eruditorum gratiam ſe initurum confiſus Editor doctiſſimus, ſi ita e tenebris ſcripta illa protraheret, recudi ipſa junctis aliis, quæ antehac viſa publice non ſunt, curavit. Addidit præfationem, quæ hiſtoriam rei geſtæ complectitur, & notitia neceſſaria lectorem, antequam legendis opuſculis operam navet, initiat. Ea igitur & nos, ſicubi opus fuerit, in hac relatione utemur.

Primum opuſculum acta continet, quibus inter Jeſuitas & Patres Oratorii Pariſienſis de abolendo Janſeniſmo, & exterminandis Carteſii dogmatibus convenit. Speciatim illic exprimitur, quid legi docerique, cum a Theologis, tum a Philoſophis debeat. Annotationes ad hæc acta ſecundum occupant locum. Illarum autor libere quantum Jeſuitæ in regno præter meritum poſſint, & quantum Patres Oratorii, qui, quod doctrina atque ingenio palmam eripere Jeſuitis velle, nec iisdem ſemper opinionibus duci viderentur, odium capitale incurrerant, injuſte ab ipſis paſſi ſint, exponit. Quæ inde ſequuntur, oppoſita ſunt Jeſuitæ cuidam Cadomenſi, qui ficto nomine anno 1680. peculiari ſcripto oſtenderat, *Carteſii ſententiam de eſſentia corporis oppugnare doctrinam Eccleſiæ Romanæ, & conformem eſſe erroribus Calvini in articulo de Euchariſtia.* Hortatus eo nomine fuerat Regem Galliæ, omnemque clerum, ut malo quotidie latius ſerpenti mederentur,

tur, ac edicto caverent, ne exinde amplius ſcholarum moderatores Carteſii dogmata juventuti propinarent. Reſpondet igitur Jeſuitæ tertio in ordine ſcripto Dn. Bernerius, celebris Gaſſendi diſcipulus, cujus in Actorum ſuperioris anni menſe Novembri p. 472 ſqq. mentionem fecimus. Atque ut doceat, Carteſii doctrina Transſubſtantiationis myſterium minime everti, facta extenſionis in veram & apparentem diſtinctione, ſtatuit, in S. Cœna panis apparentem remanere extenſionem, utut perierit realis, corporis autem Chriſti veram ibi eſſe, utut in ſenſus non incurrat. Ne vero quis regerat, nos hac ratione falli ipſo DEO autore, cui tamen omne mendacium ſit abominationi, deducit Bernerius verbis D. Thomæ, licet ſenſus noſtri fallantur, nos tamen ipſos falli non poſſe, quum de myſterio in verbis illis: *hoc eſt corpus meum*, admoneamur. Quarto opuſculo clariſſimus Malbranchius a crimine erroneæ in fide Romana doctrinæ, quod Jeſuita ipſi objecerat, ſe purgat: ſimul & Carteſianæ de proprietatibus corporis ſententiæ meminit, eamque cum decretis Tridentinis conciliare nititur. Annectit defenſioni ſuæ chartam, quam ſibi ab amico miſſam ſimulat, de poſſibilitate Tranſſubſtantiationis. In ea demonſtratur, poſſe a Deo eandem extenſionem, adeoque idem corpus, in pluribus locis produci, & poſſe eandem extenſionem ad punctum aliquod minimum redigi, inque eo conſervari. Quintum opuſculum Sedanenſis cujusdam Profeſſoris eſt, in quo *Ludovicus de la Ville* (id eſt fictum Jeſuitæ nomen) e principiis Philoſophicis refellitur, & differentia, quam inter corpus & ſpiritum Carteſiani ponunt, prolixe declaratur. Accedunt ejusdem Autoris theſes quædam philoſophicæ, de difficilioribus variarum diſciplinarum controverſiis. Ultimum opuſculum meditationes decem continet, quæ velut aditum ad Carteſianarum meditationum obſcurius volumen probe intelligendum parent. Nomen Wilhelmi Wanderi fictum eſſe doctiſſimus Editor ſuſpicatur, latereque ſub eo quendam Malbranchii diſcipulum, qui paſſim magiſtri ſui aſſerta propugnando, haud obſcure ſe prodat.

KABBALÆ DENUDATÆ
Tomus ſecundus,

id

Digitized by Google

id est,

Liber Sohar Restitutus.

Francofurti ap. Joh. Davidem Zunnerum, 1684, in 4.

QUum inter Judæos summa sit libri Sohar autoritas, quippe quo solo abstrusa fidei suæ mysteria contineri arbitrantur, haud sane frustra laborem Vir Perillustris insumsit, qui spissum ac difficillimum opus intelligere, quibus ab aulæ negotiis vacare licebat, horis sedulo annisus est, jamque ad communem omnium usum integram libri illius versionem in se suscepit. Neque enim posthac misera gens habebit, cur jactet, religionis cultusque sui rationem Christianos latere, cum viderit, e nostris esse, qui illuc penetraverint, quo paucis admodum ex ipsis pervenire contingit. Septem anni sunt, quum Apparatus ad studium Cabbalæ Ebræorum prodiit, qui ea complectitur, quæ ad elementa illius doctrinæ imbibenda faciunt, & quæ nosse necesse est, ut quis absque impedimento progrediatur. Eum hoc anno Tomus alter operis excepit, de quo pauca hic commemorare instituimus. Præmittitur erudita præfatio, quæ de Simeone Jochaide, quem composuisse librum Sohar fama est, de materia, forma ac fine libri quamplurima egregie disserit, nonnulla de consilio Autoris addit; quibus jungi merentur, quæ Apparatus parte secunda de utilitate Cabbalæ ex epistola quadam excerpta sunt, & postremo Judæos tolerari omnino in Republica Christiana posse, aliquot argumentis evincit. Tomus ipse in tres partes divisus est, quarum prima duos tractatus Ebraicos Latinitate donatos exhibet, illis viam sternentes, qui palatium Arcanorum ingredi cupiunt. Dixerat alicubi Autor, librum Sohar dogmata quædam vulgaria sublimioribus miscere, ac cum quamplurima ænigmatibus involuta tradat, nonnulla vicissim planissime enunciare. Duorum igitur Tractatuum illorum alter ad acroamatica, alter ad exoterica introducit. Pars secunda primum tres libellos sistit, totius Cabbalæ compendia, quæ in opere Soharistico continentur, ac reliquis tractatibus præponi tanquam generales debent. Conjunxit vero Autor cum textu Ebraico non accurate quidem, ut fatetur, sed Judæorum more punctato, versionem perspicuam, & quoties opus visum fuit, interpretationem. Sequuntur deinde duo Commentarii, alter in librum Zeniutha e manuscripto cujus-

jusdam Vitalis, alter generalior, quo & Zeniutha, & Idra Rabba, & Idra Suta R. Naphthali Hirz explicare aggressus est. Denique tres discursus brevissimi, qui ad præfationem libri Sohar pertinent, exhibentur. Illis & Commentarius Loriensis, & annotationes quædam e Sohare Chammah annexæ sunt. Tertia parte appendicis loco, Ebræorum doctrinam de spiritibus creatis e libro, cui nomen Beth Elohim, & manuscripto ad opera Loriensia pertinente, Autor proponit, quoniam, ut ipse ait, *hæc ignorari non possunt ab iis, qui quomodocunq; de conversione Judæorum cogitant.* De cætero quum perillustris Vir in versione Sohariſtici textus se perrecturum, & publici juris facturũ Manuscripta quædam a Judæis æstimatissima promittat, par est equidem, ut omnes, quos horum studiorum amor tenet, vires ipsi, firmamque sanitatem, in cujus discrimen se hoc labore adductum inquit, apprecentur.

TRAITÉ DE LA CIRCULATION DES ESPRITS animaux, par un Religieux de la Congregation de S. Maur.

id est,

De Circulatione Spirituum animalium Tractatus, auctore Religioso quodam Congregationis S. Mauri.

Paris. apud viduam Ludov. Billaine, 1681, in 12.

QUemadmodum hypothesin de circulari sanguinis motu ab omnibus sanioris mentis Philosophis ac Medicis receptam, & infinitis experimentis atque ratiociniis confirmatam novimus: sic Religiosus præsens anonymus Circulationem spirituum animalium, quam *Segerus* v. gr. & *Sylvius* quasi per transennam jamdum conspexerant, asserere & explicare contendit, i. e. moveri eos a Cerebro per Nervos ad partes, ab his per vasa Lymphatica ad Venam Subclaviam & Cor, hinc per arterias Carotides & Plexum Choroideum ad Glandulam Pinealem & ad Ventriculos Cerebri anteriores tres, per porositatem vero hujus denuo ad Nervos.

Quod dum præstat, supponit in Plexibus Choroidibus cerebri produci, & in Glandula Pineali depurari fluidum quoddam aereum, simulque flammeum, quod ad Nervos delatum, nomine Spirituum Animalium, sensuum & motuum cunctorum in corpore nostro existat

 autor

autor. Hoc vero fluidum ſ. ſpiritus animales neceſſario circulari debere, i. e. ad principium ſuæ emanationis reverti, probat, 1. a continuo & nunquam interrupto ſanguinis ad ἐγκέφαλον appulſu, quo ſtante illorum plures intra horam generentur, quam toti nervorum ſyſtemati inexiſtant, adeoque neceſſario ad principium redeant, cum locus alius in quem ſecedant, iis concedatur nullus. 2. a calore totius corporis, quem non minus ſpiritus animales ac ſanguis perennem reddant: quod tamen fieri haud poſſet, niſi pariter, ac ſanguis effœtus in corde, hi in cerebro novo lumine & calore imprægnarentur. Quoniam vero *Th. Bartholinus* hanc doctrinam duobus præprimis argumentis concutere videbatur, ſc. quod nervi a ligatura non intumeſcant, nec in illis tactu ſyſtolen aut diaſtolen obſervare liceat: hæc per texturam ſolidiorem atque compactiorem declinare ſatagit, potisſimum cum motus ſpirituum per nervos, ſanguinis arterioſi appulſu tranquillior longe, ſimilisque venoſi undulationi ſit. Hinc Lympham ab extremitatibus corporis ad Cor recedere probat, & contra *H. Regium* prolixius defendit; quod quidem cum ſemper & ſine ullo quoque intervallo contingat, Lympham pariter circulari concludit, tandemque infert, continuum inter fluidum Nervorum & Lymphaticorum vaſorum motum eſſe, i. e. ſpiritus animales per nervos & Lymphatica vaſa circulari. Quod 1. horum ſubſtantia aerea in aquam circa nervorum extrema capillaria facile converti posſit ac convertatur. 2. aqua hæc ſeu aer condenſatus a Lymphaticis vaſis excipiatur, quatenus nulla alia præter hæc in corpore obſerventur, ab omnibus corporis extremitatibus eadem exoriantur, hinc guttulis ſeu rori illi excipiendo maxime adæquata exiſtant. 3. Nervis minora exiſtant, quod fluidum non vaporoſum, ſed condenſatum magis vehant; 4. illorum Liquor limpidisſimus omnisq; coloris atq; odoris expers, acidulus tamen, obſervetur; 5. nulla alia ipſius queat demonſtrari ſcaturigo, quatenus non ſit reſiduum nutrimenti partium, ut Bartholinus ſuſpicatus fuit, nec a Venis, nec ab Arteriis, nec Muſculis prodeat. Ut reliqua taceamus phænomena animalia, quibus eundem ſpirituum animalium per Nervos & vaſa Lymphatica Circuitū ſtatuminare annititur, hinc inde intermiſcendo paradoxa: v. g. quod Vaſa inteſtinorum Lactea nil niſi Lymphatica ſint; in ventriculo ex alimentis duplex chyli genus, a duplici ſeu quadruplici potius, diſſolvente præparetur, quorum ſubtilius ex eodem partim per vaſa Lactea

ctea

ctea (ventriculo propria) ad Receptaculum Lumbare, partim per Vas Breve venoſum ad Lienem, partim per Venam Gaſtriam ad Epar craſſius, pro alia quadam adhuc digeſtione, a duplici quoque menſtruo ſc. prancreatico & bilioſo, ſuſtinenda, ad Inteſtina amandetur; ubi in partes ſubtiliores ſeu chyloſas, & craſſiores ſeu fœculentas, ſecedat, quarum illæ tam per vaſa lactea nominatum Receptaculum *Pecqueti*, quam per venas meſaraicas jecur ſubintrent, ut in hoc ſanguinis naturam induant, in illo vero ulterius digeſtæ cordi inſtillentur, & ab hoc magis exaltatæ ſpirituum animalium materiam proximam conſtituant.

De cætero in Epiſtola præliminari difficultates quasdam a nonnemine, cujus cenſuræ hoc Scriptum, antequam prælum experiebatur, expoſuerat, motas declinare ſatagit, ſpe fretus, aliorum quoque objectionibus, ſi quæ futuræ, ſe ſatisfacturum.

BIBLIOTHEQUE CHOISIE DE M. COLOMIES;
id eſt:
Bibliotheca ſelecta Dn. Colomeſii.
Rupellæ, 1682, in 8.

Hiſtoria librorum quantum conferat ad omnis generis doctrinas percipiendas, nemo vel mediocriter ſapiens neſcire poteſt. Itaque non defuerunt, quamdiu literarum humaniorum aliquis amor, cultusque fuit, qui eam tractarent, alio quidem alii modo & ſucceſſu. Crevit labor hic nobiliori cum fructu, in regionibus Europæ, quæ poſt Græcos & Romanos literarum ſtudia ſerius amplexæ, moram temporis legendi ſcribendique ardore compenſarunt; multum vero facilior fuit poſt inventam artem Typographicam. Sed cum res utiliſſimas abuſus illico conſequi ſoleat, mirari non debemus rei literariæ fatum, auctis in immenſum libris, & ad ſcribendum accedentibus hominibus, quos tacuiſſe vel ipſorum honoris, vel publicæ utilitatis, imo & ſalutis hominum intererat. Quid enim non ſcriptum divulgatumque eſt, per duo hæc ſecula, ut ita dicam, Typographica, in Deum & religionem impium, in mores noxium, veritati adverſum? quam inepto tandem pruritu deſcripta, exſcripta & recocta ſunt, ab aliis dudum & ſæpe & melius ſcripta? Tanta denique moles librorum cumulata, ut qui nume-

Digitized by Google

rum eorum inire, aut de autoribus judicium ferre velit, Neſtoris ætate opus haberet, neque ſic tamen ex infinito labore ſeſe expediturus, cum etiam ſcribenti de libris, indies novi ſubnaſcantur, qui laborantem obruant, quantumcunque induſtrium. Itaque non poſſunt non eſſe imperfectæ librorum & bibliothecarum hiſtoriæ, ſive deſcriptiones. Neque tamen deterreri debent viri docti, quin ſtudium adhibeant, ut libri qui prodeunt, cum judicio indicentur, ea inter alia fini, ut ex infinita illorum farragine ſelectus fieri poſſit; commendatis vel notatis, prout utilitate aut noxa cæteris eminent. Inter hos non contemnendam operam præſtare cœpit autor hic, *Paulus Colomeſius Rupellanus*, eruditionis atque induſtriæ ſuæ ſpecimen inſigne exhibens, in libello hoc utut brevisſimo, & nonniſi centum librorum hiſtoriam referente. Eorum ſelectum ſuo arbitrio fecit, nullo, qui appareat, materiarum ordine obſervato: editiones tamen optimas notavit, & ubi epicriſin addit ea uſus eſt moderatione, ut neque ſectæ ſtudia facile detegat, neque de maledicentia querendi anſam cuiquam præbeat, etſi errores aliquando non reticeat. Sed cum liber ipſe, ut diximus, brevis ſit, & paucarum horarum tempore legi poſſit, non eſt ut prolixi in excerpendo illo ſimus. Optamus potius, ut laborem ſuum continuet Autor doctiſſimus, utque ſit, qui Gallice ſcripta Latine vertat, niſi ipſe hac lingua inpoſterum uti malit, ſicut uti illa in *Gallia Orientali* Hagæ Comit. anno 1664, & *Opuſculis* Ultrajecti anno 1669 editis, ſcriptisque aliis non dubitavit. Unum atque alterum ſaltem locum, ſpeciminis & movendi ad lectionem deſiderii cauſa annotabimus. *Pag. 31.* inſeritur epiſtola Viri nuper ob doctrinam & humanitatem celeberrimi, *Capellani*, ad Colomeſium anno 1668. ſcripta, in qua refertur, quomodo ex *Abbatia Fontebaldenſi* prope *Salmurium*, chartæ quædam pergamenæ, neglectæ & laceræ, ad mechanicum uſum venditæ fuerint, in quibus ex Livii decadibus deperditis *octava, decima & undecima*, quædam legi potuerint; unde ſperari poſſe videatur, fore ut aliquando eruantur, quæ orbis literatus deſiderat, & quæ fruſtra in Bibliotheca Ottomannica quæſiviſſe ſe narrat *Petrus de Valle*. Nihil tamen hac occaſione dicitur, de Græco illo, qui paucos ante annos Lutetiæ obtuliſſe Regi integrum Livium perhibebatur. *Pag. 89.* cum Scaligero, adverſus opinionem *V. clariſſimi Ezech. Spanhemii*, ſtatuitur reperiri omnino nummos, in quibus *Cleo-*

Digitized by Google

Cleopatræ, notiſſimæ Ægypti Reginæ, adſcribitur cognomen ΩΣΣΑΝ-ΣΩΤΗΡΑ. Hoc verum eſſe, confirmare poſſumus ex ſcriniis aulæ cujusdam Illuſtriſſimæ; nec indocta eſt Autoris conjectura de interpretatione vocis, de qua alii deſperarunt: docet enim ex Plutarcho *de Ir. & Oſir. Oſſan* apud Ægyptios *plures* ſignificare. Id ſi verum eſt, eademque vox *univerſos* aut *populum* ſignificare potuerit, ſenſu non incommodo interpretanda eſſet: *ſervatrix populi.*

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CAPITA, & in loca ejusdem inſignia diſſertationes hiſtoricæ, chronologicæ, criticæ, dogmaticæ, autore R. P. F. Natali Alexandro Ord. Fr. Præd. Sacræ Facultatis Pariſienſis Theologo &c. Seculi XI & XII pars ſecunda.

Paris. apud Ant. Dezallier, 1683, in 8.

POſt Romanorum pontificum, conciliorum, hæreticorum, ſcriptorum eccleſiaſticorum, nec non politiæ & diſciplinæ eccleſiaſticæ hiſtoriam, prima 11 & 12 ſeculi parte, de qua menſe proximo Majo pag. Act. 221 ſqq. diximus, contentam, Autor in ſecundi hujus voluminis frontiſpicio Imperatorum Orientalium & Occidentalium, nec non Regum Franciæ, Hiſpaniæ, & Angliæ ad duas has annorum centurias ſpectantium, vitam & res geſtas breviter enumerat, & ſic abſoluta 11 & 12 ſeculi ſynopſi, pro more inſigniora ejus capita ſelectis nonnullis diſſertationibus illuſtrat. Earum prima circa *Berengarium* occupatur, cujus patriam, ingenium, ſtudia, mores, errores, adverſarios, verſutiam, inconſtantiam, multiplicem in variis conventibus & conciliis condemnationem, & finalem pœnitentiam (quæ veterum membranarum Laureacenſium, *Clarii Floriacenſis*, *Hildeberti Cenomanenſis*, cujus epicedium in laudes defuncti Berengarii profuſum ſubjicitur, *Wilhelmi Malmesburienſis* aliorumque ſcriptorum, nec non Canonicorum Turonenſium Berengario quotannis juſta perſolventium, & pſalmum *de profundo* pro ejus requie canentium, fide aſſeritur) ex Autoris anonymi a *Chiffletio* editi, *Johannis Mabillonii* & *Franciſci de Royos* de Berengario diſſertationibus aliisque autoribus exponit. Ubi inter alia obſervat, erraſſe *Gerſonium*, cum Andegavenſem

hunc Archidiaconum & Sacramentariorum parentem *Petri Abælardi* diſcipulum fecit, eumque cum *Berengario Pictavienſi,* qui pro Abælardo præceptore ſuo apologiam ſcripſit, confudit; nec minus hallucinari *Papyrium Maſſonum*, cum libr. 4. de epiſcop. urb. in Nicolao II, Berengarium ex libro *Joſephi Albonis* Judæi de fundamentis legis Moſaicæ, errorem ſuum hauſiſſe exiſtimat, cum Joſephus Albo librum ſuum trecentis fere poſt Berengarium annis ſcripſerit, nec dubium videatur, quin potius Berengarius ex *Johannis Scoti Erigena* ſcriptis putidas ſuas ſententias imbiberit, cujus librum de Euchariſtia in ſynodo Vercellenſi & Pariſienſi proſcriptum, & in concilio Romano, quod ſub Nicolai II. Pontificatu celebratum eſt, ab ipſo Berengario palinodiam ſimulante flammis traditum, ex *Lanfranco Durando Troarnenſi*, aliisque autoribus commemorat. Neque præterit, quod de Scoti libris inter *Aſcelinum* Ord. Bened. monachum, & Berengarium, per literas ultro citroq; miſſas, actum diſputatumque fuerit. Cæterum Orthodoxus lector facile deprehendet, ab Autore hujus diſſertationis inter Berengarii errores perperam referri, quod panem & vinum in carnem & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter converti negaverit. Rectisſime enim id ab eo factum; verum in eo lapſus eſt, quod dum transſubſtantiationis dogmati ſe oppoſuit, nimis ad alterum extremum abreptus ipſam quoq; Carnis & Sanguinis Chriſti in S. Cœna præſentiam negavit.

Altera Diſſertatio gravisſima diſſidia inter *Gregorium VII.* & *Henricum IV.* agitata diſcutit, in qua etſi Henricum juſte excommunicatum Autor aſſerat, Gregorio in plerisq; æquior, & Pontificis Romani fimbrias juſto latius extendens, probare tamen minime poteſt, quod Gregorius Imperatorem exautorandi, & quantum in ipſo fuit regno privandi poteſtatem, contra Patrum doctrinam ipſumque Dei verbum ſibi arrogaverit. Adductis igitur plurimis contra facti illius inſolentiam argumentis & teſtimoniis, poſtea, ne quid deeſſe videatur, ad rationes, quibus Gregorius VII poteſtatem Reges exautorandi, & ſubditos a juramento fidelitatis abſolvendi, Romano Pontifici competere in epiſtola ad *Hermannum Metenſem* probare conatus eſt, reſpondet, minime dubitans, Gregorium VII falſis documentis, ab eo, qui ipſi ab epiſtolis fuit, undiquaq; corraſis, in errorem induci potuiſſe, cum præſertim omnia rationum momenta, quibus ſententiam ſuam ſtabilire nititur, accurato judicio perpendere per otium ipſi non licuerit. Ex quo præcipitis judicii

Digitized by Google

judicii fonte, Alexander noſter plurimos errores in illa Gregorii VII ad Hermannum Metenſem epiſtola obvios derivat, quibus ordine recenſitis paucos admodum fuiſſe notat, qui Gregorii VII factum ejusve defenſionem approbaverint, & hos quidem non melioribus rationibus, quam ipſum Gregorium pugnare judicat: eos autem, qui Henricum tuendum ſuſceperunt, etſi ſchiſmatis contagio pollutos, vel eo tamen nomine laude dignos cenſet, quod Domini ſui majeſtatem & jura rationibus ac argumentis Sacræ Scripturæ, traditioni, omniumque ante Gregorium VII Pontificum exemplo conſentaneis vindicaverint, quorum pondera ne Gregorius ejusque aſſeclæ ſentirent, humani ingenii tenebras, præconceptam opinionem, & Henrici tyrannidem & flagitia obfuiſſe arbitratur. Refert præterea novum illud, & tot a Chriſto nato ſeculis inauditum facinus, totum fere orbem Chriſtianum pro irrito ac invalido habuiſſe, & Henricum inſuper habita Gregorii cenſura pro Imperatore agnitum fuiſſe, quod plurimis ejus rei monumentis comprobat. Cumque Autor noſter, ut ex dictis abunde patet, ab opinione illa, quæ Pontifici Romano poteſtatem in temporalia regna tribuit, tantum abhorreat, haud mirum videri debet, quod *Thomæ* ſuo, Angelico illi, ut vulgo dicitur, Doctori invidioſam hanc ſententiam a *Perronio* aliisque præter meritum tribui, jam pridem in epiſtola ad *Franciſcum Mabeum de novis Launoji contra Summam S. Thomæ objectiunculis* probare niſus eſt, eamque cauſam nunc denuo agere, nec inutile nec faſtidioſum exiſtimavit. Ac ne quis contra Henricum Gregorii VII ſanctitatem in Romano martyrologio celebratam objiciat, reſpondet eam eſſe humanæ infirmitatis conditionem, ut ſancti quoque viri quandoque in errores impingant, & zelo immodico abrepti ab æquitatis tramite deflectant. Tandem igitur omnibus modis ratam eſſe cupit declarationem Facultatis Pariſienſis a. 1663. editam, & data occaſione ſemper propugnatam & vindicatam, quam ſe cæterosque Facultatis ſocios non ſolum atramento, ſed etiam profuſo, ſi opus foret, ſanguine ſubſcribere paratos profitetur.

In tertia Diſſertatione, cum *Johanne Launojo* in epiſtola ad *Antonium Faurum*, articulos illos ſeptem & viginti, qui *dictatuum* nomine veniunt, *Gregorio VII* ſupponi, contra *Chriſtianum Lupum, Baronium*, & alios, qui dictatus illos hoc Dictatore non indignos, nec ab ejus ingenio alienos agnoverant, evincere conatur, non aliam, ut videtur,

detur, ob cauſam, quam ut ea, quæ articulis illis continentur, eo tutius & liberius confutare poſſit.

Quarta diſſertatio *inveſtiturarum* originem, & qualis earum ſtatus ante Gregorii VII. Pontificatum, in Germania, Gallia & Anglia fuerit, explicat, & quantus continuarum turbarum & certaminum, quæ exinde nata ſunt, tumultus univerſum occidentem agitaverit, dum ab una parte Imperatores & Reges Chriſtiani, ac inter eos maxime *Henricus* IV. & V. jus Epiſcopos & Abbates per baculum & annulum inveſtiendi, manibus ſuis extorqueri non permitterent; ab altera vero parte *Gregorius* VII, ejusque ſucceſſores *Victor* III, *Urbanus* II, *Paſchalis* II, *Gelaſius* II, & *Calliſtus* II, pro abolenda inveterata conſuetudine, & abſoluta poteſtate ſibi acquirenda omnem lapidem moverent, nec acquieſcerent, donec ſubjugatis Principibus in *Concilio Lateranenſi* I, cujus acta & canones duobus poſtremis diſſertationis hujus capitibus continentur, voti ſui compotes fierent, exponit, & hos Romanorum Pontificum auſus tanquam juſtos & legitimos defendit; cum inveſtiturarum uſus Henrico IV. imperante in tyrannidem variosque abuſus degeneraverit, & eccleſia conceſſa ſibi poteſtate adverſus Reges in jura ſua involantes uti potuerit debueritque. Neque tamen Autor in *Brunonis* Signini, *Guidonis* Viennenſis aliorumque, qui inveſtiturarum conceſſionem, vel uſurpationem & defenſionem, Henricianæ hæreſeos nomine infamarunt, ſententiam concedit, ne Paſchalem II, qui captivitatis pertæſus, inveſtiturarum privilegium manu ſua ſubſcriptum, annuloque Pontificio obſignatum Henrico indulſit, idque juramento & diris execrationibus confirmavit, inter hæreticos numerare cogatur; quamvis ipſe Paſchalis hanc hæreſeos notam ſibi inuſſerit, cum poſtea pactorum cum Henrico initorum parum memor, decreta ſynodi Viennenſis, quæ inveſtituram epiſcopatuum & abbatiarum de manu laica hæreſin eſſe judicavit, ſine exceptione rata habuit; quod Autor noſter fateri cogitur, hoc effugio contentus, quod Paſchalis forte hæreſeos nomen minus proprie & latiori quadam ſignificatione a Patribus ejus concilii acceptum intellexerit.

Quinta diſſertatio circa duas epiſtolas, *Roberto de Abriſello* inſcriptas verſatur. Una eſt *Giffidri Vindocinenſis*, quam *Bollandus* in commentatio prævio ad vitam Roberti, & *Johannes a Manu Firma* Fontebraldenſis monachus in diſſertatione duplici de epiſtola contra B. Ro-

Digitized by Google

TAB: IX. ad A: 1684. pag: 319.



Robertum conficta, ſub Goffridi Vindocinenſis nomine a *Roſcelino* hæretico compoſitam ſtatuerunt, quorum rationes Alexander noſter diſcutit, & nullius eſſe ponderis demonſtrat, prædictum Johannem a Manu Firma graviter reprehendens, quod *Jacobum Sirmondum*, qui eam epiſtolam una cum reliquis Goffridi Vindocinenſis operibus fideliter edidit, impietatis & imprudentiæ poſtulare minime dubitaverit. Alteram vero epiſtolam, quæ ſub *Marbodi Redonenſis* nomine ad Robertum de Arbriſello ſcripta circumfertur, cum reliquis ejus operibus excuſam, mendaciis & calumniis ſcatere judicat, nec graves conjecturas deeſſe ſtatuit, quæ autorem illius epiſtolæ dubium faciant.

Sextæ diſſertationis, quæ ſecundum hoc undecimi & duodecimi ſeculi volumen claudit, argumentum eſt *Concilium Lateranenſe II*, ab Innocentio II convocatum, cujus hiſtoriam Autor ad tria capita revocat, quorum primo ſchiſma *Petri Leonis* recenſetur, ſecundo *Petrobuſiani* & *Arnaldiſtæ* denuo damnati perhibentur, tertio canones ad inſtaurandam diſciplinam eccleſiaſticam conditi referuntur, nonnulli etiam, ut decimus de decimis, undecimus & duodecimus de treuga & pace, decimus tertius de uſuris, & decimus ſextus de beneficiis hæreditariis, collatis Patrum dictis & aliorum conciliorum decretis illuſtrantur.

DEMONSTRATIONES NOVÆ DE RESISTENTIA Solidorum, autore G. G. L.

SCientia Mechanica duas videtur habere partes, unam de potentia agendi ſeu movendi, alteram de potentia patiendi ſeu reſiſtendi, ſive de corporum firmitate. Harum poſterior a paucis admodum tractata eſt. Archimedes, qui prope ſolus veterum Geometram in Mechanicis egit, hanc partem non attigit. Inde ab Archimede nihil fere actum eſt in Geometria Mechanica usque ad Galilæum, qui exacto judicio magnaque interioris Geometriæ notitia inſtructus, pomœria ſcientiæ protulit primus, idemque ſolidorum reſiſtentiam ad Geometriæ leges revocare cœpit. Et quanquam neque hic, neque circa motum projectorum rem acu tetigerit, uſus hypotheſibus non ſatis certis, ex fundamentis tamen poſitis recte ratiocinatus eſt. Sic ergo ille ſentit de reſiſtentia trabium, quæ muris vel parietibus infigun- TAB IX.

tur. *In figuris 1 & 2* Trabs ABC normaliter infixa sit muro vel sustentaculo DE. Sit AC æqualis ipsi AB, & in *fig.1* sit in C appensum pondus F, quod trabem horizontalem præcise avellere possit a muro erecto; & in fig. 2. pondus G, quod trabem verticaliter avellere præcise possit a sustentaculo horizontali (quorum prius vocabo *transverse abrumpere*, posterius *directe evellere*) erit secundum Galilæum pondus F dimidium ponderis G, posito solidum esse perfecte rigidum seu nullius flexionis capax, & pondus ipsius trabis negligi, vel in pondus appensum jam computari. Nam quia AB & AC æquales, ideo pondus F *in fig. 1.* eandem inveniet resistentiam in puncto B, ac si perpendiculariter traheret, ut in *fig. 2.* Resistentia ergo puncti B in utraque figura repræsentetur per BK; itaque resistentia puncti H *in fig. 2.* repræsentabitur per HL, æqualem ipsi BK; quia in *fig. 2.* omnium punctorum resistentia eadem. At resistentia ejusdem puncti H *in fig. 1.* repræsentabitur per HM ordinatim applicatam trianguli ABK, quia est ad resistentiam ipsius B, ut AH ad AB, ex natura vectis. Idemque quod in puncto H fecimus, faciendo in puncto alio inter A & B quocunque, complebitur pro repræsentanda resistentia in *fig. 2.* quadratum BC, & pro resistentia in *fig. 1*, triangulum ABK, illius quadrati dimidium. Itaque pondus F si ponatur huic resistentiæ in fig. 1. præcise par, ita ut quantulocunque pondere adjecto eam vincat, etiam ponderis G (illi resistentiæ in fig. 2. præcise paris) dimidium erit. Seu potentia abrumpendi transverse erit dimidia (*ostendemus mox revera non esse dimidiam, sed tertiam partem*) potentiæ evellendi directe. Unde jam multæ conclusiones practicæ deduci possunt.

Has autem aliasque id genus Galilæi sententias Paulus Wurzius, summis militiæ honoribus rebusque gestis non ita pridem clarus, idemque horum studiorum valde intelligens, experimentis compluribus sumtis examinare olim aggressus est, successu quibusdam conclusionibus parum respondente: quemadmodum habeo a Cl. Blondello in his aliisque studiis eximio, Serenissimi Delphini nuper in Mathematicis Magistro, & Academiæ Architectonicæ directore, qui idem argumentum excoluit, & Wurzio familiaris fuit; sed & Cl. Mariottus ex Academia Regia, de rebus opticis & mechanicis præclare meritus, experimentis factis comperit, pondus F multo minus quam voluit Galilæus, ad abrumpendam trabem sufficere. Cujus causa nulla alia esse

potest,

poteſt, quam quod is trabem conſideravit ut perfecte rigidam, quæ uno momento tota abrumpatur, ubi reſiſtentia ejus ſuperata eſt, cum tamen omnia corpora, quæ nobis tractare datum eſt, nonnihil cedant, antequam divelli poſſint. Unde Cl. Mariottus hoc obſervans ingenioſo calculo collegit, pondus F eſſe circiter quartam partem ponderis G. ſed cum inde data mihi eſſet occaſio rem conſiderandi profundius, & ad leges *Geometrarum* exigendi, veras tandem proportiones erui, demonſtravique inter alia pondus F fore tertiam partem ponderis G, & proinde firmitatem corporum rupturæ reſiſtentium in ſesquialtera proportione minorem eſſe, quam voluit Galilæus.

Quod ut intelligatur, ante omnia ſciendum eſt, corpora duo cohærentia non ſtatim uno momento a ſe invicem tota divelli; quod judicari poteſt exemplo baculi, qui flectitur antequam frangatur, & exemplo chordæ, quæ extenditur, antequam rumpatur; & ipſa flexio baculi eſt quædam extenſio in convexa ejus ſuperficie. Nihilque tam rigidum eſſe, quin levi etiam impulſu flectatur nonnihil, ex natura ſoni ſequitur, qui tremor eſt quidam, ſive flexio reciprocata partium corporis ſonantis, licet eo promtior atque inſenſibilior ſit reſtitutio acutiorque ſonus, quo partes tremulæ ſunt breviores & magis tenſæ, corpusq; durius conſtituunt. Vitrum ipſum flexile eſſe probant filamenta ejus longa & tenuia; quomodo vitrum ſatis craſſum frigore contrahatur, experimenta *Florentina* oſtendunt. Partes quidem plantarum & animalium quodammodo textiles eſſe, & ex filamentis varie implicatis conſtare, ſenſu ipſo docemur. Mineralia quoque & metalla cum fluida eſſent, poſtea congelata ſunt, & eadem nunc quoque habere tenacitatem & in fila duci, malleoque extendi, atque in fuſione adhæreſcere patet. Conſideremus ergo velut fibras quasdam quæ partes corporum connectant, & intelligamus trabem B C parieti vel ſuſtentaculo DE plurimis fibrarum plexibus alligari in punctis A, H, B, & aliis intermediis innumeris. Appenſo jam pondere F, movebitur nonnihil trabs circa fulcrum A, in *fig. 3.* & punctum trabis B a pariete diſcedens a puncto parietis 1 B, veniet ad punctum a pariete diſtans 2 B, ſecumq; trahens fibram qua parieti annectitur, eam tendet inſtar chordæ, ſive ultra naturalem ſuum ſtatum extendet in lineam 1 B 2 B: eodemque modo punctum H fibram ſuam tendet in 1 H 2 H, quæ lineæ licet revera ſint inſenſibiles, tamen docendi cauſa viſibiliter exhibentur

bentur, & quidem fibris 1 H 2 H minus resistet trahenti, quam fibra 1 B 2 B, idque in duplicata ratione distantiæ ab A, seu ex duplici capite a distantia sumto. Nam *primo* pondus in C, quo opus esset ad tendendam fibram 1 H 2 H tantundem, quantum fibram 1 B 2 B, foret minus pondere requisito ad tendendam fibram 1 B 2 B, in ratione A H ad A B: verbi gratia si A H sit tertia pars ipsius A B, tunc & pondus in C, quod solam fibram 1 H 2 H ita extendere potest, ut fiat æqualis ipsi 1 B 2 *B*, erit tertia pars ponderis tendentis solam fibram 1 *B* 2 B. Verum nunc *secundo* cum ambæ simul tenduntur a pondere appenso in C, utiq; fibra 1 H 2 H non est tantum tensa quantum fibra 1 B 2 *B*, sed multo minus, idque rursus in ratione AH ad AB. nam si AH sit tertia pars ipsius AB, erit 1 H 2 H tertia pars ipsius 1 B 2 B. Itaque (ex hypothesi alibi confirmata, quod extensiones sint viribus tendentibus proportionales) ad eam ita tendendam tertia tantum ponderis parte opus erit, qua ad eam, tantundem quantum 1 B 2 B, tendendam opus fuisset; id est tertia parte tertiæ partis ponderis ipsam 1 B 2 B tendentis seu parte ejus nona. Itaque generaliter in hac simultanea tensione omnium fibrarum ad quævis puncta existentium, resistentiæ in quolibet puncto erunt in duplicata ratione distantiarum a fulcro imo, seu centro vel axe librationis, sumtarum; id est resistentia in H erit ad resistentiam in B, ut quadratum ipsius AH ad quadratum ipsius AB. Itaque si jam pondus F in *fig.3.* sit corpus parabolicum NRSQN, libere suspensum ex C, in quo altitudo NR sit æqualis basi RS (uti AB æqualis est ipsi AC) & sint ordinatim applicatæ quadratis altitudinum proportionales, seu PQ ad RS, ut quadratum N P ad quadratum N R: tunc posito basin RS repræsentare resistentiam in B, ordinata PQ repræsentabit resistentiam in H; si scilicet altitudines NP, NR, sint altitudinibus respondentibus AH, AB, proportionales; totum vero trilineum parabolicum concavum N R S Q N repræsentabit resistentiam totius lineæ AB; si scilicet trabs ABC transversim seu per modum vectis a pondere appenso F deprimatur. At quadratum RNTS huic trilineo parabolico circumscriptum, repræsentaret resistentiam ejusdem lineæ A B directam, si scilicet trabs directe ex pariete esset evellenda, ut in *fig. 2.* Nam quia AB & AC æquales, resistentia puncti B transversa eadem erit quæ directa, nempe repræsentata per RS in *fig. 3:* jam si directe evellatur trabs (ut in fig.2.) resistentia omnium punctorum eadem est, ergo resistentia

directa

directa puncti H erit PV, æqualis ipſi RS: & ita procedendo in reliquis complebitur quadratum RT, quod cum ſit triplum trilinei parabolici concavi inſcripti, nempe NRSQN, ideoq; erit & rectæ alicujus lineæ (ut AB) reſiſtentia directa reſiſtentiæ transverſæ tripla. Quod demonſtrandum erat.

Hinc porro quantacunque ſit longitudo trabis, aut ponderis appenſi diſtantia a pariete (quam hactenus ſumſimus altitudini trabis æqualem,) facile determinari poterit pondus ad abrumpendam trabem ſufficiens: ut ſi pondus G trabem directe evellere poſſit in *fig. 4.* erit quidem pondus F tertia pars ipſius G (modo ſit AC æqualis AB;) ſi vero pondus I appendatur ex K, ſitque AK quadrupla ipſius AB vel AC, erit pondus I quarta pars ipſius F, & duodecima ipſius G. Generaliter ergo pondus trabem parallelepipedam directe evellens, erit ad pondus abrumpens transverſe ſeu per modum vectis, ut longitudo vectis eſt ad tertiam partem craſſitiei trabis. Conſideravimus autem hactenus ipſam trabem ut pondere carentem, quod ſi pondus ipſius trabis in rationes venire debeat, perinde erit ac ſi pondus I trabi æquale ſuſpenſum eſſet ex K, centro gravitatis ipſius trabis. Fieri etiam poterit, ut trabs pondere ſuo frangatur in loco aliquo, ut G in *figura 5.* inter parietem AB & extremitatem trabis C, quando ſcilicet gravitatio portionis FGCF, libratæ ex puncto quietis G, majorem habet rationem ad reſiſtentiam in FG, quam gravitatio totius trabis BAC ex puncto quietis AD, ad reſiſtentiam in AB. Quæritur autem, qualis eſſe debeat linea BFC, ut reſiſtentiæ ſint gravitationibus reſpondentibus proportionales, & trabs ubique æqualiter reſiſtat: hanc ergo invenietur eſſe Parabolicam. Eſt enim reſiſtentia in FG ad reſiſtentiam in BA ut trilineum parabolicum concavum FGHF ad aliud BAEB, ſi baſis trilinei ſit altitudini ejusdem æqualis, (ut patet ex præcedentibus:) ſeu ut quadratum FG ad quadratum BA (quia trilineum tale eſt tertia pars quadrati circumſcripti.) Sed momentum ſeu gravitatio portionis FGCF cujuscunque ex G libratæ, eſt ad momentum totius trabis BACB ex A libratæ, etiam ut quadratum FG ad quadratum BA, quemadmodum ex natura parabolæ facile demonſtratur (nam portiones CGFC & CABC ſunt ut cubi a CG, CA. Porro G 3 & A 2 ſunto quartæ partes ipſarum, CG & CA, eruntque diſtantiæ centrorum gravitatis portionum CGFC & CABC a punctis quietis ſeu centris librationis

 G & A,

G & A, & momenta dictarum portionum sunt ut facta ex portionibus in distantias, seu in composita ratione portionum sive cuborum a CG & CA, & distantiarum, quæ sunt ut ipsæ CG & CA: ergo in ratione quadrato quadratorum a CG, CA, id est in ratione quadratorum ab FG & BA.) Ergo resistentiæ sunt momentis seu viribus proportionales, seu ubique eadem momenti cujusque ad suam resistentiam proportio, atque adeo æquabilis erit firmitas, qua trabs ponderi proprio ubique resistit: & proinde in quantamcunq; longitudinem procurrat trabs ita figurata, si prope murum pondere suo non frangatur, nec alibi frangetur. Præterea cum trabs Prismatica parabolica CABC sit tertia tantum pars plenæ CDBA, hinc tertia ponderis parte detracta & distantia centri gravitatis ab AG ad ejus dimidiam A 2 retracta, trabs parabolica sextuplo plena firmior erit. Sed si neglecto pondere trabis intelligatur vis aquæ aut venti, aut alia quædam æqualiter distributa per totam trabis longitudinem, ut si *in fig. 6.* tignum ABD ex muro procurrens, onus terræ ingestæ vel frumenti alteriusve materiæ ferre debeat, poterit esse triangulare, lineaq; AD recta, & tignum ubique æqualiter resistet ponderi imposito, ut si in muro non frangatur, nec alibi frangi possit: nam ex notis mechanicæ legibus, momentum ponderis incumbentis ipsi GD, est ad momentum ponderis incumbentis ipsi BD, ut quadratum GD ad quadratum BD, seu ut quadratum GF ad quadratum BA; id est ut resistentia in GF ad resistentiam in BA: quod si partim pondus impositum, partim figura trabis consideretur, nihilominus figuram æqualiter resistentem dare possum.

Hactenus autem consideravimus tantum trabem, cujus superficies, qua muro vel sustentaculo adhæret, ubique æque alta est, unde sufficit assumere rectam BA, sed quia superficies communis trabi & parieti, varia esse potest, demus regulam generalem pro resistentia ejus Geometrice determinanda, cujus speciales casus si cui pertractare vacabit, is multa perelegantia theoremata deprehendet. In genere autem, sit trabs A B H C, *fig. 7*, cujus sectio ad sustentaculum DE sit planum ABH figuræ cujuscunque. Dimittatur illud in horizontem, seu in plano horizontis describatur aliud ei æquale, simile, & similiter positum A G H. Ex puncto G ab AH horizontalium infima maxime remoto (quod respondet puncto B) ducatur ad AH perpendicularis GF (ipsi BF æqualis) & fiat corpus cylindricum, cujus basis aut sectio quæ-

quæcunque parallela horizonti ſit ſimilis & æqualis ipſi AGH, altitudo autem perpendicularis ſit GI, æqualis FG vel BF; quod corpus liceat appellare cylindrum. Per I ducatur tangens indefinita KIL parallela ipſi AH. Tandem planum tranſeat per AH & KL, quod ad horizontem faciet angulum ſemirectum & corpus cylindricum ſecabit in duas partes, quarum illa in quam cadit GI, quæ in figura eſt ſupra planum ſecans, a Geometris dicitur *Ungula.* Dico hanc Ungulam a cylindro reſectam facientem officium vectis, cujus fulcrum ſit in AH, æquare vel repræſentare reſiſtentiam trabis ABHC transverſim in AHB rumpendæ, ſi pondus ipſius cylindri ad eandem directe ex muro evellendam ſufficit. Sed ne opus ſit ungulam conſiderari ad modum vectis, & ut pondus reſiſtentiam repræſentans abſolutę habeamus, ſuſpendatur ungula ex puncto M, ſeu ex FM diſtantia centri gravitatis ungulæ a pariete; & ita exacte reſiſtentiam transverſalem æquabit, ſi cylinder totus æquat directam. Itaque cum quæretur an, & ubi ſolidum aliquod frangi debeat, Geometræ non erit difficilis æſtimatio; id enim aut non aut ibi potiſſimum fiet, ubi momentum ungulæ, ſeu factum ex ungula ducta in diſtantiam ſui centri gravitatis, a plano verticali in quo eſt axis librationis omnium minimam habebit rationem ad potentiam ibi abrumpere tentantem: ut proinde his paucis conſideratis tota hæc materia redacta ſit ad puram Geometriam, quod in phyſicis & machanicis unice deſideratur.

Additio: ſi quis conoides aliquod quærat, æqualis reſiſtentiæ, huic ſatisfaciet Tuba parabolica. Sit in *fig. 8.* parabolica linea AEC cujus vertex A, tangens verticis AB, circa quam tanquam axem, rotetur linea parabolica, & fiet Tuba AECGDFA. Sumta Jam adhuc alia Tubæ portione AEHFA, cum reſiſtentiæ baſium ſeu circulorum CGD EHF ſint ut cubi diametrorum CD, EF; reperietur, momenta ipſarum portionum AECGDFA & AEHFA ex natura parabolæ eſſe etiam ut cubos CD, EF.

DESCRIPTION CURIEUSE D'UNE FONTAINE ardente & Medicinale en Pologne.

id eſt

hoc eſt:

Deſcriptio curioſa Fontis cujusdam inflammabilis & Medicinalis, in Polonia ſuperioribus annis reperti, juſſu Regis Polonorum Sereniſſimi per Dominum Conradum Reginæ Archiatrum ad Dominum Dionyſium Lutetiam Pariſiorum transmiſſa.

INter plura Fontium phænomena, nos in ſui admirationem rapientia, flamma merito refertur, quam illorum nonnulli exerunt, & a qua *Ardentium* nomen acceperunt; qualis eſt Jovis Dodonei Fons in Epiro, quem præter *Plin*, Hiſt. nat. l. 2. c. 103. *Lucretius de Rer. Natur.* l. 6. canit:

> Frigidus eſt etiam fons ſupra quem ſita ſæpe
> Stupa jacit flammas concepto protinus igni,
> Tædaque conſimili ratione accenſa per undas
> Collucet &c.

qualemq; illum in Galliæ Delphinatu, prope Gratianopolin, noctu & ſub nubilo flammigerum, ideo *la Fontaine qui brule* dictum, novimus. Aſt nunc portentum ſeu phænomenon ſi non majus, certe par ſpeculationi tuæ, L. B. concedimus, cui tamen ſimile in Angliæ provincia, Lanchashire dicta, obſervatum, *Transact. Angl. Philoſ. 26.* perhibet.

Sc. in Poloniæ minoris Palatinatu Cracovienſi mons reperitur, *Admirabilis* appellatus, herbis & floribus aromaticis ac odoriferis pariter ac quercubus annoſis & pinis atque abietibus reſinoſis obſitus, fontibus tam dulcibus quam ſalinis ſcaturiens, diverſæque indolis metallis ac mineralibus fœtus; in cujus plagæ meridionalis medio ſcaturigo quædam æquæ limpidisſimæ cum ſtrepitu ac vibratione notabili exurgit, cujus quidem ebullitio ſeu turgeſcentia cum Lunæ augmento intenditur, cum decremento remittit. Limus in fundo fontis ſubſidens, ſcabiei, arthritidi inveteratæ, paralyſi ſimilibusque pertinacioribus affectibus medelam adferre dicitur. Aquæ odor intra ſcaturiginem fragrantisſimus & maxime balſamicus obſervatur, ſapore lactis illa æmulatur ſuavitatem, & præter vim medicamentoſam, quam diverſi equorum morbi experiuntur, homines quoque modo per alvum, modo per urinam, evacuat, ita tamen ut illi, quos non ſta-

ſtatim commovet, alacritatem nihilominus & robur ſingulare inde percipiant, hinc ipſius accolæ vix unquam morbi cujusdam patiantur inſultum, ſed longævi valde, ut plurimum ad 100 & 150 annos, evadant. Longius transvehi, & ſine ulla corruptione diu ſatis conſervari poteſt; evaporata bituminis nigricantis ſpeciem exhibet, ulceribus recentioribus ac vetuſtis valde ſalutarem. Nullo intra natales hyemis congelaſcit frigore, imo, quod mirabile, a face propius admota inſtar ſubtiliſſimi ſpiritus vini exardeſcit, ut flamma ſuper aquæ ſuperficiem inſtar bullarum agitetur & ſubſultet, ideoque fons hic *Ignis fatuus* audiat. Atque hic quidem ignis ſponte ſua nunquam extinguitur, niſi ſcopis percutiatur; quemadmodum ante annos circiter 35, cum accolæ accenſum reſtinguere negligerent, per cataractas ſubterraneas ſenſim progrediendo radices arborum, & cum his totam vicinam ſylvam in cineres redegit, per tres fere annos durans, antequã perfecte ſuffocari poſſet: a quo tempore publicæ etiam excubiæ conſtitutæ ſunt, quæ frivolas ejusmodi accenſiones impediant. Dum autem aliquantulum flagrat hæc aqua, multum ſui impetus deponit, intra 14 dies vix recuperandi. De cætero quamvis ligna admota brevi comburat hæc flamma, adeo tamen ſubtilis eſt, ut aquam non calefaciat, ſed hauſta hæc, perinde ac Lucretii fons, frigida percipiatur; imo nec ipſa extra ſuam ſcaturiginem exardeſcit, utut in vaſis exactisſime clauſis aſſervetur. Inflammabilitatem hujus fontis, cunctis ſuperioribus ſeculis ignotam, fulmen manifeſtavit, quod caſu eum feriens eundem accendit. Hinc lignatores ex ſylva vicina accurrentes, virgultis ex cæſis arboribus aquæ ſummitatem verberando ignem reſtinxerunt, a quo tempore aliquoties poſtmodum, experimenti cauſa, mediante face ardente illa denuo accenſa & virgultorum ſuccuſſione quoque extincta fuit. Unde factum, ut provinciæ illius incolæ cœca credulitate ſibi perſuaſerint, fulmen ſeu tonitru a prima illa accenſione in profundo fontis remanſiſſe, quod dum egredi conetur, aquam adeo exagitet, & flammam hanc ad ejus ſuperficiem erumpere faciat.

Rogatus ergo ſupra nominatus Dn. DIONYSIUS, *Theoriam circa Fontis hujus recenſitas proprietates* ſequenti ratione exponit.

Sc. quod motui Lunæ motus & agitatio illius reſpondeat, fieri per communicationem, quæ ipſi cum mari, cujus fluxum & reflu-

xum a diversis Lunæ phasibus dependere supponit, intercedat: quatenus cataracta subterranea mari & fonti huic intermedia ad certam tantum altitudinem aqua, reliquum ejus vero, ideo quod æquilibrium maris transcendat, aere repleatur. Hinc quando maris circa plenilunium elevatio maxima canalem hunc irruat, adeoque aerem & vapores inclusos versus scaturiginem urgeat, necessario hanc aquis exuberare: contra, si mare Luna decrescente subsideat, aquam marinam cum aere & vaporibus, in aquam coagulabilibus, recedentem fonti huic multum lymphæ subtrahere.

Virtutes Medicas a sulphure copiosiore, tanquam insigni morborum panacea, quo venæ hujus montis scatent, derivat: cujus pariter vapores, particulis aqueis leviores, nisu atque tendentia sua strepitum & ebullitionem hujus fontis, simulq; suaveolentiam præstent, dum ejus crassiores moleculæ in limum, qui fundum petit, coeant. Bitumen, quod post aquæ hujus evaporationem remanet, balsamum quasi sulphuris naturale ait, per frequentiorem agitationem sulphuris & aquæ invicem productum. Inflammabilitatem pariter sulphuri hujusq; exhalationibus, ex aqua prorumpentibus, in acceptis refert, ac ideo flammam aquæ supernatare, percussionibus vero illis, cum virgultis factis, extingui & suffocari; quatenus hac ratione spiritus seu miasmata illa sulphurea aqueis particulis, a quibus recedere conabantur, denuo involvantur: ita quidem, ut his per deflagrationem consumptis, multum virium medicarum perdat aqua eadem. Ideo vero illam, extra scaturiginem suam transportatam, minime accendi, quod paucæ ipsi insint particulæ sulphureæ, eæque aquis involutæ, & impetu atque impulsu fontis destitutæ: quibus nihilominus præsentibus, aqua intra fontem omnem frigoris rigorem, perinde ac spiritus vini potentior, eludat.

PETRI PETITI, PHILOSOPHI ET DOCTORIS Medici, selectorum Poematum libri duo: accessit dissertatio de Furore poetico.

Parisiis, apud Jo. Cusson, 1683, in 8.

Quo loco sit hodie apud Gallos, literarum studiis excultissimam Gentem, carminis Latini dignitas, & quis honos ejus majestati habeatur

beatur a principibus etiam viris, nemo niſi harum elegantiarum prorſus expers ignorat. Excitat autem Mæcenatum in iſthac gente plurimorum favor præſtantiora quævis ingenia, ut ad Maronis vetuſtatem adſpirent, & tanquam auctoramenta Regis ſui & virorum illuſtrium, carmina ad priſcorum modos exacto ſtudio condant: quibus poſteritati famam rerum præclare geſtarum commendare, clarorumque virorum laudes magnifice decantare ſtudent. In juſtorum voluminum modum coaluere cultiſſima præſtantisſimorum iſtius gentis noſtra ætate virorum poemata, Dionyſii Petavii, Joannis Sirmondi, Franciſci Vavaſſoris, Gabrielis Coſſartii, Renati Rapini, Caroli Ruæi, Joannis Commirii, Joannis Ludovici Guezii Balzaci, & Ægidii Menagii. Quibus acceſſit inſigni philoſophiæ ſcientia & medicæ artis peritia excellentisſimus *Petrus Petitus*; qui ſeveriora ſtudia amœnioribus his Muſis cum crebro mutaſſet, & præſtantisſimos ingenii fœtus complures edidiſſet, ſparſos hinc inde in unum corpus revocandos & ſuperiori anno evulgandos duxit. Nihil in iis humile aut plebejum, nihil affectatum, otioſum ac accerſitum; ſed ingenium felix, mens ſublimis, atque os magna ſonans (quibus poetam abſolvi Horatius cenſet) talia ſuggeſſere diſertisſimo doctisſimoq; homini, ut inter primos hujus ſæculi poetas locum merito teneat.

Furentis autem animi vaticinio (quod Petronius ait) ſimilem eſſe artem poeticam intelligens, de *furore poetico* elegantisſimam doctisſimamque diſſertationem poematibus præmiſit: in qua ortum & cauſſas poetici furoris erudite, & quod philoſophum decebat, accurate ſcrutatus eſt. Cumque alii cum Platone, (qui quadruplicem ἐνθουσιασμὸν ſtatuit: fatidicum a Phœbo, myſticum a Baccho, amatorium a Venere, & poeticum a Muſis ortum) a Numinis inſtinctu & afflatu eum provenire, & aliquem ex geniis poetarum animis illabi exiſtiment; (*p. 9. & ſqq.*) alii cum Ariſtotele in ſolius humani ingenii vigore ac indole, ipſaque adeo hominis natura, quæ cuivis, uti in quolibet alio opere atque negotio, ſic in carminibus quoque ac litterarum ſtudiis Deus ſit, facultatem poeticam conſiſtere cenſeant; (*p. 32 & ſeqq.*) ipſe duas has ſententias erudite examinat, rationum momenta expendit, de oraculorum reſponſis carmine datis, fontibus, nemoribus & ſpeluncis poetarum ingenio aptis, ſomniis item eorundem, tum naturali temperie & acrimonia melancholici humoris, mirabiles inter-

Digitized by Google

dum operationes edente, diſſerit, tandemque media incedens via tutiſſimam ſententiam amplectitur, quæ extremas duas quodam temperamento copulat. Exploſis enim veteris gentilium ſuperſtitionis ambagibus & malorum geniorum præſtigiis, naturam auctori ſuo reſtituit, Deum operi ſuo potiori fœdere adjungens. Hinc definitionem furoris poetici elicit (*p. 79.*) dicitque eſſe *animi a natura accommodati ad res poeticas & divinitus illuſtrati incitationem ad pangendum carmen.* Nempe naturæ ita relinquendas cenſet ſuas partes, ne Deus prorſus excludatur: neque ineptum judicat, exiſtimare aliquid divinum intervenire humanis cogitationibus, cum rerum difficultas & magnitudo tale adjumentum requirit; impium autem, nihil putare naturale, quod non ſit penitus a divina operatione ſejunctum & diſtractum. Quin potius ſtatuit, quicquid alicui naturale & vernaculum eſt, id illi ipſi Dei munere tributum dici debere, eundemque hominem eandem ingenii dotem ac decus a natura habere & a Deo. A natura quidem, quatenus eam virtutem haud diſciplina & labore adeptus eſt; a Deo autem, qua naturæ eſt auctor, & ingeniorum diſcrimina ac dotes diverſas & proprietates pro arbitrio temperat. Quo pacto & Platonis ſententiam, quæ Numinis afflatum commendat, & Ariſtotelis opinionem quæ vim humani ingenii extollit, locum habere judicat; non ipſam per ſe & ſimpliciter hominis naturam in magnis & arduis alicujus momenti eſſe docens, ſed quatenus a Deo eſt ſuſpenſa, ejusque lumine atq; ut ita dicam habenis regitur. Ex quo illud intelligendum, quod tradit Cicero de Nat. Deor. lib. II. *neminem virum magnum ſine afflatu divino unquam fuiſſe.* Qui & ipſe utrasque ſententias de facultate carminum in poetis copulaſſe videtur, cum in oratione pro Archia ait: *poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.*

Memorabili exemplo furoris poetici in *Ronſardo*, de quo p. 59. narrat, eum inſignes viciſſitudines ſenſiſſe, ut totos interdum ſex menſes unum tolerabilem verſum facere non potuerit, furore autem correptum torrentis more in Muſarum campos ruentem chartas inundaſſe, non ultra triduum tamen hac felicitate durante; addi meretur illud *Torquati Taſſi* feliciſſimi venuſtiſſimiq; poetæ Itali, quem Thuanus Lib. CXIII. Hiſt. Gall. fol. 571 virum admirabili & portentoſo ingenio, cum in Ferrarienſi aula degeret, in adoleſcentia furore correptum fuiſſe

Digitized by Google

fuisse refert, & nihilominus per dilucida intervalla tanto judicio, elegantia, & castissimo stilo plurima & soluta & pedibus adstricta oratione scripsisse, ut misericordiam, qua plerique ejus vicem prosequebantur, tandem in stuporem verterit: dum furor ille, qui in aliis mentes efferat aut hebetat, ingenium ejus veluti defæcatum in rebus inveniendis expeditius, inventis apte digerendis acutius, & sententiarum gravitate ac verborum delectu ornandis copiosius reddidit; ut quod alius vix summa cura ac labore per otium extunderet, ipse post violentam mentis emotæ agitationem sponte ac felicitate mira perfecerit, nec alienatione mentis perculsus, sed œstro divino percitus fuerit visus. Quod de eodem etiam narrat Joannes Imperialis in Museo historico p. 132. 133.

De caussa quæ vates efficit, præsensionesque rerum futurarum in animis hominum excitat, quid Aristoteles senserit, accurate se in libris *de Sibylla & Bacide* tractaturum promittit auctor doctissimus: quos ne amplius invidere publicæ luci & eruditiori orbi velit, communi litterarum nomine rogamus.

SPECIMEN UNIVERSÆ REI NUMMARIÆ Antiquæ, quod Litteratorum reipublicæ proponit Andreas Morellius Helvetus.

Parisiis, apud Thomam Moette, 1683, in 8.

QVi rem litterariam venerandæ vetustatis reliquiarum, quæ in nummis supersunt, studio excoluerunt, patrum nostrorum memoria & hoc sæculo extiterunt complures, omnia studiose ac diligenter scrutati, quibus splendor aliquis, hoc etiam eruditionis haud infimo genere, bonis literis conciliaretur. Ac incubuerunt laudabili huic operæ præ cæteris præstanti ingenio & exquisita doctrina homines, *Fulvius Ursinus*, *Wolfgangus Lazius*, *Jacobus & Octavius Stradæ*, *Æneas Vicus*, *Adolphus Occo*, *Hubertus Goltzius*, *Sebastianus Erizzus*, *Joannes Tristang Sanctamantius*, *Petrus Seguinus*, *Joannes Vaillantius*, *Ezechiel Spanhemius*, *Carolus Patinus*, & nonnulli alii, qui summo studio multa numismata hinc inde reperta congesserunt, & magna cura in publicum evulgarunt. Quorum industria cum certis quasi carceribus contineatur, incensus laudabili studio *Andreas Morellius*, eruditus Helvetus, absolu-

abſolutum omnibus numeris opus conficere aggreſſus eſt, & quantum fieri poteſt, omnes qui in Europæ magnatum aut antiquariorum cimeliarchis recluſi ſervantur, ſive antehac publici juris factos, ſive nondum ab alio evulgatos, nummos delineatos ac æri inciſos certisq; voluminibus coarctatos exhibere, omnemq; hanc nummariam veterum memoriam uno operi incluſam, orbi erudito tradere ſuſcepit.

Præclari hujus & ardui ſui inſtituti rationes *Specimine* iſthoc expoſuit; ubi & qua occaſione hoc opus ſit aggreſſus, & qua fortuna, quibusque copiis ad elaborandum iſtud fuerit uſus enarrat, conſiliumque & adjumenta omnes, qui amore hujus ſtudii tenentur, quique nummos poſſident, rogat. Quatuor autem conſtituit nummorum genera: *primum* regum & urbium; *alterum* conſularium, ſeu familiarum Romanarum; *tertium* imperatorum Romanorum; *quartum* variarum gentium. Ab imperatorum Romanorum nummis ob dignitatem & præſtantiam eorundem initium ſibi faciendum cenſet: inque iis edendis hanc rationem ſe ſecuturum promittit, ut *Latinos* quidem, qui certos continent Imperii annos, vel ex inſcriptionis aut typi indicio ad certum annum revocari poſſunt, ordine chronologico diſponat, cæteris pro ratione inſcriptionum ſimilium vel diverſarum diſtributis; *Græcos* vero juxta urbium inſcriptiones ordine alphabetico ſiſtat, cum notæ chronologicæ plerisque deſint. Ex quo metallo, & qua magnitudine conflatus ſit quisque nummus, ubi quilibet aſſervetur, certis ſe indicaturum notis promittit. Annotationes etiam, quæ de raritate & pretio lectorem certiorem reddant; nec non Diſſertationes ac obſervationes, quæ nummos explicent & illuſtrent, ex ipſis Græcæ Latinæq; antiquitatis fontibus hauſtas, ſe adjecturum, chronologicas etiam & geographicas tabulas, ac utiliſſimos indices adornaturum, pollicetur. Quæ propoſiti ratio ut evidentius appareat, octodecim tabellis æri inciſis exhibet varii generis & diverſæ magnitudinis nummos, quorum exacte delineatorum ad viginti millia jam ſuppetere, & plures ſibi indies ſubminiſtrari, affirmat. Tabellis ſpeciminis loco editis breviſſimas nummorum explicationes adpoſuit, obſervationesque ſubjecit, e quibus cujusvis nummi ratio cognoſcatur, aut obſcurum ſi quid in eo ſit, nec ſatis obvium, illuſtretur. *Decem* tomis univerſum laborem abſolutum iri, intra quadriennium evulgandis, ſperat; quam eximiam ſpem animo conceptam & erudito orbi factam

ut

ut implere, & insigne opus perficere liceat, doctissimo Auctori vires, ætatem, ac valetudinem, & reliqua ad elaborandum istud necessaria, vovemus.

JOH. MELCHIORIS, SS. THEOL. D. ET P. DE SANguine Christi Eucharistico Commentatio, contra Bossueti Tractatum de Communione sub utraque specie.

Herbornæ, A. 1684, in 4.

JAcobus Benignus Bossuetus, hodie Meldensis Episcopus, cum Lutheranos & Reformatos unire Romanæ Ecclesiæ, aut potius subjicere opera, quanta potest, maxima tentaverit hactenus, ut ad scopum hunc suum eo facilius perveniret, non una jecessit via. In *Expositione fidei Catholicæ*, quam edidit primum anno 1671, doctrinas Pontificiorum, ut a Protestantibus diutius ne respuerentur, interpretatione illa sua in speciem benigna emollire studuit. Postquam autem parum se hac arte profecisse vidit, quippe quod a *Spanhemio*, *Jurio* aliisque fraus detecta esset omnis, rem novo aggressus est modo, quodque exponendo dogmata sua speciose obtinere non potuisset, disputando acrius se consequi posse putavit. Hinc anno 1682 Parisiis in lucem publicam emisit Tractatum *de Communione sub utraque specie*, in quo totus est in defendenda & propugnanda Ecclesiæ R. ποτηριοκλεψίᾳ; qua de re plenius in Actis nostris mens. Jun. 1683. pag. 230. Enim vero & hoc bellum sæpius militatum, & victoria penes veritatem semper fuit, ut hac non magis quam illa priori via Bossuetus ad scopum suum sit perventurus. Nihilominus cum error vetus novas ab autoritate Assertoris vires accipiat, facileque decipiat incautos, non quid, sed a quo dicatur, imprudenter attendentes; examen Tractatus illius haud temere in se suscepit clarissimus doctissimusq; scripti hujus Autor, inque tribus dissertationibus illud erudite placideque instituit, & postquam in prima thesin de necessitate calicis ejusque usu e S. Scriptura & veterum observationibus probasset, mox in secunda & tertia in Pontificiorum antithesin, & quæ ad eam e S. Scriptura & antiquitate palliandam a Bossueto conquisita, aut hac occasione

ſione inſperſa ſunt, inquiſivit, non abſque aculeo finiens, monito hoc Adverſario ſuo, *cogitaret, cum palmarium Doctrinæ caput de gratia ſalvifica, tum & alia, multis aliis rectius intelligat, quid reſponſurus ſit imminenti vivorum atque mortuorum judici, ſi ſcriptis atque conſiliis ſuis autor exiſtat perſecutoribus, opprimendi innocentes homines, quorum affligendæ conſcientiæ, diſturbandis fortunis, diſſipandis familiis, eripiendæ proli, imo fundendo quoq; ſanguini, non aliud crimen prætenditur, quam quod non audent conſcientiæ ſuæ vim facere, & veritatem ab ipſomet agnitam & probatam, erroribus & cultus illis vitiis, quæ nec ipſemet poteſt diffiteri, contaminare.*

NOVARUM DISSERTATIONUM DE MORBIS abſtruſioribus Tractatus primus, de Febribus intermittentibus, in quo obiter Febris continuæ natura explicatur. Authore Johanne Jones, LL. D. & Medico.

Londini apud Gualterum Kettilby 1683. & Hagæ Com. apud Arn. Leers, 1684. in 8.

SIcut febres inter myriades morborum, qui ægros æque excruciant, ac ſcholas Medicorum exagitant, omnium frequentisſimæ obſervantur, ut nemo fere ſine febre ægrotet, nemo fere ſine eadem moriatur, plurimis vero inſimul difficultatibus ſcateat earum ætiologia ac therapeia; ita utraque hæc ſtimulavit ac ſtimulat infinita ingenia ad ſui evolutionem. Tentavit eandem circa febres intermittentes Noſter, tribus partibus meditationes ſuas exponens.

Prima de Febribus his & earum cauſis in genere agit, quarum poſtquam procatarcticas recenſuit, has cunctas chylificationem & ſanguificationem lædendo, in febribus ejusmodi producendis concurrere demonſtrat, adeoque cruditates ex chyli & ſanguinis disproportione ortas, ſeu chylum indigeſtum, febrium intermittentium pabulum & præcipuam cauſam exiſtere, evincit. A chylo ſiquidem hoc crudiore omnem ſymptomatum, tam paroxiſmum imminentem præſagientium, quam conſtituentium, phalangem, periodos, typos horumque phænomena varia derivat, aciditati ejus modo coagulanti & conſtringenti, modo ſulphureas ſanguinis particulas disſolventi, cuncta hæc in acceptis referens. Nempe oſtendit, cruditates

tes hasce lege circulationis sanguinis per totum corpus cum sanguine distribui, ob crassitiem tamen suam cum arctiora & angustiora vasorum extrema subire haud queant, in his stagnare & lactis instar acorem contrahere; quemadmodum vero ille partibus nervosis, hinc membranis quoque ac nervis, summe non tantum sensibilibus, sed per totum insuper corpus cohærentibus & consentientibus, est hostilis, ita fieri haud posse, quin molesta quædam sensatio primum ex illarum vellicatione oriatur, postmodum vero pallor, oscitationes, pandiculationes, cutis anserina, lachrymarum involuntarium profluvium, mingendi conatus frequens, horror & quæ sunt alia exhorrescentiæ febrilis symptomata, ex constrictione pariter ac frigore aeris ambientis, sequantur. Cujus postmodum irritationis pertæsæ fibræ se firmiter contrahant, & acidum hunc lentorem hospitio suo cum spiritibus inhabitantibus exturbent, unde horror febrilis cesset: ita tamen ut ad massam sanguineam se denuo recipiens acidus chylus non cesset novas concitare turbas, ejus supra commemoratas particulas oleosas seu sulphureas dividendo, commovendo & reserando, donec hæ sui juris factæ rarescant & ignearum molecularum more, cum impetu & furore irregulari atque extraordinario, quaquaversum per omnes arterias ferantur, hinc æstum, faciei ruborem, pulsum frequentem, dolorem capitis, sitim, difficultatem spirandi, inquietudinem cæteraque despumescentiæ symptomata forment. Qui orgasmus & tumultus non finiatur, nisi postquam particulis sulphureis aliquantum dissipatis & consumtis, acidi spicula hebetata aut ab oleosis inviscata, iterum ad angustias & extremitates vasorum proscribantur; hoc enim dum fit, calorem sensim remittere, sanguinemque a multa exagitatione attritum, non solum sponte sua consistentiam pristinam induere, sed a vasculis denuo coarctatis ad eam cogi, unde particulæ ejus serosæ eodem modo, ac ex spongia compressa, per poros cutis sub sudoris, paroxismorum declinationis individui semper comitis, forma eliminentur.

In *altera* parte speciatim magis omnium intermittentium causas typorumque rationes excutit Autor, species earum secundum anni tempora, quibus frequentiora existunt, cum aliis Neotericis, determinans. Causas tamen omnium, si quotidianam, cujus ætiologiam a sola cruditatum abundantia deducit, excipias, cruditatem ace-

ſcentem ſeu acidam pronunciat: Typos varios a cruditatum aceſcentia, nunc celeriore nunc tardiore, cujus cauſa lentor & ſpiſſitudo major aut minor, emanare ſuſpicatnr. Duplicationes vero & triplicationes paroxyſmorum in quantitate earundem cruditatum varia ponit; ſymptomatum denique differentiam, gradus & multitudinem diverſam, qualitati illarum, ſulphurearum partium in ſanguine vel defectui, vel abundantiæ, ac cruditatis ad varias corporis partes translationi, attribuens, & cunctatum prognoſin annectens.

Tertia Therapeuticam tradit, theoriæ maxime accommodatam, & primo quidem a febribus his præſervantem, quæ partim cruditatum ejusmodi productionem & collectionem inhibet, partim impedit, quominus collectæ vaſorum anguſtias infarciant: quorum illud per diætam ſtrictam uſumq; aromatum ac amaricantium frequentem; hoc per vomitoria & laxantia blanda (quibus, ne maſſam ſanguineam nimis exagitent ſpiritusque imminuant, tantillum laudani opiati ſemper admiſcere, eaq; ſub forma ſolida decubitus tempore exhibere jubet) pollicetur. Addit huic ſecundo palliativam, ſeu quæ materia morbifica non ſublata paroxiſmum ſaltem inhibet, per duplicis generis remedia; quorum alia cruditates coalitas atterant, v.g. ſalia lixivioſa; alia ſanguinem compeſcant ejusq; compagem condenſent, ſc. terrea; utrique vero ſcopo ſatisfaciant terreo-ſalina, v.g. alumen & vitriolum Martis & cortex Peruvianus, quem infinitis laudibus extollit, ejusque operandi ac adminiſtrandi modum exhibet, narcotica tamen & paregorica his interdum ſubſervire addit. Tertio conſummatam ſeu radicalem therapeiam exponit, quæ in penitiore cruditatum comminutione aut coctione conſiſtat, partim a calore, partim terreo ſalinorum ſimiliumq; diſſolventium, v.g. lixivioſorum, amaricantium, antimonialium & Saturninorum, applicatione expectanda: ita quidem ut denique, qua ratione Febrilis diatheſis emendanda, & damna a febribus ejusmodi introducta reſarcienda ſint, epilogi locum teneant.

DE

DE NATURALISMO CUM ALIORUM, TUM MAxime Jo. Bodini, ex opere ejus MSCto ἀνεκδότῳ, de abditis rerum sublimium arcanis, *schediasma L. Jo. Dicemanni, per Ducat. Bremens. & Verdens. Superintend. Generalis.*

Lipsiæ anno 1684. in 12. apud Joh. Frid. Gleditschium.

OPeris Bodiniani MSCti *de abditis rerum sublimium arcanis*, quod hactenus in quibusdam biliothecis, ceu κειμήλιον quoddam rarissimum, asservatum est, duplex exemplar in media Germania, singulari magnorum virorum beneficio nactus *Autor doctissimus*, ansam sibi datam componendi hoc de *Naturalismo schediasma* scribit. In quo præmissa scripti hujus historia, & expositis diversis naturalismi speciebus demonstrat, religionem quam naturalem vocant, haud quaquam sufficere homini ad salutem æternam consequendam. Deinde vero Bodinum aggressus, *Judaismum & Naturalismum* præcipue incrustare ausum, docet, sacrificia olim non hominum arbitrio, sed ex divina revelatione fuisse instituta, ut Messiam pro peccatis mundi immolandum præfigurarent. Et quia Bodini Dialogistæ, quorum septem de religione confabulantes invicem introducit, duo religionis Christianæ capita rationi naturali incognita, de peccato originis quo totum genus humanum infectum est, & de Christi pro peccatis mundi totius præstita satisfactione impugnant, *Autor clarissimus* dogmatum horum vindicias promittit peculiares, quas ut vindicandæ gloriæ divinæ feliciter absolvat, ipsi vires ex animo precamur.

ΑΘΗΝΑΓΟ'ΡΟΥ ΑΠΟΛΟΓΙ'Α ΠΕΡ'Ι ΧΡΙστιανῶν. *Athenagoræ Apologia pro Christianis, cum interpretatione Latina Suffr. Petri & notis variis, opera & studio L. A. Rechenbergi.*

Lipsiæ apud Joh. Frid. Gleditschium in 8.

ATHenagoræ Apologia quum adprime pia, erudita ac admodum arguta viris doctis videretur, Conradus Gesnerus primum superiori seculo eam, cum interpretatione & annotationibus suis edidit. Sed *H. Stephanus*, qui Romæ a Guilielmo Sirleto viro doctissimo,

ejus exemplum acceperat, & libelli ejusdem *de Resurrectione* in Regis Gallorum bibliotheca, quæ erat in pago Calliroe Parisiis vicino offenderat, anno MDLVII novam τῶν σωζομένων Athenagoræ editionem adornavit; additis ad libellũ περὶ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, *Petri Nannii* interpretatione & annotationibus in utrumque scriptum Athenagoræ. Hunc, cum ante eodem etiam anno Tiguri impressus esset Athenagoras, secutus est *Suffridus Petri* Leovardiensis; qui cum deprehendisset Gesnerum, ob corruptum quod habuit exemplar, non ubique Autoris mentem recte vel assequi vel exprimere potuisse, suũ codicem castigatum ad Gesnerum transmittere constituerat, ut Athenagoræ Apologiam inde emendaret. Enim vero de obitu Gesneri mox certior factus, ipse amore rei literariæ juvandæ, textum Græcum ex suo codice & castigavit, & versionem novam eamque satis luculentam fecit, quam Coloniæ M DLXVII cum commentario in lucem emisit publicam. Nostri autem seculi anno XXXVI Athenagoras, cum Justini M. operibus, Theophili ad Autolycum libris, Tatiani Assyrii contra Græcos oratione, Parisiis in fol. prodiit. Ante biennium Oxonii adspersis quibusdam notis impressus est. *Clarissimus Collega noster*, qui novam hanc editionem adornavit, Græcum H. Stephani exemplar variis parenthesibus propter hyperbata notatum retinuit, adposita Suffridi Petri interpretatione, & notis variorum autorum textui substratis; puta *Conr. Gesneri, H. Stephani, Suffridi Petri, Editoris Oxoniensis*, & *D. Kortholti, Theologi Kiloniensis primarii.* Quas inspersis hinc inde suis auxit, ut melioribus literis consecrata juventus ansam haberet, ulterius inquirendi, quæ ad antiquitatis tum profanæ tum Ecclesiasticæ studium faciunt. Quam operam si illi ut utilem, ita non ingratam fuisse intellexerit, alterum Athenagoræ libellum nervosissimum de *Resurrectione* publicare non pigrabitur.

WILHELMI TEN RHYNE M. D.
Dissertatio de Arthritide: Mantissa schematica: de acupunctura: & Orationes tres &c.

Londini, apud R. Chiswel, 1683, in 8.

Fasciculum hunc diversi subjecti tractatuum Experientissimus *ten Rhyne*, Medicus & Anatomicus Societatis, quam in Indiis Orientalibus

libus Batavi colunt, apud Jacatrenses, per *Meditationes in Hipp. text. 24. de Veter. Medic.* per *descriptionem fruticis herbæ Thee*, *Hortum Malabaricum* primum ab ipso confectum, & *Therapeuticen Indicam*, quam a *Matthæo S. Josephi* collectam suo stylo, ut ipse de arthrit. p. 102. perhibet, pertexuit & auxit, clarissimus, primitias esse voluit observationum suarum Indicarum, reliquas, magnæ expectationis, alii tempori reservans.

Inter opuscula nunc junctim edita mole reliqua superat dissertatio *de Arthritide*, cui objectiones extemporaneas, a se Bushovii definitioni Arthritidis oggestas, cum responsione ab illo regesta, item summam cujusdam epistolæ, inustionem Arthriticorum concernentis, una cum annotatis quibusdam ad Boshovii de Podagra tractatum, Postscriptorum nomine, præmittit. Ipsam dissertationem in partes tres dividit, quarum prior ætiologiam arthritidis exponens, antiquissimum illud de morborum causis ex flatibus dogma, absonum hactenus Europæis scholis visum, in scenam producit; hinc Arthritidem describit præternaturalem periostei, parvum, plerumque invisibilem atq; intrinsece delitescentem tumorem, ex sicco, frigido & maligno artum flatu, qui per arterias sanguine subvectus ad artus eorumque præprimis articulos expellitur, & ab ossibus periostea vi divellit, cui interstitio vi impactus flatus dictam tenerrimi sensus membranam distendendo acerbi adeo doloris autor existit, ut & ipsum membrum in suo motu quandoque impediat.

Parvum & intrinsecum vocat hunc tumorem, ut hunc, tanquam morbum, a suo symptomate, tumore sc. externo, seroso ac illi superveniente discriminet: & sicut unam morborum omnium causam, flatum, ex Hippocrate statuminare conatur, ita arthriticum quoque tumorem reconditum eundum producere, prolixius & per argumenta æque varia ac autoritates Hippocratis aliorumque Medicorum, item Japonum praxin & monumenta Sinensium, asserit, simulq; illorum dubio, qui articulorum cruciatus longe pertinaciores ac alios a flatibus oriundos morbos, adeoque nullam inter causam & effectum proportionem esse, contendunt, satisfacit. Frigidum pronunciat hunc flatum, quod sui contrario, sc. igne expedite solvatur, quod sub principium paroxysmi æger horrore succutiatur &c. Sicut autem cuncta viscera focum & fomitem flatibus his producendis subministrent, ita, si contingat, eosdem cum sanguine cor percellere, hoc illos averruncare & debellare

bellare contendens eos ad artus mittere, ut vel ex sola arthriticorum pulsus vehementia colligere foret: & quidem per arterias, quemadmodum harum pulsus major & crebrior, distensio, flatus ab arteriotoma frequens eruptio, ac repellentium damna evincant.

In parte semiotica seu altera, signa pathognomonica morbi articularis ubi exponere contendit, non secundum *Barbette* aliosque, tumorem, calorem, inflammationem, & febrem, sed motus impotentiam ac dolorem lancinantem, distendentem, pulsatilem, profundum, assiduum atque acerbum, cum venarum intumescentia & intensiore arteriarum pulsu, eadem pronunciat, ita ut dolor reliquis hujus affectus symptomatis occasionem suggerat, adeoque hæc accidentium demum accidentia & quidem separabilia, existant. Imo distinctionem inter tumorem morbi articularis internum & externum ex pathologia sua repetens, hunc, tanquam ab humorum affluxu exurgentem, ab illo inductum dolorem potius mitigare, simul tamen immedicabile nodorum tophorumque malum præter topicorum inconcinnam applicationem, ciere contendit. Partem tertiam seu therapeuticam ubi aggreditur, duo preprimis hactenus arthritidis medelæ obstitisse edocet, audaciam sc. nonnullorum impostorum atque imperitorum, aliorum vero quos vera morbi causa latebat, timiditatem desperationi maxime analogam: illam nihilominus ab igne, & quidem solo sperare, jubet autoritati veterum nisus, qui usum ustionis in aliis æque morbis ac in arthritide quam proficuum observarunt & commendarunt. Quamvis enim mollities ac teneritudo hujus seculi, quo cuti magis indulsere homines, pyrotechnica remedia ex Chirurgia & Medicina proscripserit: horum tamen administrandi rationem singularemque in multis affectibus efficaciam *M. A. Severinum* velut ex orco tempestive satis revocasse ait, ita quidem, ut quum crudelitas candentis ferri *Hippocrati*, *Celso*, *Aquapendenti*, ac nominato *Severino* jamdum de materia ignis aptiore, fungis sc. stupa linea aut ex cotone confecta, cogitandi occasionem dederit, herbaceam Sinarum stupam i. e. *Moxam a Bushovio* primo inventam ac autori suggestam, quæque causam morbi continentem, nempe flatum, tollat, hic reliquis omnibus anteferat, confirmatus in hoc præprimis a Japonibus & Sinis, qui, inprimis priores, in quovis sexu, ætate, morbo, anni tempore, regione, summo cum emolumento hoc Moxæ comburio, cum acuũ punctura utantur. Moxam autem nihil aliud,

Digitized by Google

aliud, quam artemisiam latifoliam exsiccatam, seu hujus lanuginem, qua integra fere Japoniæ tellus industrio quasi labore consita, quanquam *Jomongi* & *Nophouts* alias vocant, esse ait, inustionem arthriticorum ex Hippocratis documentis aliorumque Autorum scriptis comprobat, tandemque modum lanuginem hanc parandi ejusque applicandi rationem, cum omnibus atque singulis circumstantiis & quibusdam prohibentibus exponit.

Addit huic dissertationi, pro pathologia flatuosa hujusque remedio adæquato, nempe inustione cum Moxa, confirmando, appendicis loco *Febris Cardiacæ & Cordis Palpitationis ex Flatibus* a se ipso passæ descriptionem, cum enarratione symptomatum ejus satis molestorum, & tantum non lethalium, cui præter Clysmata, abdominis inustiuncula, per moxam adornata, unicum & verum extiterint remedium.

Excipit hæc *Mantissa Schematica* icones exponens quatuor, quarum binæ secundum Sinenses, binæ secundum Japones, cuncta in diversis affectibus Moxa adurenda & acu perforanda loca, in anterioribus, posterioribus, & lateralibus partibus, determinant: & quidem secundum sanguinis circulationis tractum, in quo discendo docendoq; a multis etiam seculis plus forte studii, quam cuncti Europæi impenderunt, totius Medicinæ stabilimen ex illius præceptis desumentes.

Sequitur Opusculū de *Acupunctura*, quam cum inustionibus utramque fere apud Sinenses & Japones in praxi Medica partem absolvere superius dixerat, & nunc repetit, ita quidem ut peculiares acus administratores, artistæ, Sinensibus *Xinxieu* & Japonensibus *Farriatte* appellentur. Hujus acus tradit delineationem, insimulque applicandi rationem ac usum in diversis affectibus singularem declarat.

Restant *Orationes* Autoris *tres*, quarum priorem *de Chimiæ ac Botaniæ antiquitate & dignitate* habuit, cum apud Jacatrenses Batavos Anatomicas prælectiones publice auspicaretur; *Altera Physiognomiæ* vim atque nobilitatem, *Tertia* vero Monstrorum causas & fiendi rationem exponit idem, præmittens his *descriptionem Morbi maritimi* & maligni, qui in navigatione ad Indias orientales eum cum comitibus atrociter afflixerat, una cum remediorum eidem appropriatorum commemoratione.

CHRISTI-

CHRISTIANI KORTHOLTI, S. THEOL. D. ET PROF. *Primarii, de Vita & Moribus Christianis primævis per Gentilium malitiam afflictis, liber.*

Kiloni, literis Joachimi Reumanni, anno 1683, in 4.

Cum veterum Christianorum vitam, mores ac calamitatem nosse, multum in vita Christiana utilitatis habeat; nil a munere Theologi alienum se facturum putavit *Autor celeberrimus*, si evolutis antiquorum scriptorum ecclesiasticorum monumentis, tum illorum pietatem ac vitæ innocentiam, tum gentilium calumnias, quies Christianismum maxime invisum aut exosum reddere studuerunt, paulo uberius exponeret. Ejus rei quidem jam ante specimen eruditum dederat, publicato Kilonii anno 1668 tractatu, *de calumniis Paganorum in Christianos veteres sparsis*: sed quia illo non omnia, quæ ad hoc argumentum faciunt, perstrinxerat, præsenti libro ea quasi supplere voluit. Ac primum quidem Celsi & Juliani calumniam diluit, qui Christianos ideo improbitatis arguebant, quod malos ac improbos homines in suos reciperent cœtus. Deinde ostendit, perperam toti Ecclesiæ vitia quorundam malorum Christianorum fuisse imputata. Inde singulatim crimina aut vitia Christianis per calumniam objecta recenset: ut sunt impostura, magia, clancularii & nocturni conventus, factiones & conspirationes, crimen læsæ majestatis, odium generis humani, Thyesteæ epulæ, Oedipodeæ mixtiones, contumacia pervicax, affectatio inanis gloriæ, inertia & ἀχρηστία. Præterea etiam Christianis miseriam & calamitosam sortem exprobrarunt, calamitatum publicarum caussas in ipsos conferentes. Quamobrem *Augustinus* eruditum de *Civitate DEI* opus, & *Cyprianus librum contra Demetrium* scripserunt, quibus ἐγκλήματα hæc potissimum confutare annisi sunt. Omnia hæc *Autor in antiquitate Ecclesiastica versatissimus*, quindecim capitibus complectitur, & testimoniis tam Græcorum quam Latinorum Patrum, inprimis eorum, qui pro Christianis scripta apologetica edidere, confirmat. Singulis capitibus quoddam quasi breviarium præmissum est, ex quo de argumento lectori facile constare potest.

(o)

Digitized by Google

N. IIX.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M DC LXXXIV.

S. HIERONYMI STRIDONENSIS OPERA OMNIA, cum notis & scholiis, variis item lectionibus, Desiderii Erasmi Roterodami, Mariani Victorii Reatini, Henrici Gravii, Frontonis Ducæi, Latini Latinii, aliorumque: Autoritate & sumptibus Serenissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI, Ernesti Pii filii, Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, &c. &c.

Francofurti ad Mænum & Lipsiæ, A. 1684. in fol.

PErmagni interesse ecclesiæ juxta atque rei literariæ, ut post sacratissimum Divini verbi depositum, sanctorum quoque Patrum monumenta integre custodiantur, a nemine in dubium facile vocabitur, quod scripta Patrum totius inde ab Apostolorum temporibus antiquitatis lumina, imo thesauri habeantur, quibus nihil esse potest pretiosius, nihil ecclesia Christiana dignius. Nec minima fuisse, hæc videtur caussa, cur Serenissimus Saxoniæ Princeps nulli parcendum sumtui statuerit, nulli suorum operæ, quo quantum fieri nitidissime posset, in lucem rursus publicam omnia D. HIERONYMI Opera, nobilissimi inter Patres syderis, prodirent. Ut enim Parentis gloriosæ recordationis pietatem inclytam, & quam pro divini verbi ac religionis orthodoxæ custodia gessit, curam & zelum incredibilem, opus Biblicum Glossatum, Vinariense vel Ernestinum quod usurpatur, aperte satis loquitur: sic easdem virtutes Principe dignissimas ostendi maxime erudito orbi voluit Filius Serenissimus, e Patrum augustorum, Hieronymi præprimis voluminibus, ab interitu nunc egregie vindicatis, & incorrupte denuo ad posteritatem transmissis.

Et architecturam quidem universi operis, tanti Principis auspiciis absoluti & perfecti, primarius Academiæ Juliæ Professor, D.

 Frider.

Fridericus Ulricus Calixtus, in horum voluminum, quam nuper edidit, *idea* sic expressit, ut nos facile recensendi negotio in præsenti sublevet. Quæ de vita etiam, de studiis, de Hieronymi scriptis, quænam spuria, quænam genuina; de variis præsertim editionibus, commentatoribusque; de autoritate Hieronymi, quam diversis piorum ille & eruditorum virorum judiciis habeat, & similibus, hoc forte loco commemorari meruissent, occupavit *Criticus Hieronymianus*, quem publico proxime daturum se promisit de hac Operum editione, ut de ecclesia alias, insigniter meritus D. Adamus Tribbechovius. De tam præclaro tamen instituto, pietatisque pariter atque fructus in ecclesiam redundantis plenissimo, ne sileamus plane, est nova hæc Saxonica editio ex Erasmiano eoque probatissimo codice expressa. Frobenianam siquidem hanc Basileensem, quam Romanam editionem Mariani Victorii Reatini, vel alias ex illa in Germania, & Gallia impressas, sequi autores ejus maluerunt, quod eruditas Erasmi præfationes, censuras item, ac notas, aut plane omiserit Marianus, aut eliserit, aut interpolaverit strenue, manifesto satis partium in religione studio, quove palmam, quæ ex Hieronymi editione manserat Erasmum, prorsus interverteret. Sic vero imaginem illius refert, ut, quod accurate omnino revisionis, collationisque diligentissimæ argumentum est, in cujusvis columnæ margine versuum addat, ex sacris ab Hieronymo passim adductorum, capitumque numeros, in nullis hactenus comparentes, ut & paginas, quibus Gravii, & Victorii annotationes, tomo demum decimo expressæ, reperiuntur. Cumque novem in universum tomis Erasmianum codicem absolvi constet, novus hic δωδεκάμοιρος est, tomorumque adeo triade illum, cujus structuram imitatur, superat.

PRIMUS enim, (ut elegantes D. Tribbechovii præfationes, evolutionem insignium Principis, quam secundum artis Heraldicæ principia adornavit Bernhardus Zechius, Serenissimo Principi a Feudalibus Secretis; Erasmi epistolam nuncupatoriam ad Cantuariensem Archiepiscopum; Hieronymi vitam per Erasmum pulcherrime descriptam, cum aliis præmissis omittamus,) exhibet prima sui parte D. Hieronymi Epistolas, seu Libros Epistolares, non omnes quidem, sed eos solum, qui respiciunt mores, & Christianæ institutionem vitæ, prout vetustissimorum codicum collatione ab Erasmo recogniti,

scho-

ſcholiis, & artis, quam in qualibet adhibuit autor, annotatione illuſtrati, nec non antidoto calumniæ venenum contra ejusdem opera fuere præmuniti: parte autem reliqua celebrem ſiſtit Scriptorum Eccleſiaſticorum catalogum, Latino idiomate, epiſtolæ in modum ab Hieronymo confectum, & in Græcum a coætaneo ejusdem Sophronio translatum. Cui coronidis vice, ſimilis plane argumenti, illuſtrium nempe virorum catalogus, a Gennadio Maſſileenſis eccleſiæ presbytero, Hieronymum in hoc ſcripti genere imitato compoſitus, cum Eraſmi præfatione jungitur. Atque optamus maxime, ut, quam Hieronymiani catalogi occaſione Idea ante laudata promiſit nobis, *Introductio ad Scriptorum Eccleſiaſticorum Notitiam* publico conſpectui quamprimum exponatur.

SECUNDUS ſcripta Hieronymi ἐλεγτικὰ, & quæ his finitima ſunt, ἀπολογητικὰ, ſeu quibus diverſæ Helvidii v. g. Joviniani, Vigilantii, Montani, Luciferianorum, & Pelagianorum hæreſes, & maledicorum, Ruffini præſertim calumniæ profligantur, una cum perſpicuis argumentis & eruditiſſimis Roterodami ſcholiis complectitur, ut proinde Defenſor fidei & orthodoxias inſcribi omnino mereatur.

Ad TERTIUM relata ſunt ſcripta ἐξηγηματικὰ, ſeu quæ ad expoſitionem divinarum Scripturarum aliquid momenti afferunt, & præfationum partim, partim epiſtolarum, partim explanationum, partim etiam traditionum Ebraicarum titulo inſigniuntur. Mores enim & animum ut componere primus tomus docet, ſic fidei defenſionem oſtendit proximus, & ſacram eruditionem tertius, qui & ipſe epiſtolarium librorum eſt poſtremus. Iſte Hieronymum eloquentem, ille fulminantem ac tonantem, hic doctorem nobis exhibet.

In QUARTUM ſcripta quæ aliena ſunt, dubiæque ac ſuſpectæ fidei, conjecta ſic fuere, ut primum inter ea locum habeant ψευδεπίγραφα, hoc eſt, falſo quidem tributa Hieronymo, ſed erudita tamen lectuque indigna minime: medium, aliena & illa quidem, ſed quæ titulis non dubiis, a quibus profecta ſint autoribus, teſtantur: ultimum vero, quæ non ſolum falſa, verum etiam impudentiſſima inſcriptione Hieronymum autorem mentiuntur, virum omnium longe cum eruditiſſimum, tum eloquentiſſimum: cum adeo ſint, Eraſmi judicio, & inerudita, & infantia, ut nec umbram ullam Hieronymiani pectoris referant, adjuncta nihilominus, ne quid

receptæ editioni subtractum videretur. Legi hic tamen duæ Erasmi ad divinarum literarum studiosos epistolæ merentur maxime, altera in tomi fronte catalogum nectens eorum, quæ in quolibet Scriptorum genere ὑποβολιμαῖα reperiuntur: altera in tertia ejusdem serie conspicua, venuste impostorem prodens, insulsa sua pro genuinis nunc Hieronymi, nunc Augustini, nunc Ambrosii, nunc Cyrilli, nunc Eusebii supponentem, hominisque inscitiam & imprudentiam graviter perstringens.

QUINTUS, quem non Erasmo, licet fatis non ante functo, quam perficerentur reliqui, sed Brunoni, & Basilio Amorbachiis debemus, quatuor, majores quos vacant, Prophetarũ, Esaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, atque Danielis Vaticinia sic recitat, ut ubique Hieronymi commentarios, labore Amorbachiorum improbo restitutos atque emendatos, singulis capitibus subnectat.

SEXTUM duodecim, quos vocamus minores, Prophetarum Vaticinia occupant, ex Hebræo pariter, & Græco idiomate translata in Latinum: nec non commentarii Hieronymi, ad autoritatem veterum codicum exacti, pristinæque integritati restituti ab Amorbachiis, eam in rem Johannis Reuchlini etiam, Cononis Norimbergensis, Gregorii Reischii & Conradi Pellicani opem adhibentibus.

In SEPTIMO primus locus commentariis cessit in Parabolas Salomonis, proximus commentariis in Ecclesiasten, homiliis quatuor in Cantica Canticorum tertius, & postremus in Jobum commentariis. Et licet unus duntaxat e recensitis, commentarius nempe præmissa gemina versione textus Ecclesiasten explicans, indubitatæ habeatur fidei, nec nisi Hieronymum autorem referat, aliis vero tribuendi veniant cæteri; excusationem tamen editionis hujus Principalis autores non habebunt minus, quam invenerunt eam hactenus Amorbachii, nihil in editione Veneta existens desiderari in sua passi.

OCTAVO exhibentur commentarii in Psalterium Davidis, quos divo tamen Hieronymo falso inscriptos esse, in præfatione monet Bruno Amorbachius, Erasmi subnixus & autoritate, nec levibus argumentis. Appendicis in vicem additur Psalterium quadruplex: Hebræum punctis vocalibus instructum & accentibus; huic e regione veritas Hebraica, Latino videlicet Hieronymi idiomate concepta: Græcum τῶν septuaginta, & huic a latere, quæ vulgo legitur, versio.

NONI

Digitized by Google

NONI argumentum inchoant commentarii in Evangelium Matthæi & Marci, nec non in divi Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, & ad Philemonem Epistolas: continuant alii in omnes Pauli Epistolas, autore sed incerto scripti: absolvunt denique Didymi de Spiritu Sancto libri, quos tanti fecit Hieronymus, e Græco in Latinum ut sermonem verteret. Primi quæ sunt ordinis, commentariis tamen in Marcum exceptis, pro γνησίοις seu legitimis agnoscere non dubitat toties jam citatus Amorbachius, a quo & Lucæ, ac Johannis Evangeliorum contextus eo est adjectus fine, ut Canoni Evangelico, cujus autorem faciunt Eusebium, tanto magis responderet. Secundi vero ordinis commentarios indignos idem censet, qui tribuantur Hieronymo. Sed satis de partibus operum videbimur dixisse, quas cum Erasmiano codice communes habet noster. Sequuntur nonnulla adhuc Volumina, eo quod in aliis editionibus legerentur, commentariorumque vicem Hieronymianis præstarent monumentis, adjuncta. Tomo itaque horum Operum DECIMO quæ porriguntur, post Præfationem ad Pontificem Pium IV, sunt Mariani Victorii Reatini, Episcopi Amerini commentatio de vita Hieronymi, ejusdemque scholia, & annotationes in Hieronymi libros. In his enim cum non pauca reperirentur, quæ eruditorum ferebant calculum, omnia ejus Scriptoris ἐσθλὰ μεμιγμένα λυγροῖς invidere seculo autores hujus editionis noluerunt. Porro eruditæ Henrici Gravii in CII epistolas Hieronymi, nec non Frontonis Ducæi notæ, quæ D. Tribbechovio judice, præ aliis merentur plausum, præsertim ubi Philologica feliciter expediunt: præterea Latini Latinii observationes & conjecturæ in Hieronymi epistolas, quibus aliquot Hieronymi loca emendantur exacte, cum scholiis Mariani sæpius memorati.

UNDECIMO pro argumento dedit Editor, ne Hieronymum truncatum quasi ac mutilum exhibuisse videretur iis, qui Scholasticarum quæstionum habent gustum, & talibus pascuntur forte atque delectantur, Francisci a Messana difficilia sancti Hieronymi loca, & Ferdinandi Vellosilli, Episcopi Lucensis, animadversiones in Hieronymi opera, quas advertentias Theologiæ Scholasticæ inscripsit autor.

POSTREMUM denique tomum quatuor novi absolvunt in-

 dices.

dices. Unus Biblicus, Scripturæ locorum, cum aliqua videlicet vel explicatione, vel notabili applicatione per opus universum adductorum: secundus, locorum Theologicorum, seu capitum doctrinæ fidei: tertius Miscellaneorum, qui res Theologicas, Philologicas, Morales, & Historicas eum ad modum colligit, ut nec vocabulorum Græcorum atque Hebræorum rationem negligat: quartus materiarum syllogen suppeditat, ad homilias dominicis diebus, festisque cæteris proponendas apprime facientium.

NOVA COLLECTIO CONCILIORUM. STEPHANUS Baluzius in unum collegit, multa notatu dignissima nunc primum edidit, notis illustravit, reliqua emendavit ad vetustissima exemplaria manuscripta.

Parisiis, ex officina Francisci Muguet, 1683. in fol.

QUod fluviis accidere solet, ut, quo longius a suis fontibus decurrunt, eo ampliora sibi spatia acquirant, idem conciliorum collectioni longo temporis decursu subinde per varias accessiones evenisse deprehendimus. Primum enim *Jacobus Merlinus*, ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarius, Lutetiæ A.C. 1524 duos conciliorum tomos, a Petro Quentello A. C. 1530 Coloniæ recusos, & A.C. 1535 denuo Parisiis impressos adornavit; uno quidem concilia una cum Romanorum Pontificum epistolis decretalibus ab Isidoro quondam compilata, altero vero acta duorum Constantinopolitanorum, nec non Constantiensis & Basileensis concilii complexus. Cujus diligentiam imitatus *Petrus Crabbe* Mechlinensis ordinis Franciscani A. C. 1538. itidem duos conciliorum tomos sed longe ampliores edidit, in quibus præter appendices & supplementa concilii Constantiensis & Basileensis, variasque synodos & epistolas, gesta Concilii Chalcedonensis ex recensione Rustici Romanæ ecclesiæ Diaconi, Liberati Carthaginensis breviarium, concilium Lateranense sub Innocentii III. Pontificatu celebratum, gesta concilii Florentini ex interpretatione Bartholomæi Abrami Cretensis, & vitas Romanorum Pontificum adjecit. Cum vero ne sic quidem conciliorum historiæ satisfecisse sibi vide-

videretur, anno vulgaris æræ 1551 novum conciliorum opus tribus tomis comprehensum, Niceno II, Lateranensi V, plurimisque aliis conciliis additis, in publicum emisit. Paulo post, anno nempe 1555, *Franciscus Joverius* Valentinus tripartitum sanctionum ecclesiasticarum opus, quarum prima classis synodos universales, secunda particulares, tertia pontificum decreta continet, cum in finem Parisiis vulgavit, ut singulis sanctionum istarum generibus, quæ hactenus permixta fuerant, seorsim collocatis, conciliorum lectio jucundior & facilior redderetur. Verum cum novi nihil attulerit, sed potius de contrahendo volumine, ne ultra debitam magnitudinem excresceret, solicitus fuerit, æque minus hoc loco rationem ejus aliquam habendam ducimus, quam Bartholomæi Carranzæ & cæterorum, qui conciliorum tomos in summas & compendia redegerunt.

Progredimur ergo ad *Laurentium Surium* Carthusianum, qui quatuor volumina conciliorum Coloniæ A. C. 1567, Gervini Calenii Juris Licentiati typis impressa divulgavit, in quibus non solum aliquot locorum millia, ad manuscriptorum codicum fidem diligenter collata, emendavit & integritati suæ restituit, verum etiam libris octo constitutionum apostolicarum, quas vocant, codice encyclio seu syntagmate epistolarum synodalium, pro defensione concilii Chalcedonensis ad Leonem Imp. ex diversis provinciis scriptarum, concilio V. generali, plurimisque aliis antiquitatis ecclesiasticæ monumentis, quæ in id usque tempus desiderata fuerant, conciliorum thesaurum locupletavit.

Surianam conciliorum collectionem *Veneta* excepit, quæ in quinque tomos distributa A. C. 1585. ex Dominici Nicolini officina prodiit, actis concilii Niceni, quæ Alphonsus Pisanus ediderat, nec non actis Ephesini concilii, quæ Theodorus Peltanus Latino idiomate donaverat, & Caroli Borromæi conciliis Mediolanensibus, nonnullisque aliis conciliis & epistolis auctior; ut annotationes breviores margini, & pleniores contextui adjectas taceamus.

Hanc tot Virorum clarissimorum in colligendis conciliis industriam nostro seculo *Severinus Binius* Canonicus Coloniensis tantum abest, ut non æquasse, ut omnibus potius palmam præripuisse videatur. Is enim A. C. 1606 novam conciliorum collectionem, scholiis & annotationibus ex Baronio maxime depromptis, & ad Curiæ Roma-

næ

næ placita accommodatis illustratam, & duodecimo post anno vulgaris æræ 1618 iterum aliam in eruditorum conspectum hoc discrimine prodire jussit, ut prior editio mere Latina quatuor tomis, tertio in duo volumina diviso, contineatur, in posteriore autem, quæ longe amplior & illustrior est, Græca, quæcunque reperiri potuerunt, accesserint, singulis tomis in duo vel tria volumina distributis; quanquam postea Parisienses, cum posteriorem Binii editionem A. C. 1638. iterum prelo subjecerunt, totum opus in novem tomos, septimo in duo volumina partito, digesserunt. Cæterum e plurimis, quæ Binius partim in prima, partim in secunda editione conciliorum tomis primus inseruit, nominare jam sufficiat concilia Hispanica, quæ A. C. 1593. Madriti apud Petrum Madrigalium, Garsiæ Loaisæ studio, cum ejusdem scholiis & annotationibus edita fuerant, & tomos IV. Græco-Latinos conciliorum generalium, quæ A. C. 1608. Pauli V. auspiciis Romæ ex Vaticana typographia prodeuntia lucem aspexerunt.

Verum & voluminum numero, & augusto chartæ & typorum apparatu, Binianas & omnes reliquas conciliorum collectiones antecellit *Regia*, quæ in 37 tomos diffusa A. C. 1644. Parisiis in publicum exivit, quæ & ipsa novis accessionibus minime caruit. In ea enim Jacobi Sirmondi concilia Gallicana, Horatii Justiniani concilium Florentinum, quod paulo ante id tempus Romæ excusum fuerat, *Vigilii* epistola pro confirmatione Synodi V. & appendix ad concilium Claromontanum cum dissertationibus Petri de Marca, antiqua Angliæ concilia, concilium Lemovicense ex manuscripto Thuanæ bibliothecæ codice suppletum, aliaque, quæ Binium & reliquos conciliorum editores latuerant, comparent.

Viginti tomis minor est postrema conciliorum collectio, quam *Philippus Labbeus* in se suscepit, & operi immortuus *Gabrieli Cossartio* perficiendam reliquit, A. C. 1672. Parisiis absoluta. Sed quantum Regiæ cedit voluminum numero, typis quippe minutioribus expressa, tantum conciliorum & tractatuum ad pleniorem conciliorum historiam pertinentium copia Regiam superat; ut patet ex synopsi singulorum 17 tomorum, in qua asterisco notantur, quæ in Regia collectione desiderantur: qualia sunt Clementis Romani prior ad Corinthios epistola cum præfatione & notis Patritii Junii, & posterioris epistolæ fragmentum cum divinatione Godofredi Vendelini, constitutio-

tutiones apoſtolicæ Græce & Latine interprete Franciſco Turriano; Urſini Afri tractatus de baptiſmo hæreticorum, a Rigaltio in notis ad Cyprianum, non expreſſo Autoris nomine vulgatus; Ferdinandi de Mendoza libri tres de confirmando concilio Eliberitano; Canones 84. Niceni, cum aliis ejusdem concilii ſanctionibus & decretis, ex Arabica verſione ab Abrahamo Ecchellenſi Maronita Latine redditi, ejusdemque interpretis diſſertatio & notæ: Concilium Carthaginenſe I. a Luca Holſtenio ex Vaticana bibliotheca emendatum; Marii Mercatoris commonitorium ſuper nomine Celeſtii, Pelagii, & Juliani; Petavii disſertatio de damnatione Photini; variorum Patrum epiſtolæ, & reſponſa canonica; varia concilia ex libello ſynodico; Albaſpinei ad concilia nonnulla obſervationes; Jacobi Sirmondi ad epiſtolas Pontificum & concilia Gallica notæ poſthumæ, aliaque eccleſiaſtica monumenta ab ipſo edita; ut ipſius Labbei obſervationes paſſim interſperſas, & cætera, quæ partim in primo & ſecundo tomo, ex quibus huc paucula ſpeciminis loco excerpſimus, partim in reliquis voluminibus occurrunt, ſilentio prætermittamus, cum longe plura ſint, quam ut hic ſigillatim recenſeri poſſint aut debeant.

Jamque apud multos perfecta & omnibus numeris abſoluta videri poterat conciliorum collectio, cum vir celeberrimus *Stephanus Baluzius*, poſtquam & ſuopte ingenio a teneris ad hæc ſtudia propenſus, & Petri de Marca, quem perquam ſibi familiarem habuit, exemplo incitatus, & Colbertina, cui poſtmodo præfectus fuit, bibliotheca aliisque ſubſidiis adjutus, maximam eccleſiaſticæ eruditionis ſupellectilem collegiſſet, plurima in conciliorum collectionibus etiam poſtremis omiſſa, aut negligentius, quam oportuit, tractata deprehendit. Quamobrem, ſi ad emendanda, augenda, & complenda conciliorum acta animum appelleret, operæ ſe pretium facturum exiſtimavit, eoq; conſilio novam conciliorum collectionem ſeu potius reliquarum collectionum ſupplementum apparare cœpit, cujus primus tomus ſuperiore anno Pariſiis editus, ab A. C. 125. ad ſexti usque ſeculi medium pertingit.

Auſpicatur a concilio Siculo contra Heracleonitas Valentini progeniem coacto, cujus memoriam antiquus autor, ſub Prædeſtinati nomine a Sirmondo editus, in libro primo de hæreſibus ad poſteros transmiſit, ex quo etiam concilium Pergamenſe contra Colarbaſianos, Romanum contra Venuſtianos, Carthaginenſe contra Manichæos,

Orientale contra Cerdonianos,& duo Achaica contra Valesios & Aetianos, suo quodque loco inserta memorantur. Longum esset referre concilia, quæ a Labbeo & aliis omissa, ex Eusebio, Athanasio, Hilario, Ambrosio, Epiphanio, Hieronymo, Augustino, Mario Mercatore, Victore Tununensi, Photio, aliisque autoribus Baluzius supplevit. Longius ea enumerare, quæ vel a plurimis mendis liberavit, vel loco non suo posita monuit, vel egregiis observationibus illustravit, vel accessionibus non pœnitendis locupletavit. Quocirca unum tantum ac alterum exemplum referemus.

Ad concilium Mediolanense, A. C. 355. in causa Athanasii a trecentis & amplius episcopis habitum, ex vita Eusebii Vercellensis, quam tom. 4. Italiæ sacræ Ferdinandus Ughellus publicavit, prolixam de rebus in eo gestis narrationem addit. Acta Ariminensis concilii ex fragmentis Hilarii, a Nicolao Fabro ex Petri Pithœi bibliotheca editis, & Hieronymo subjectis notis & variis lectionibus recenset. Synodum Seleuciensem, cum eam tanto compendio in concilia relatam animadverteret, ut etiam expositio fidei in illo concilio tradita omissa fuerit, paulo accuratius enarrandam existimavit, ut harum rerum studiosi in unum locum congesta reperire possint, quæ Athanasius, Hilarius, Epiphanius, Severus Sulpitius, Socrates aliique veteres de ista synodo tradiderunt. Concilium Romanum, in quo Damasus publica voce Liberium damnavit, quamvis ejus mentio nullibi quam in vita Eusebii Romani habeatur, non indignum tamen censuit, quod reliquis conciliis adjungeretur. Concilii Cabarsussitani epistolam synodicam ab Augustino servatam cum pluribus codicibus manuscriptis contulit, & varias lectiones annotavit. Ad concilium Carthaginense 4, quod A. C. 398. celebratum est, canonem 105 nunc primum ex Urgellensis ecclesiæ codice adjecit, ex quo etiam ad Regense concilium duos canones addidit, quos in vulgatis editionibus deesse deprehendit. Acta concilii ad Quercum contra Chrysostomum habiti, quæ in postrema conciliorum editione ex Photio relata fuerant, ex Palladii dialogo, quem Emerico Bigotio debemus, memorat. In epistola Vigilii ad Profuturum Episcopum Bracarensem scripta, quæ quondam Eutherio vel Eleutherio inscripta fuerat, eam partem, quæ de Romanæ ecclesiæ primatu agit, omisit, fidem antiquorum codicum, ex quibus hanc epistolam edidit, secutus. Sed his omissis ad ea, quæ majorem hujus tomi partem occupant, transeamus.

Cele-

Celebris est *collatio* Augustini ævo inter *Catholicos & Donatistas* habita, cujus gesta Severini & Juliani impulsu Marcellus Memorialis in compendium contraxit. Eorum unicum, quantum constat, manuscriptum exemplar ab interitu servatum hodie superest, quod cum superiore seculo Johannis Tilii Meldensis Episcopi beneficio in Francisci Balduini manus pervenisset, post ejus mortem primum Papyrii Massoni, ac deinceps Petri Pithœi cura emendatius prodiit. A quo tempore collationis ejus gesta etiam cum Optati Milevitani operibus, & in conciliorum tomis excusa denuo fuerunt. Cum autem Baluzius multa adhuc emendanda restare intelligeret, id operæ in se suscepit, ut codices editos cum manuscripto, quod nunc in Colbertina bibliotheca asservatur, diligenter conferret, errata veteris librarii tolleret, & gesta hæc longe saniora, quam unquam antea prodierant, vulgaret. Adjunxit sermones ab Augustino ante & post collationem habitos, & quæ in gestis tertiæ cognitionis desiderantur, ex Augustini breviculo supplevit. In notis vero, quas addidit, non solum emendationum suarum rationem exposuit, verum etiam plurima obscura & intellectu difficilia solerter explicavit, & inprimis ecclesiæ Africanæ notitiam egregie illustravit.

Antiquam versionem *concilii Ephesini* ab Antonio Contio quondam editam, & in tomis conciliorum hactenus neglectam, novæ huic conciliorum collectioni inserere non dedignatus est, cum præsertim eam ope trium vetustissimorum codicum longe meliorem fecerit, & eruditis conjecturis suis ubique additis a plurimis mendis & lacunis repurgaverit. Subjuncta est actio 6 concilii Ephesini interprete Mario Mercatore nunc primum edita, cum epistolis quibusdam ad Nestorii causam pertinentibus, quas inter Marii Mercatoris opera Garnerius jam ediderat. Succedunt fragmenta quædam Græca, partim ex codicibus bibliothecæ regiæ nunc primum edita, partim ex monumentis ecclesiæ Græcæ a Cotelerio vulgatis deprompta. Præmissum est actis concilii Ephesini commonitorium Cyrilli Posidonio datum, cum propter Nestorii negotium Romam mitteretur, inter Jacobi Sirmondi schedas haud ita pridem repertum, nec non commonitorium Cælestini Episcopi Romani episcopis & presbyteris ad Ephesinum concilium euntibus datum, quod hactenus ineditum Baluzius asserit, oblitus, quod Christianus Lupus Ord. Fr. Eremit. S. Augustini, post variorum

Patrum epistolas ad Ephesinum & Chalcedonense concilium spectantes, illud ipsum commonitorium jam evulgaverat.

Totum illud *syntagma epistolarum a Lupo ex codice Casinensi* Romæ descriptum, & postea in Belgio vulgatum, & in Actis nostris mense Augusto 1683. memoratum, Baluzius in novam hanc conciliorum collectionem intulit, ægerrime ferens, quod mſ. illum codicem, quo Lupus usus fuerat, consulere haud potuerit. Quamvis enim nihil intentatum reliquisset, ut ejus compos fieret, tanta tamen fuit monachorum istorum pertinacia, ut nulla arte nullisque precibus id impetrare potuerit. Suspicatur autem Baluzius, autorem istius collectionis fuisse Africanum & trium capitulorum defensorem, & post Justiniani tempora hoc synodicum adversus tragœdiam Irenæi, seu adversus libros, quos Irenæus Nestorii partibus addictus, tragœdiam vocavit, compilasse, quod a Lupo admodum indiligenter emissum queritur. Notas, quas Lupus admodum prolixas ad ducentesimum usque collectionis hujus caput, cui immortuus est, adjunxit, Baluzius omisit, & ipse breviores animadversiones singulis fere paginis subjecit, in quibus haud raro a Lupi scholiis dissentit. Cum enim Lupus in scholiis ad cap. 117, solum Damasum damnasse Lucium Arianum & Maximum Cynicum asserat, id negat Baluzius, eumque vehementer errare minime dubitat, cum Damasus Lucium non solus, sed cum concilio Italiæ & totius occidentis damnaverit, Maximum autem non damnaverit, sed potius contra Nectarium partibus ejus addictus fuerit. Quæ Lupus de pactis inter Proclum & Domnum conventis ex epistola Theodoreti ad Flavianum in scholiis ad c. 192 protulit, Baluzius mera esse commenta judicat. Loca, e quibus Lupus evincere conatur, Christianam fidem semper tradidisse, unicuique fideli præsertim Episcopo esse proprium custodem Angelum, id minime probare quod debent, Baluzius arbitratur.

Idem antiquam *Chalcedonensis concilii* versionem, quam Rusticus Diaconus emendandam suscepit, & Petrus Crabbe primus integram edidit, cum antea exiguam ejus partem Merlinus evulgasset, a Romanis conciliorum generalium editoribus, quos Binius & reliqui secuti sunt, sub emendationis specie tantum non obliteratam animadvertens, antiqua Chalcedonensis concilii exemplaria magno studio conquisivit, & cum editis tanta diligentia contulit, ut ipse pæne vereatur,

Digitized by Google

tur, ne in annotatione variarum lectionum, quas huc congessit, nimius fuerit. In prolegomenis huic concilio præfixis, ut & hoc addamus, inter alia contra Paschasium Quesnelium disputat, qui Julium Puteolanum Episcopum Ephesino concilio non interfuisse, & actionem concilii Chalcedonensis de Domno a Latino quodam impostore in gratiam Romani Pontificis confictam censuerat.

Post appendices concilii Chalcedonensis, *codicem* illum *encyclium* jussu Cassiodori Senatoris ab Epiphanio Scholastico Latinitate donatum, & primum a Surio vulgatum, cujus jam supra mentionem fecimus, eadem methodo, qua Chalcedonense concilium tractavit. Cum enim Romana & cæteris Romanam secutis conciliorum editionibus multa huic codici perperam inserta, multa haud exigui momenti intacta & prætermissa, ordinem epistolarum turbatum ipsumque codicem loco alieno positum observasset, exemplaria manuscripta & edita antiqua & nova accurate perlustravit, & quantum inter se varient, ostendit.

Postremum hujus tomi *concilium* est *generale quintum*, cujus emendationem etsi jam Labbeus antiquo Claudii Jolii codice adhibito aggressus fuerat, Baluzius tamen eodem codice, quo Labbeus usus fuerat, penitius inspecto, deprehendit, multa ab ipso neglecta & præterita fuisse. Quapropter se rem nec a proposito suo alienam, nec eruditis ingratam facturum arbitratus est, si ea, consulto præterea Bellovacensi codice, in nova hac conciliorum collectione fideliter suppleret. Videas igitur hic fragmentum ex judicato Vigilii, duas Vigilii epistolas ad Justinianum & Theodoram, jam olim a Monotheletis corruptas, eoque nomine in synodo generali 6. falsi postulatas, testimonium Theodori Cappadocis & Cethegi patricii, de jurejurando, quo se Vigilius obstrinxit, & literas Justiniani adversus Vigilium, ut maximum variarum lectionum apparatum taceamus. Additi sunt canones concilii V, quos ex veteri manuscripto bibliothecæ Cæsareæ Petrus Lambecius Græce edidit, quos excipit constitutum Vigilii de damnatione trium capitulorum in Colbertino quodam codice inventum, & ab epistola Vigilii ad Eutychium, quam in Regiæ bibliothecæ codice repertam Petrus de Marca publici juris fecerat, & erudita dissertatione illustraverat, diversum.

Post finem tomi primi accedunt *addenda* ad concilium Chalcedonense, ab Hieronymo Casanata serius transmissa, & alia nonnulla,

quæ in diverſis conciliis edenda vel emendanda Cl. Autor obſervavit, qui toto hoc opere monſtravit, longe pleniorem & emendatiorem conciliorum collectionem fieri poſſe, ſi quis pulcherrimi iſtius & utiliſſimi laboris conſilium aliquando capiat. Quamvis vero optandum foret, ut ipſe, qui conſilium dedit, negotio huic, cui nemo aptior, manum admoviſſet, interim tamen maxime ipſi ab hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis gratiæ debentur, quod ſaltem aliis egregii hujus operis molem in ſe aliquando fortaſſe ſuſcepturis fundamenta præſtruxit, & ut maximum laborum compendium illis faceret, nullis vigiliis atque laboribus pepercit.

LE PROTESTANT PACIFIQUE, OU TRAITE' de la Paix de l'Egliſe, contre Monſieur Jurieu. Par Leon de la Guitonniere, &c.

id eſt:

Proteſtans Pacificus, ſive Tractatus de pace Eccleſiæ: In quo ſecundum principia Reformatorum oſtenditur, quod fides Eccleſiæ Catholicæ non labefactet fundamenta ſalutis, & quod Reformati tolerare in communione ſua debeant omnes, qui in orbe ſunt, Chriſtianos, etiam Socinianos, & Quackeros, quorum Religio explicatur; adverſus Dn. Jurium: autore Leone Guitonerio.

Amſtelodami, A. 1684. in 12.

DE tolerantia diſſentientium in Religione problema, quod titulus hujus libri præ ſe fert, non tolerari tantum, ſed & laudari poſſet, ſi eo modo ab autore hoc, quisquis ille eſt, tractaretur, quo ab orthodoxis tractari ſolet. Verum alium animum, diverſumque ſcopum autori fuiſſe deprehendent, qui librum cum judicio legerint. Impugnat is ſub initium partis I. *Dn. Jurium*, cui librum in Acta noſtra anno præterito p. 530, & præf. p. 15. relatum, *Hiſtoriam* nempe *Calviniſmi & Papiſmi parallelam*, ut & *Præſervativum adverſus Expoſitionem Condomenſem*, aperte tribuit. Diſſenſus & refutationis cauſam inde potiſſimum ſumit, quod Jurius ſtatuerit puniri a magiſtratibus poſſe & debere, qui articulos

Digitized by Google

culos fundamentales ſive præcipuos,aut qui *auguſtiſſima*,ut loquitur, *religionis myſteria infringunt*, ſuaque dogmata aliis etiam, licet prohibiti,proponunt: puniri ſcilicet fas eſſe,non ut hæreticos,ſive prava ſentientes & ſibi ſapientes, ſed ut contumaces legum publicarum violatores. Exagitat hæc Autor, quia hac interpretatione admiſſa,nihil facilius ſit aut frequentius fiat, quam ut edicta talia proponantur, & per illa ſub contumaciæ & rebellionis obtentu,vis inferatur conſcientiis,in quas tamen ſoli Deo imperium ſit. Sed disquiri prius debuiſſe contendit, de jure talium edictorum & legum, ut & de qualitate articulorum & myſteriorum, quæ fundamentum religionis & ſalutis infringant. Et hactenus forte nihil ſcripſit, quod non multis aliis ſcriptum dictumve ſit. Longius autem progreditur, & id agere vult, ut fundamenta religionis in arctum comprimat, & quæ Reformati pro myſteriis,ſive magnis articulis habent,extenuet & eludat; nec fas fuiſſe putat, illorum cauſa ab Eccleſia Romana diſceſſionem facere aut continuare. Incipit a *decreto reprobationis*, quod non religionis ſed iniquitatis myſterium vocat,imo diaboli inventum; defenſum ab *Auguſtino*, non ſatis ſcilicet ab errore Manichæo purgato; renovatum a *Beza*, *Calvino*, *Gomaro*, & aliis inter Reformatos, tum a *Bajo*, *Sancyrano*, *Arnaldo*, & Janſeniſtis, ſive, ut ait, omnibus ſtultis & pertinacibus gratiæ & redemtionis univerſalis hoſtibus. Nec hic ſiſtit licentiam cenſuræ, ſed nec dogma de Trinitate ejus eſſe ponderis exiſtimat, ut propter id negatum quisquam in periculum venire debeat.Ita ſentientem mirum non eſt, reliquos omnes articulos pro levibus habere, ob quos ſchiſma ſuperiori ſeculo factum eſt. Pleroſque igitur, (excepta de conjugio clericorum quæſtione, quam, incertum qua de cauſa, intactam reliquit,) ex mente fere *Epiſcopi Condomenſis*, nunc *Meldenſis* ita excuſat & explicat, ut omnino,in Gallia præſertim,concordia iniri poſſit, ubi, ut ait, multisque ob id laudibus Regem extollit, errores indies corrigantur. Quod ſi eodem zelo, qui adverſus infallibilitatem & dominationem Pontificiam exercitus nuper fuit,per prudentiam & autoritatem Regiam progreſſus, (ut optat & hortatur,) fiat, ſublato inprimis ob inevitabilem abuſum imaginum cultu, introducto linguæ popularis inSacris uſu,& indulta communione ſub utraque,mox futurum eſſe ait, ut extincta Reformatorum ſecta, unitas Eccleſiæ in Gallia reſtituatur, & in eam redituri ſint doctiores & ſagaciores omnes,

præ-

Digitized by Google

præſertim *Claudii*, *Pageonii*, *Wolzogii*; nec in partibus manſuri, niſi ignorantes & pertinaces, inter quos habet *Pielatum*, *Jurium*, *Colvium*; ſic demum Regem *Reſtauratoris Eccleſiaſticæ unionis & veri cultus* titulo mactandum fore, omnibus aliis auguſtiori & præferendo. Utut vero hæc hominis eſſe videantur Romanis ſacris addicti, aut conciliationis qvaliscunque vel etiam diſſimulationis, cum diſpendio licet veritatis, ſuaſoris, eaque omnia manifeſtæ contradictioni ex omni parte ſubjaceant; crudiora tamen & duriora ſunt, quæ ex parte ſecunda pro theſi ſua, de tolerandis omnibus religionibus Chriſtianis ſtabilienda, apertius & audacius, quam quisquam alius, deducit. Omnes nempe nihil docere autumat, quod fundamentum Chriſtianiſmi ſubvertat: non *Anabaptiſtas*, non *Socinianos*, non *Quackeros*, ſi *Henrici Nicolai* ſectatores, qui *Familiſtæ* vocantur, excipias. Nec hoc aſſerto contentus, intoleranda & blaſphema contra Trinitatem, contraque æternam Deitatem Chriſti, hujusque ſatisfactionem commenta, tum quæ adverſus reſurrectionem corporum, & æternas inferni pœnas Socini ſchola excogitavit, deinde omnia Fanaticorum ſomnia & ludibria ita proponere & tueri aggreditur, ut ex ſui ipſius demum ſententia loqvi videatur, cum Socinianos & Quackeros defendit, quanqum & Arminianos elogiis honoret, ſolis Lutheranis immaniter infenſus. Hos in rigidos & moderatos diſpartitur. Illis non veretur ob doctrinam de *omnipræſentia* impias & diabolicas *ſubtilitates*, quibus *tota religio Chriſtiana deſtruaatur*, imputare, cum tamen acerrimum hunc, ut videri vult, omnium controverſiarum indagatorem latere non potuerit, quomodo & quamdudum Theologi Lutherani calumnias iſtas, (quas optimo jure diabolicas vocare licet,) egregie repulerint. Sed & in moderatiorum, quos credit vel fingit, claſſe, paucos pro membris veræ Eccleſiæ admittit. Eſſe enim inter hos, ſcribit, qui ad ſimulachra Chriſti crucifixi in genua provoluti, idololatriam aperte committant, quod eccleſiis Lutheranis falſo affingi omnibus conſtat, tantoque impudentius & petulantius effutitur, quanto mitior eſt hic Ariſtarchus, ad excuſandum imaginum in Romana Eccleſia cultum, ut ex *parte prima* apparet. Sed genuinum autoris luculentius detegunt, quæ in præfatione non ad emollienda, ſed exacerbanda, quæ legentes offendere poſſunt, aculeate & ironice dicta reperiuntur. Inter illa, ut omittamus quæ *Arnaldum* & alios Janſenii ſectatores vehementer lædunt, & alia mini-

minime probanda, æstimatissimum Ecclesiæ doctorem *Augustinum Hipponensem* irreverentissime tractat, & *Mane Haretico irreligiosiorem* fuisse pronuntiat, *cum ille causam mali in opposito divinæ bonitati principio quæsiverit, hic Deo,* ut ait, *attribuerit.* Nihilominus tanta est scriptoris hujus confidentia, ut roget eos, qui contra se scripturi sint, ne alio quam ipso spiritu, *pacis nempe & concordiæ*, regi se patiantur. Sed erunt sine dubio, qui elencho severiori utendum esse censebunt in hominem, cui nihil in tota religione Christiana satis sanctum firmumque visum est, quod non convellere, nihilque in tanta sectarum veterum novarumque, (nam & *Arii & Pelagii* apologiam facit,) copia tam pravum & absurdum, quod non vel excusatione lenire, vel assertione sua stabilire, pacis scilicet causa, tentaverit. Quod profecto non est pacem aut unionem facere, sed omnem religionem & pietatem in fumum aut phantasma redigere, & in pudendam confusionem rem Christianam funditus præcipitare.

SELVA RINOVATA DI PIETRO MESSIA con nouva aggiunta, sino l' anno 1682.

hoc est:

Sylva Renovata Petri Messiæ cum nova additione usque ad annum 1682.

Venetiis apud Josephum Prodocimum, 1682. in 4.

PEtri Messiæ, Equitis Hispani, Variarum Lectionum Sylva, quæ anno hujus seculi decimo sexto primum exiit, adeo prosperam experta est fortunam, ut & sæpius iterata fuerit ejus editio, & dignum laborem judicaverint homines Itali doctissimi, quem suis lucubrationibus amplificarent ac perficerent. Quicquid Autoris industria nobis obtulit, id omne tribus operis partibus prioribus, (quæ ante sedecim annos Norimbergæ in vernaculam linguam conversæ prodierunt,) continetur, quibus novem colloquia ab ipso Hispanice conscripta, sed Italice a quodam Alphonso Ulloa reddita annumerari debent. Partem quartam *Mambrinus Roseus* adjunxit, quæ historias memoratu dignas de totius orbis quibusvis regionibus complectitur. Pars quinta *Francisci Sansovini* est. Sexta & septima *Bartholomao Dionysio de Fano* debetur. Accesserunt porro *Hieronymi Brusoni* curæ, qui ea fere, quæ

 nostra

noſtra memoria contigerunt, collegit, ac curioſis quibusdam quæſtionibus miſcuit. Hac facie jam ante complures annos Opus hoc varia eruditione refertum in orbe literario comparuit. Quumque id Joſephus Prodocimus anno 1682. recudere animum induxiſſet, ut Sylvæ huic titulum *Renovata* merito tribuiſſe videretur, ſchedas aliquot annectere ipſi voluit, quibus poſt indicem Chronologicum Regum Franciæ, ac enumerationem perfunctoriam Academiarum, Epiſcopatuum, Provinciarum, Pariumque Regni, Ludovici XIV. moderni Monarchæ res geſtæ ac bella ad annum usque 1682, quo Argentoratum Rex cepit, enarrantur. Autor earum celebratur *Theodorus Theſſeri*, qui ſe aliquot expeditionum ſpectatorem fuiſſe, ac eas carmine Heroico in Regis laudem complexum memorat; unde non mirum, ſi in brevi hac narratiuncula Gallicanis partibus faviſſe inveniatur.

CASTOR MAS

Gedani diſſectus A. 1684, menſe Aprili, ab E. G. H.

CUtis non adeo firmiter cohæret cum Panniculo Carnoſo, qui membranoſus ſaltem & pauca pinguedine, niſi circa inguina, ubi paulo copioſior, munitus.

Abdomen ampliſſimum, pectus exiguum, & ſternum brevius.

Pancreas ultra ulnam longum, ſed gracile. Ductus tamen Virſungianus pennam anſerinam amplitudine æquabat circa inſertionem, qua fere $\frac{3}{4}$ partibus ulnæ diſtat ab inſertione Ductus Cholodochi.

Omentum invenimus ſat inſigne, quod nullum obſervavit Schraderus in Caſtore apud Blaſium Anat. Animal. p. 49.

Circa orificium ſuperius Ventriculi primo tunica communis, deinde Muſculoſa, poſtea totum orificium inſtar coronæ cinctum invenimus corpore glanduloſo in varias eminentias fabricato, quarum ſingulæ interius cavæ, ductu quodam ſtylum ſatis craſſum admittebant, a Ventriculi cavitate intruſum, exterius vero convexæ apparebant, niſi quod in centro convexitatis, foveam aliquatenus concavam, quaſi collapſæ quodammodo, ſiſterent, unde Wepferus apud Blaſium anat. animal. p. 45. extremitates illas canaliculorum cœcas appellat. Corpora hæc, qua Ventriculi cavitatem reſpiciunt, pellicula quadam, totam eorum circumferentiam ambiente, dum extenditur ventriculus, claudi videntur, & vera deprehendi, quæ Wepferus apud Blaſium cit. loc. notat.

Lien

Digitized by Google

Lien ſpithamam longus, ſed gracilis, & vix digitum latitudine & craſſitie æquans.

Epididymides admodum Varicoſæ & Vaſis turgidæ.

Capſulas duas ſuperiores, quæ utrinque in unum orificium & rimam hiant, ac in quibus Caſtoreum reperitur. Uterum eſſe credidimus, quia illas Medicus quidam, qui aderat, in Caſtore ſtatim poſt partum diſſecto inſigniter amplas invenit, & cavas inſtar pugni. Accedit, quod animal hoc binos tantum fœtus una vice generet. Ejusmodi vero animalia, quæ duplicem tantum prolem producunt, maſculum gignere & fœmellam ſolent. Duo vero embryones, ex Caſtoris abdomine a venatoe (neſciebat vero, utrum ex his capſulis, an alio ex loco) exciſi, ſexu non diſtincti fuerunt ab eodem medico. Reſtat quod idem in plusquam XV. Caſtoribus a ſe diſſectis & Penem & Teſticulos & Capſulas Caſtorei retentrices, & Corpora Glanduloſa his capſulis ſubjectis ſubjecta, quæ mammas mox nominabimus, repererit; unde animalium hoc genus in hermaphroditarum numero conſtituere tum temporis probabile videbatur.

Capſulis dictis Caſtoreum continentibus duo adjacent, inferiora verſus, corpora extra abdomen, quæ Veſiculas vulgo Auctores vocant. Sed deprehenduntur corpora glanduloſa interius notabiliter cava, in quibus materia ſubflava caſeum putridum redolens, inſtar Lactis coagulat, reperitur. Corpora hæc circa extrema ſua in rimam dictam papilla qvadam terminantur, a qua verſus interiora proceſſus ſtyli non datur ab extra: ſtylus vero a cavitate intruſus per dictam papillam exitum facilem ſorttur: unde mammas hæc corpora eſſe credidimus.

Vaſa Spermatica ad Teſticulos tendebant, quorum Venæ admodum pampinoformes.

Deferentia Vaſa utrinque duplicia, conjunctim quatuor. Quorum duo interiores rami, poſtquam ſub fundo Veſicæ ampliati fuerant longitudine digiti transverſi, ſe conjungebant, donec abhinc longitudine dimidii digiti transverſi rami duo exteriores etiam huic trunco ſe aſſociarent, & communi tandem papilla diverſis orificiis prædita in Urethram terminarentur.

Ventriculi ſaccus, quaſi bifidus, in cujus parte priore, quæ cum Gula connectitur, materia fluida, in altera poſteriore, quæ membranacco circulo a prima diſtincta eſt, multo craſſior apparet.

Renes Succenturiati Corpora sunt triangularia, intus cava & exilia.

Costas animal 12 veras, 3 spurias ab uno latere habet.

Musculos Maxillæ inferioris validos habet, ut Temporalem & Masseterem imprimis, quia & alimentum solidius, lignum scilicet, comminutione validiori opus habet.

Sub Maxilla inferiore & mento in corpus conglomeratæ glandulæ ab una maxillæ parte ad alteram, conspicuæ sunt, quarum ductus excretorii in cavitatem oris terminantur, pro commodiore ficcioris alimenti digestione.

Os non nimis extendere & aperire valet animal, sed rodere saltem posse incisoriis quaternis dentibus, satis prominentibus videtur. Molaribus vero serpentinas admittentibus flexuras, conterit sarmenta, dum maxillam extrorsum introrsumque movere valet.

Epar sex lobis constat.

Quæ notanda circa Intestina occurrunt, ruptura & dilaceratio eorundem a globo plumbeo facta non permittebat.

CASTORIS FOEMELLÆ DISSECTIO, instituta ab eodem.

IN alio Castore mediocris magnitudinis, Musculum observavi sub cute statim totum abdomen & pectus cingentem. Oritur ab utroque latere pollicis unius latitudine a linea alba, & Musculis Rectis superinsternitur, fibrisque transversis ab uno abdominis latere per tergum decurrit, donec in opposito latere pollicis latitudine a linea alba, in membranam exiguam, quæ lineam albam cum aliis musculorum tendinibus constituit, terminatur, atque ita veluti cingulum totum corpus ambit. Musculus hic in tergo cuti arctissime adhæret, & natus videtur esse, pro abdomine, quod amplissimum est, constringendo, cum reliqui abdominis musculi minus valentes & satis flaccidi deprehendantur.

Capsulæ, in quibus Castoreum reperitur, multas ramificationes vasorum ab Hæmorrhoidalibus accipiunt, ut & Mammæ subjectæ.

Cartilago ensiformis Musculos accipit a Pectoralibus, qui in eam terminantur, ac in inspiratione elevant.

Fru-

Frustum instar musculi glandulosum, quod sub mento anteriorem & laterales colli partes velat, plurimos ductus salivales emittit, inprimis ab utroque maxillæ inferioris latere unum grandiorem, qui Massiterem transcendens, inter hunc & Musculum, totum animal involventem, decurrit, donec papilla, cujus extremitatem valvula claudit, in bucca prope maxillares dentes inferiores Lympham suam exoneret.

Alii duo ductus in medio colli Laryngem transcendentes, variis flexuris absolutis, uno tandem trunco conjuncti sub Lingua, postquam valvulas robustissimas pro reflexu Salivæ impediendo formarunt, una papilla liquorem suum deponunt.

Circa situm viscerum in Abdomine observavimus Epar in medio jacens.

Intestinum cœcum horrendæ molis in hoc animali, & plusquam ulnam longum, palmam latum, bis abdomen ab uno Epigastrio ad alterum emetitur.

Colon longissimum non totam modo abdominis regionem a tergo circuli instar cingit, sed in dextro primum latere, varias flexuras admittit, hinc per transversum abdominis decurrens ad sinistrum latus scandit, ubi iterum absolutis serpentinis gyris tandem in Rectum terminatur. Cellulatum valde est & ligamenta nervea fortissima habet, tam ad Rectum quam Cœcum tendentia.

Ramificationes Vasorum admodum notabiles erant, inprimis illorum, quæ a Cœliaca arteria ortum trahunt, ut Pancreatica, Gastrica, Splenicaque.

Ductus Cholodochus prægrandis pennam minorem anserinam referebat.

Pancreaticus ductus ulnæ fere longitudine a ductu Cholodocho notabili, qui plurimas Valvulas admittebat, inter tunicas intestini decurrens, inserebatur.

Subjectum nostrum vere fœmininum fuisse constat ex præsentia uteri cum 2 cornubus, uti in canibus, ac Ovario adjacente. Uterus situm obtinebat naturalem inter Vesicam & Intestinum, neque penis aderat. Vasa sortitur Uterus ut & Vesica ab Hypogastricis. Spermatica Vasa ad Ovarium tendentia se oculis objiciebant.

In Utero nihil occurrebat singulare, nisi quod utraque Tuba

ſeu Cornu, cum ad regionem fundi uterini accederet, ſuo ductu ultra duorum digitorum latitudinem cum ſemiſſe ſigillatim & ſeorſim ſerperet, duplici per ſubſtantiam uteri cavitate formata, quam paries membranaceus diſtinguebat, donec circa orificium Uteri internum, duplici papilla Cartilaginea in Vaginam terminaretur: ita ut nullus in Utero fundus aut cavitas pyriformis in eo obſervaretur, niſi quod, ubi fundus eſſe debebat, cornua continuata paulo ampliora deprehenderentur.

G. B. DE SAINT ROMAIN, MEDICINÆ Doctoris Pariſienſis, Phyſica Scholaſticis tricis liberata.

Lugd.Batav. apud Petrum van der Aa, A.1684. in 12.

DEmocritea, ut a Gaſſendo ſtabilita ſunt, principia ſequitur Auctor. *Parte prima* de cauſis & principiis naturæ agens, cauſæ primæ, id eſt, Dei exiſtentiam & perfectiones oſtendit: plurimorum effectuum naturalium, quos vulgo Sympathiæ & Antipathiæ aut occultis qualitatibus attribuunt, cauſas manifeſtas facere conatur; utpote quæ ſit ratio eorum, quæ paſſim traduntur & obſervantur de magnete & ferro, de pulvere & ligno ſympathetico, de virga divinatoria, de amuletis, de auro & argento vivo, de argento & cupro, de viſu lethifero baſiliſci, de medicamentis purgantibus, emeticis, ſudoriferis, ſpecificis. Hic cauſam inquirit, ob quam in confectione Reguli ex Antimonio crudo cum ferro bene præparati, ſuperiore parte magna ſtella reperiatur cum ſurgentibus radiis quinque, quaſi eidem applicata eſſet pars illa calcaris verſatilis, qua eques equum exſtimulat; & ſi additur Venus Chemiſtarum cum ferro, appareant in Regulo duæ ſtellæ; ſique Regulus ad ultimum pellatur perfectionis gradum, ſtella diſpareat, ac in ejus loco conſpiciatur rete parvum admodum tenue inſtar retis piſcatorii. Meminit etiam *pulveris compoſiti* ex ſpiritu auri & omnium reliquorum metallorum, cujus granum unicum in dimidio vini vitro exhibitum ex toto corpore abſque violentia vel alteratione ſudorem prolicit. Inde *ad venena & toxica* pergit, docens, venena eſſe atomos quaſdam a corporibus ſolutas & emancipatas. Omnia autem ad duo genera revocat.

Digitized by Google

cat. Prius ait conſiſtere in atomis emancipatis, quæ proprie venena ſint. Ejus rurſum tres ſpecies eligit ad modum, quo venena in humana corpora agunt declarandum. *Primum* eſt *venenum cor immediate invadens*, quale peſtis eſt aut viperæ. Venenum peſtis conſiſtere perhibet in atomis aut corpuſculis quibusdam valde acutis, uncis acuminatis & terebellorum ſerrarumque exiguarum inſtar figuratis, quæ partes vitales transfigunt, ſcindunt & dividunt, & hac actione ſpirituum vitam largientium motum interrumpunt. Idem de viperarum veneno dictum vult, quod partem morſam ingreditur. *Secundum venenum cerebrum immediate*, ac deinde *cor* aggreditur, quale eſt canis rabidi, opii, ſolani aliorumque narcoticorum & ſomniferorum. Etenim quando canis rabidus quandam corporis partem mordet, cum ſaliva & ſpuma vulnus ingredientes atomi venenatæ emancipatæ & quaſi rabidæ, in ſuo motu violento inſenſibiliter & pedetentim per corporis partes repunt, & non invenientes ullas partes molliores, ideoque diviſu & deſtructu faciliores ſubſtantia cerebri, ejus diſſolutionem producunt. *Tertium venenum in hepar* irruit, totamque maſſam ſanguineam corrumpit. Tale eſt venenum venereæ luis, cujus atomi a calore & motu excitatæ exhalant & ſe liberant ſanguine corrupto aut ſoluto, & poris corporis humani ac partium naturalium apertos invenientes, ſe inſinuant, repunt, & ſucceſſu temporis penetrant in vaſa ſpermatica, inde in magnas venas ac denique in vaſa grandia, & hepar eorum truncum, quod dividendo alterant, & ſeparando corrumpunt; unde univerſalis ſanguinis corruptio ſequitur. Sub *poſteriore venenorum genere* comprehendit toxica, in corpuſculis ſolutis conſiſtentia; uti ſublimatum & arſenicum, quæ venena, illud arte, hoc natura tale, agant in corpora particulis ſuis amputantibus, acutis & penetrantibus, quales ſunt particulæ igneæ, quæ urunt, ulcerant & dilacerant partes internas deglutientium. Quibus venenis *antidota* oppoſita contemplatur, perhibens Theriacam adverſus viperarum venenum eſſe, quod cum ipſa carnem viperinam in ſe contineat, atomi emancipatæ ex ea egreſſæ, ejus carnis particulas iis recipiendis aptas invenientes, annectantur & adhæreant, & hoc pacto motum ſuum amittendo etiam malignitatem deponant, oppignoratæ & quietæ remaneant, non ſecus ac ante emancipationem ſuam erant. Veneno peſtifero Theriacam & Confectio-

fectiones cordiales reſiſtere, quarum corpuſcula tali modo diſpoſita & figurata ſunt, ut atomi peſtiferæ omnes partes corporis percurrentes iis annectantur & adhæreant: inprimis autem antidotum peſtis haberi mutationem aeris, aut ejus, in quo verſamur, per bonos odores correctionem, qui intra nos cum aere attracti eum corrigunt & temperant, corpuſculis ſuis atomorum emancipatarum impatientiam & motum nimis liberum ſiſtendo. A cane rabido morſos ſæpe ſanari, ſi pluribus vicibus aquæ marinæ injiciantur, quoniam atomi emancipatæ ex ſaliva canis rabidi egredientes, dum cerebri ſubſtantiam penetrant, aut in ejus plicis circumvolvuntur, ut in cavitates ejus intrent, in motu ſuo interrumpuntur, immo partim foras a ſubſultibus, quos patiens in mare projectus neceſſario ſuffert, ejiciuntur. Inſuper corpuſcula ex maris ſpuma in patientis corpus per poros agitatione apertos intrantia, ſive cum aere inſpirato ſanguini communicata, figuris ſuis cubicis atomos emancipatas, quæ rabiem producunt, figere & ſiſtere poſſe. Simile judicium ferri jubet de remediis morbo Gallico adhibitis, quippe quæ atomos emancipatas & venereas a centro ad circumferentiam pellant, ſive per ſudorem, ſive per inſenſibilem transſpirationem. *Sublimato & Arſenico* præſentanee lac mederi obſervat, non ſecus ac oleum, quia in ventriculum deſcendens & in tranſitu æſophagum & ventriculi orificium tangens corpuſculorum motum imminuit, eorum acumina hebetat, omnesque illas partes defendit. Ad calcem hujus tractationis *Morborum cauſas phyſicas immediatas* tradit eſſe venena, id eſt, atomos emancipatas, & toxica, id eſt, corpuſcula ſoluta: Atomos emancipari aut ſolvi in corporum corruptione aut totali aut partiali. Tres in nobis fieri corruptiones, quæ ſunt coctiones ſive digeſtiones, in quarum unaquaque atomi emancipentur & ſolvantur. Itaque ex prima alimentorum in ventriculo digeſtione dolores ſtomachi & infimi ventris, ut & ventos oriri: hos enim ventos alimenti eſſe corrupti partes ſubtiliores, & cum corpuſcula inibi reperiantur ſubtiliora & acutiora, pro ratione alimentorum aſſumtorum, dolores & vellicationes valde moleſtas & periculoſas, quales in dolore colico deprehenduntur, producere; ſique inter hæc corpuſcula atomi quædam ſint emancipatæ ſatis copioſæ, eas ordinario ad cerebrum ſe conferre, unde Apoplexiæ & Lethargi oriantur, aut in mu-

Digitized by Google

in muſculorum & nervorum ſubſtantiam penetrare, unde paralyſes proveniant &c. Ex ſecunda digeſtione in hepate ventos & vapores, & nonnunquam corpuſcula ſoluta, ut & atomos emancipatas exiſtere: ab iis ventis murmura ac flatus excitari circa hepar, lienem, hypochondria & renes: corpuſcula ibidem reperta partes internas pungere, ulcerare ac abſceſſuum cauſas eſſe: præterea atomos emancipatas effugientes aliquando ad cerebrum adſcendere, vertigines, aurium tinnitus, in nervorum principio ſua vellicatione convulſiones generare, unde epilepſia aliique morbi maligni ſequantur. Ex eodem fonte horrores, acceſſus & duplicationes febrium continuarum manare, quemadmodum ex corpuſculis ſolutis & atomis a prima digeſtione in ventriculo emancipatis, febrium intermittentium acceſſus periodici, ob fermentationem, quam excitant, proveniant &c. Subitam nonnunquam mortem ex ſubito motu atomi evadentis, & dum ſanguis ſuum circulum abſolvit, aufugientis, accidere. His morborum cauſis ita explicatis, cauſas ſanitatis ex oppoſito in iis collocat, quæ ventos, corpuſcula, atomos nocentes, extra corp9 foras propellere valent. Quem effectum produci aſſerit per actionem & motum corporibus rarefactis, corpuſculis ſolutis ac atomis emancipatis ex unaquaque digeſtione in corporibus hominum ſaniſſimorum oriundis, impreſſum. Iſtum vero motum aut per purgantia, aut emetica, aut denique per ſudorifera imprimi: & quidem per priora duo foras ejici reſidua a prima & ſecunda digeſtione: ſudorifera vero tertiæ coctionis corpuſcula pellere ad extra. Atque hæc medicamenta ſola agere membranarum, nervorũ, & fibrarum vellicatione, producta a corpuſculis acutis ex medicamento egreſſis &c. Præ cæteris remediis commendat vulgare, & ſanitati conſervandæ aut reſtituendæ utiliſſimum, quod & experientia ſalutare deprehenderit, ſuorumque principiorum veritatem manifeſtet, nimirum omnem evacuationem motu & vellicatione corpuſculorum acutorum fieri. Remedium ita habet: *ſingulis temporibus matutinis plumam ſumit anſerinam tenuem, leniter in os intrudit, ac ulterius ad fauces protrudit, aliquandiu detinet, per vices etiam retrahit; ac vellicationem a pluma faucibus, œſophago, laryngi, palato, partibusq; vicinis impreſſam ſentit: poſt hanc vellicationem aquæ, pituita, phlegmata ac humores mucoſi, quantitate non parva decurrunt & effluunt per horæ quadrantem. Hinc caput levatum, ſtomachum liberatum & exonera-*

tum animadvertit; *apperitus ipsi augetur, prima digestio melius procedit, somnus longior, dulcior & minus interruptus est.*

Pars secunda tractat de mundo cœlesti,& iis,quæ supra hominem contingunt, scil. meteoris in aere. Substantiam astrorum explicat per metalla fusa; & quidem Solem repræsentat per aurum in magno crucibulo fusum; stellas fixas similiter per aurum in minoribus fusum crucibulis; Lunam per argentum in crucibulo fusum; Saturnum per plumbum &c. Hinc concludit astrorum rotunditatem, quia metallum fusum semper est rotundum, nisi a luto cui infunditur, aut crucibulo,in quo funditur,impediatur.Solem in mundi centro cumCopernicanis locat, qui duplici motu, uno rotationis circa proprium axem, altero librationis, terram non minus quam reliquos planetas concutiat moveatque.Motum circumrotationis deducit ex fusione,quando. quidem instar auri in crucibulo fusi ibique scintillantis&purificati,rotariSolem oporteat: fusionem autem continuam servari ab igne,quem stellæ fixæ in Solem ejaculentur, atque a corpusculis peregrinis aliis, undiquaque influentibus: alias futurum, ut Solis materia fixetur ac sistatur in continenti; quomodo aurum, postquam diu in cupella fumavit &circulavit ad omnia corpora peregrina sub forma fumi expellenda, tandem sistitur, & confestim in ejus fundo figitur & condensatur, nec intensissimo igne denuo funditur aut circulatur,nisi addatur plumbum sine vel cum alio quodam metallo. Lunæ materiam quoad circumferentiam vero argento similem facit;Saturnum,Jovem,Martem, Venerem & Mercurium ejusdem credit cum Sole naturæ, sed minus depuratæ, quorum corpuscula versus corpus Solis mittantur & propellantur. Cometas generari vult ex fumis & vaporibus ex Sole exhalantibus crassissimis incensis;motum ipsorum dirigi regulariter a Solis vortice;nihilominus quosdam nobis propinquiores fieri ex exhalationibus terrestribus. Stellas fixas quas superius auro fuso comparaverat, nunc mavult dicere totidem foramina aut palas magnis adamantibus aut carbunculis instructas, qui pro medio & vehiculo lumini & calori cœli empyrei inserviant. Pluviam observat semper secum ferre salem instar sacchari albi,destillatione separabilem,sive Balsamum astrorum Basilio Valentino nuncupatum, i. e. corpuscula seminalia ex Sole & astris emanantia, quæ eadem etiam in rore contineantur.

Parte III. comprehenduntur, quæ infra hominem sunt, nimirum

rum Terra & res terrestres, quæ dicuntur inanimatæ. Metallorum causam principalem asserit Solem, unde indesinenter fumi egrediantur fulgentes, ex quibus lumen oriatur, quique calorem cum spiritibus seminalibus vehant, qui terræ poros penetrantes in ejus visceribus metalla generant, puri penitus aurum, aliorum planetarum effluviis permixti reliqua metalla. Opinatur autem spiritus seu corpuscula ex astris emanantia, in terræ gremio incrassari, & in aquam viscosam, dulcem, & mercurialem redigi, ex qua deinde metalla fiant. Confirmat id allegando experientiam, quæ habetur cupellando aurum: siquidem fumi ex ordinariis cupellis elevati & in alembico collecti in aquam claram, viscosam, pulverulentam & consequenter metallicam condensentur. In stanno tria miranda observat, totidem in plumbo. Argentum vivum, cujus tres species recenset, continere internum quoddam principium vitæ vegetativæ & seminalis, ostendit ex confectione arboris Dianæ. Salium corpuscula non solum acuta, sed etiam hamata esse, & diversorum vario motu cieri probat. Commendat sal polychrestum ex nitro & sulphure, optime humores peccantes expellens, quod efficacius reddat sal additum. Aquæ species, puta elementarem, destillatam, aquam fortem ex salibus metallicis extractam, aquam vitæ, aquas minerales enumerans, calidas Borbonias, & frigidas in Passy Les Paris laudat.

Parte quarta proponit ea, quæ sunt in homine. Vita in genere definitur actio & motus compositi, & corporis organici, orta a principio interno & seminali. Principium hoc ait spiritus vitales, i. e. certum numerum atomorum ab omni compositione liberarum, taliumque quarum figura & conditio eas captivitati ineptas reddat; nam invicem se devincientes destinari ad componendas corporum nostrorum machinas. Vitarum differentias statuit quatuor, metallicam, vegetativam, sensitivam, & rationalem, inter quas tamen postrema ab anima immateriali & immortali proveniat, cum priores tres ab atomis dependeant. Semina quibus res propagantur, imaginatur sibi corpora composita ex subtilissimis atomis, optime figuratis, & proportionatis, ut pro typo inserviant omnibus cudendis exemplis in speciei propagatione. Deinde explicat, quomodo individua multiplicentur per solam seminum dilatationem, exemplo frumenti ex grano, & infantis in utero formati. Lumen asseverat compositum ex atomis auri, quæ omnes partes mun-

di ad ſuum centrum Solem alligant. Hic nonnulla de virtute & efficacia luminis in productione conſervationeque rerum, imo in univerſali medicina paranda ſubjiciuntur. Lumen per ſe proprie loquendo nos videre, ſine transmiſſione accidentium vel corpuſculorum ab objecto; ſimiliter motum corporis per ſe audiri, citra qualitates Ariſtotelis aut corpuſcula Gaſſendi. Cordis motum naturalem adſcribit motui ſpirituum vitalium, i.e. atomorum ignearum & cœleſtium in centrali cordis vacuo incluſarum; hujus motus effectum ſanguinis circulationem agnoſcit: irregularem motum cordis in animalibus & febribus diverſis, ad atomos emancipatas in concoctionibus refert; ſimulque inde differentiam febrium petit, & de remediis pauca addit. Inviſibile vinculum partium cum corpore, a quo proceſſerunt, exemplis adſtruit, inter quæ memoratu dignum eſt, quod, ſi hominis mortui veſtimentum in ciſtam bene clauſam recondatur, primis & ſuccedentibus diebus, quibus corpus ſepultum putreſcere incipit, ſtrepitus in ciſta exiſtant, quos corpuſcula demortui corporis a ſecedentibus attracta motu ſuo per lignum tranſeundo excitent.

L'ATLAS DES TEMPS, DIVISE' EN QUATRE Livres &c. par R. P. Seigneur de la Motte.

hoc eſt:

Atlas temporum, diviſus in quatuor libros, Periodum ſcilicet Ludovici Magni; novam methodum Chronologicam; Chronologiam Sacram V. T; & Chronologiam novam annorum gratiæ. Autore R. P. Dn. de La Motte &c.

Ambiani; & proſtat Pariſiis apud Nicolaum Padelupum A. 1683. in fol.

TOtum hoc opus, in quo multa ad Genealogicum, Chronologicum, Geographicum, Arithmeticum, & Hiſtoricum ſtudium pertinentia continentur, quatuor libris abſolvitur, quibus tabula materiarum, index rerum notabiliorum, & alia quædam præmiſſa ſunt. Præfationi, quæ circa nomen operi impoſitum præcipue occupatur, duodecim leges & regulæ Chronologicæ ſubnexæ ſunt, quarum ultima

Digitized by Google

tima requirit, ut Chronologiæ secundum undecim priores confectæ pro veris habeantur. Harum vero omnium in Atlante suo accuratam se rationem habuisse, & propterea de veritate ejus neminem ambigere posse Autor profitetur: Gallici idiomatis ignaris Latinam operis editionem non obscure pollicitus.

Libro primo capitibus novem, in sectiones iterum subdivisis, constante, temporis partes evolvit; cyclorum, epocharum, & periodorum, Victorianæ & Julianæ, rationes exponit, & inde ad novam suam Ludovicianam progreditur. Hanc non improbabili causa a Ludovico Galliarum hodie Monarcha cognominatam, ex trium Cyclorum, Solis, Lunæ & Epactarum (hoc est 28 in 19, & producti rursus in 30) multiplicatione, annorum constituit 15960; adeoque duplo ac Juliana est, ampliorem. In ejus annum 3191 incuntem Autor conjicit natalem mundi; 7373 completum vero Servatoris nostri: atque sic longissima annorum suorum serie ante & post Christi incarnationem extensam, habilem facit (quod paulo ante in Juliana desiderat) exhibendis omnium omnino Autorum epochis. Comparatione porro inter ipsam & Julianam instituta, quod hæc duobus naturalibus cyclis, tertium arbitrarium (Indictionum) quique discernendo tempori nihil inserviat, jungat; sua vero ex tribus naturalibus & astronomicis composita sit, qui divelli ob mutuas operas minime debeant; eandem alteri Julianæ longe præstare contendit: cum cyclus Epactarum in Ludoviciana periodo simul indicet Novilunia & Plenilunia, ipsasque Eclipses Solis & Lunæ, rem tantopere semper ab excellentioribus Chronologis, certis figendis Epocharum annis, æstimatam. Exhibet deinde hoc & *quarto libro* singulos Periodi Ludovicianæ annos, in Tabula sex columellis distincta expressos, cum propriis suis characteribus cyclorum, Solis, Lunæ, Epactarum, & numero, quem in Periodo Victoriana sortiuntur: ut cum cæteri Chronologi Periodos suas in idea saltim reliquerint, Atlas hic suam in Theoria sistat; & hoc ipso perpetuas veluti suppeditet Ephemerides, quarum solus intuitus, citra calculum, uniuscujusque anni cyclum solarem, aureum numerum, & Epactam indicet. Subjungit etiam, quæ ad dextre intelligendam hanc Tabulam, debiteque in ea reponendas Epochas diversorum Autorum faciunt.

Libro secundo de origine & principio mundi agit, eumque non

eſſe æternum, ex revelatione, ratione & cumprimis ex Sabbathi inſtitutione probat, creatum vero non ſex momentis, ſed totidem diebus integris ſucceſſivis pronunciat. Tempus etiam anni, & horam diei, quibus mundus creatus ſit, quoque Zodiaci gradu Sol & Luna primum repoſiti ſint, aliaque conſimilis argumenti plura determinat. Epocham poſtea conditi mundi ad annum ante Chriſti nativitatem 4181 collocat, ſententiamque ſuam Aſtronomiæ & Hiſtoriæ ſtabilit ſuffragiis. Uberius dehinc ea contemplatur, quæ ad computum annorum, menſium & feſtorum apud Hebræos uſitatorum pertinent. Ab hoc ad Julianam anni formam deſcendens, ejus defectus indicat, & Gregorianæ reformationis, quam approbat, hiſtoriam adornat, novumque ejus Calendarium ab objectionibus vindicat adverſariorum. Binas dein Tabulas perpetuas novæ methodi Chronologicæ exponit, quarum ſubſidio Numerus aureus, Litera Dominicalis, Epacta, Feſtum Paſchatos, & cætera mobilia inveniuntur, harumque uſum exemplis oſtendit: dictæ autem methodi ſuæ fundamentum eſſentiale conſtituit originem trium cyclorum (Solis, Lunæ & Epactarum) quos cum ipſis mundi natalibus cœpiſſe ſupponit: ex quo Chronologias omnes minus juſtas pronunciat, quæ chronicis tantum nituntur Hiſtoricorum: examinatasque ad Lydium cyclorum lapidem Autorum 110 diverſas de anno mundi conditi opiniones, falſitatis arguit; ſuum etiam computum, quo inter mundi & Salvatoris noſtri natalem intervallum eſt 4181 annorum, ex principiis Aſtronomicis, motu ſcilicet Lunæ confirmat. Porro Novilunia & Plenilunia, locum Nodorum & inde Eclipſes, cujusvis temporis, beneficio certarum Tabularum facile reperire docet.

Tertio libro Chronologiam Sacram V.T. ex Scripturis deſumtam complectitur ad Chriſti usque natales, & profanam quoque hiſtoriam temporum illorum, quamvis brevius, ſeorſim tamen conſiderat. Ordinis ergo ſex mundi ætates in univerſum numerat, earumque priores quinque libro præſenti explicat, ultima ultimo ſervata libro. Singulas per certas tabulas declarat, deque ſingulis tabulis obſervationes quasdam in lectoris gratiam ſubjungere non gravatur: difficultates etiam chronologicas hinc inde occurrentes evolvit. Prima ætas ab Adami creatione ordiens in fine diluvii terminatur. Secunda Patriarcharum annos a diluvio ad egreſſum usque ex Ægypto, h.e. a Noa ad Moſen

Digitized by Google

Mosen computat. Tertia Imperio Judicum absolvitur, annos a Mose ad Samuelem comprehendens. In quarta vitas Regum Israel & Juda a Saule usque ad Zedechiam, Aristocratiæ Israeliticæ in Monarchiam conversionem, templum Salomonæum, & quæ singulos concernunt Reges, sedulo ex Scripturis excerpta enarrat, Genealogiam Christi, & Catalogum Pontificum producit, Prophetas & Prophetissas V.T. Chronologico-Historice enumerat, & de Sibyllis decem aliqua admiscet. Quinta per imperia Pontificum omnes annos a captivitate Judæorum usque ad nativitatem Christi computat, ordinem in Scripturis ad annos ætatis hujus supputandos attendendum subinnuit, scrupulos de 70 annis captivitatis, de annis a reditu ex captivitate usque ad septimanas Danielis, & de ipsis Danielis hebdomadibus 70, eximit, annis 593 ill ætati tributis.

Libro quarto sextam mundi ætatem gratiæ, quæ Christiana dicitur, proponit, & postquam instituti sui rationes in præfatione fideliter declaraverat, annos a creatione mundi usque ad nativitatem Christi in Chronologia sua legitime computatos esse evincit. Annos quidem a mundi creatione ad exitum Ægyptiacum per sabbatha hebdomadum, ab exitu ad Messiam per Sabbatha annorum confirmat, & Jubilæa numerumque sabbathorum libertatis a prima institutione ad baptismum Christi producit, videlicet 32 cum quatuor annis sabbathicis recensendo. Postea de anno & die nativitatis Messiæ probabiliorem opinionem eligit; quomodo periodus Ludoviciana inveniendo anno in quo vivitur, inserviat, ostendit; novem de vita & morte Christi opiniones examinat, illisque suffragatur, quæ mortem Messiæ ad elapsos annos 34 cum mensibus tribus referunt; Sabbatha per calculum Judaicum a Mundo condito usque ad illud tempus, quo Dominica sive Solis dies per resurrectionem Christi, Anno ætatis 35 est introducta, comprobat, & ex Astronomia, beneficio motus Lunaris, & mortis & resurrectionis Christi annum atque tempus demonstrat; successionem Dominicæ Christianorum in locum Sabbathi Judaici declarat, & inde Christum anno ætatis 35 mortuum esse evincit. Ultimo tandem capite concludit, rejectis omnibus aliorum Periodis, non posse non periodum Ludovicianam solam atque unicam assumi. Hanc igitur cum omnibus characteribus propriis & eventibus notatu dignioribus, qui vel in Ecclesia, vel in Imperiis, Regnis & Rebuspublicis, a pri-

a primo anno Gratiæ usque ad annum 1680 acciderunt, proponit. Brevior est in recensendis illis, quæ tempore N.T. contigerunt, præsertim si libros præcedentes contuearis. Excusat tamen hoc ipsum tum in præfatione libri quarti, tum in calce horum Annalium N.Test. Chronologico-Historicorum; & Historiographos nominat, ex quibus præsentia depromserit, qui plura expetenti satisfacere possint.

Dein Periodum Ludovicianam ejusque Characteres proprios ab anno 1680 ad annum Gratiæ 8587 inclusive extendit: & quæstione de duratione ultimæ mundi ætatis proposita, ast non decisa, institutum suum utrobivis subsistere demonstrat, sive mundus ante, sive post A.C. 8587. intereat, propter ordinem cyclorum, quibus labor ejus Chronologicus sustinetur, nunquam variandum.

RESPONSE AU LIVRE DE MONSIEUR DE MEAUX, intitulé: Conference avec Mr. Claude Ministre de Charenton.

i. e.

Responsio ad Librum Dn. Episcopi Meldensis, cui titulus: *Collatio cum Dn. Claudio Ministro Charentonio.*

Hagæ Comitum apud Arn. Leers, 1683. in 8.

Ut conjecimus, cum mense Junio anni proximi excerpta ex libro *Bossueti* Episcopi Meldensis, adversus *Joh. Claudium* Ecclesiasten Charentonensem, Actis nostris p.231. insereremus; non defuit sibi *Claudius* suæque Ecclesiæ. Prodit enim nunc ejus responsio, qua dicta scriptaque sua defendere, & Episcopi objectiones refellere aggressus est. Præfatur multa & gravia de disceptationibus, quas Romano-Catholici de forma & autoritate Ecclesiæ eo fine instituere ait, ut asserta illa, aut quod idem est, Pontificis aut conciliorum infallibilitate, Protestantibus omnibus os uno nixu obstruant, & aliorum articulorum examen evitent. Quam nullo vero id fiat jure & fundamento, & quam frivolum sit, Ecclesiam Christi, solo ejus verbo & spiritu ad animarum salutem regendam, ad leges & pompam societatum civilium redigere, satis a se demonstratum esse confidit hac responsione sua. In illius *parte prima* responsum ad Acta Episcopi cum domina *Durasia*, ante

Digitized by Google

antę colloquium cum illo suum, forma epistolæ a se conceptum, publici juris fecit: (antea enim tantum manuscriptum ad Episcopum pervenerat;) illique eorum, quæ Episcopus epistolæ huic in *Reflexionibus*, quas vocat, opposuit, examen subjunxit. Quadrat id ad Reflexionem Bossueti nonam & quatuor sequentes. Hunc enim ordinem sequendum sibi sumpsit Claudius, qui suis scriptis, eorumque tempori conveniret. Sed *parte secunda* edidit relationem a se conscriptam de colloquio, præsente Durasia, multisque illustribus viris fœminisque, cum Episcopo habito; testatus, nolle se, quæ is in sua relatione alio modo narrasset, carpere, aut ulla in Virum, cui multum deferat, immodestia uti, satius habens ut lectores judicium ferant. Cum vero Episcopus huic ipsi relationi, quam antequam ederetur nactus est, octo reflexiones suas priores opposuerit, ad has quoque respondet Claudius, sed ita, ut ex tredecim Bossueti capitibus, quinque posteriora in parte prima, priora octo in parte altera refutata inveniantur. Dudum inclaruit utriusque autoris ingenium, eruditio, facundia, & quæ inter acriter de rebuş gravissimis dissentientes rarissima est, eoque majori laude digna, verborum moderatio. Responsum Claudii epistolicum, tum utriusque relationem excerpere supersedebimus, cum in Actis prioris anni jam de historia colloquii dixerimus: potissimas vero, quas uterque tractavit materias, una opera ex responsionibus Claudii per compendium nunc referemus.

Initium itaque, Claudii librum nunc sequentibus, a responso ejus ad *reflexionem nonam*, qua primam epistolæ Claudianæ quæstionem Bossuetus examinavit, esto. Lis est *de jure singulorum Christianorum, an nimirum liceat, imo & incumbat cuilibet ex cœtu, decreta Ecclesiastica examinare, an vero simplici obedientia amplecti?* Prius Claudio & Reformatis, ac Protestantibus in universum; posterius Bossueto & Romano-Catholicis visum est. Nituntur hi præcipue promisso Christi notissimo, de perpetuitate & victoria Ecclesiæ adversus corruptionem sive portas inferorum. Sed Claudius illud ad Ecclesiam vere & proprie sic dictam pertinere contendit, & frustra ad cœtum, aut pastores & prælatos applicari, inter quos plurimi sint externæ tantum professionis consortes, intus hypocritæ, aut aperte etiam mali, hostes DEI, adeoque veritatis & infallibilitatis non ita

capaces, ut sine examine ad normam Verbi divini admitti eorum decreta debeant. Impugnat itaque Ecclesiæ definitionem & requisita, quæ post *Bellarminum* & *Perronium* Cardinales, aliosque, ipse Bossuetus constituit, *in professione fidei & in sacramentorum & ministerii publici communione.* His enim non respici ad vera & unica Ecclesiæ membra essentialia, fideles nempe & electos, fatente id palam Bellarmino, cujus verba ex *Lib. III. de Eccles. cap.10.* refert: *non putamus requiri ullam internam virtutem.* Item: *includuntur omnes alii, etiamsi reprobi, scelesti & impii sint.* Emolliverat ista Bossuetus, professus, se adeo non excludere ex cœtu Ecclesiæ electos, ut eos potius nobilissimam & pulcherrimam illius partem statuat. Sed urget Claudius, hoc non sufficere, sed virtutes interiores ad essentiam Ecclesiæ pertinere, & definitionem ejus intrare debere. Urget itaque clarum responsum, an stare velit adversarius definitionibus Bellarmini & Peronii; in hoc enim cardinem negotii versari. Scilicet, *si ex solis vere fidelibus constet Ecclesia, non posse non consequi, illam eatenus invisibilem fore; ruere etiam infallibilitatem, cum admixti magno, & plerumque potiori numero, hypocritæ & impii suffragiis pios & fideles superare possint.* Agnovisse hoc Bellarminum *libro allegato c.10.* & ideo tanto molimine pro visibilitate a Romanarum partium scriptoribus pugnari, ne admissa Protestantium opinione, infallibilitatis inventum cadat. Nihilomagis satisfacit Claudio alia Bossueti mitigatio, cum scribit, electos *magis essentialem* partem Ecclesiæ constituere: nam etiam sic ad partem, minoris licet æstimationis, attamen essentialem referri reprobos, hostes DEI, & membra diaboli, iisque autoritatem in rebus fidei infallibilem absurdissime tribui, & zizania ab hoste seminata (*Matth.* XIII, 28.) plantis a Patre cœlesti plantatis (Matth. XV, 13.) exæquari.

Pergit post alia huc pertinentia, ad *Reflexionem decimam.* In hac negaverat Episcopus, Reformatos credere sincera fide articulum Symboli Apostolici, ubi profitemur: *Credo in unam sanctam Catholicam seu universalem Ecclesiam.* Hic repetit Claudius ex responsione sua Epistolica, quo sensu Reformati universalem credant Ecclesiam, nempe fidelium primo qui fuerunt, & jam in cœlis triumphant; dein eorum, qui nunc sunt; denique eorum, qui futuri sunt: quorum primi & ultimi, pro visibilibus haberi ne a Romanensibus quidem possint.

Digitized by Google

ſint. At hos illam ſaltem confiteri Eccleſiam, quæ nunc eſt, & quæ in oculos incurrit, malos non minus quam bonos complectens. Objecit autem Boſſuetus *Confeſſionem Reform. Gall. Art.25.* quæ de viſibili Eccleſia, utpote corrupta & reformanda agit, & ex actis Synodi *Gapenſis* ac *Rupellanæ* deducere voluit, controverſum inter ipſos Reformatos fuiſſe, annon corrigi & explicari articulus ille debeat, ut ad inviſibilem Eccleſiam pertineat: hoc vero rejectum eſſe, atque ita manifeſtatum, *confiteri Reformatos eccleſiam viſibilem, & confeſſioni ſuæ contradicere, ſi inviſibilem ſtatuant.* Sed repellit hæc Claudius allata diſtinctione, quatenus nempe inviſibilis vel viſibilis dicatur Eccleſia: nec chimæricum eſſe, ut Epiſcopus loquitur, dogma de inviſibilitate, cum id ratione partium, triumphantis nempe & futuræ Eccleſiæ, ne a Pontificiis quidem negari poſſit. Elidit etiam argumentationem, quam decretoriam & internecinam Reformatorum ſententiæ eſſe ſcripſerat Boſſuetus, inferens: *quia Confeſſio Reformatorum publica de Eccleſia viſibili loquatur, & vocem Eccleſiæ in illo ſignificatu ſumat, agnoſci etiam debere, quod Scriptura & Symbolum Apoſtolicum eodem ſenſu ſumant idem vocabulum, quia confeſſio cum Scriptura conformis eſſe debet.* Reſpondet nempe: *Scripturam utrumque ſenſum diverſo reſpectu admittere, & aliquando de viſibili, aliquando de inviſibili cœtu intelligi debere, pro materiæ & ſubjecti ratione.* Confeſſores cum de viſibili ſententiam ſuam conciperent, non negaſſe, ſed præſuppoſuiſſe, quæ in Scriptura & Symbolo de inviſibili Eccleſia habentur, eaque de cauſſa Rupellanam Synodum, quam Boſſuetus allegat, noluiſſe quidquam in verbis Confeſſionis mutare; acquieſcentibus, qui in Synodo Gapenſi declarationem quandam deſideraverant.

Reflexione undecima acceptaverat Boſſuetus, quod Claudius præter aut contra Reformatorum principia viſibilem Eccleſiam agnoviſſet. Sed regerit Claudius, nihil novi a ſe dictum ſcriptumve eſſe, ſed idem, quod *Calvinus, Zuinglius*, aliique ſemper ſtatuerint: notionem nempe vocabuli Eccleſiæ duplicem eſſe, *indiſtinctam, laxam* ſive *benignam* unam; *diſtinctam* & *reflexivam* alteram. Priori modo Eccleſiam intelligi viſibilem, ex viſibili exercitio cultus publici, ſed admixtos eſſe hypocritas; dici tamen poſſe: *in hoc cœtu vera eſt Eccleſia Chriſti*; quia dubitari non debet, eſſe electos in cœtu, ubi verbum DEI prædicatur, etſi non fiat ſine corruptela, & plurimi

adſint hypocritæ. At ſecundo & accuratiori ſenſu, quo ſoli electi intelliguntur, inviſibilem eſſe Eccleſiam, quia eorum perſonas ſeu individua ſolus Deus noverit. Addit, hæc ordinarie ſeſe ita habere, fuiſſe tamen & eſſe poſſe tempora, cum Eccleſia, etiam priori ſenſu accepta, pene inviſibilis fiat, ſive eclipſin patiatur, ſublato per tyrannos cultu publico, aut corruptis per hypocritas & malos dogmatibus. Etſi vero hoc accidat, & zizania bonam ſegetem ita ſuperent, ut eam plane opprimere videantur, manere tamen divinæ providentiæ gratia, vi verbi & Spiritus, etiam ſub tali ſtatu, & ſub miniſterio & manibus falſorum quoque doctorum electos, & conſequenter veram Eccleſiam, nec infringi promiſſionem Chriſti, de illa ad finem mundi conſervanda.

Conſectanea ſunt, quæ ad *Reflexionem duodecimam* diſputantur. Boſſuetus enim ſtatuit, reſpexiſſe Chriſtum, conſervationem Eccleſiæ promittendo, ad totum illud compoſitum, ſive ad cœtum ex bonis & malis mixtum, adeoque promiſſionem illam ad totam illam mixturam pertinere; argumentatus a comparatione, quod Chriſtus meſſem conſervaturus ſit, in qua cum granis paleæ quoque ſerventur. Summe hæc improbat Claudius: neque enim quadrare comparationem ait, quia paleæ granorum cauſa a natura producantur, hypocritæ a diabolo ut zizania ſeminentur; nec recte dici, in promiſſione ſervandæ Eccleſiæ etiam conſervationem malorum contineri, id eſt, ſimul promitti; quum intentio & promiſſio Dei ſolos fideles reſpiciat, mali per accidens, permittente Deo, in cœtum veniant, & divina providentia & gratia præcaveatur, ne illi fidelibus exitio ſint. Deinde non perpetuum aut certum mixtionis ſtatum, ſed variabilem pro temporum ratione indicari: ita fieri potuiſſe, & factum eſſe, ut tanta invehatur corruptionis moles, quæ magna & ſeria reformatione corrigenda ſit; neque tamen minus vera maneat de conſervatione Eccleſiæ, ſive fidelium, Chriſti promiſſio. Queritur in fine hujus capitis de convitio, quod Reformati non majori fide Eccleſiam credere dicantur, quam Ariani & Sociniani Deitatem Chriſti, aut Macedoniani Spiritum Sanctum: recte enim credi a Reformatis & viſibilitatem, & inviſibilitatem Eccleſiæ, diverſo ut dictum eſt reſpectu.

Reflexione decima tertia Boſſuetus plurima argumenta congeſſerat, quibus vult probare, Reformatis nullam ſalutis copiam, niſi in Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia Romana superesse. Hæc in XXI. capitula digessit & refutavit Claudius, quæ referre nimis operosum foret. Disputatur hic *de professione fidei externa*; *de successione pastorum, eorumque vocatione*; *de Concilio Tridentino*, an exspectari debuerint ejus decreta, & interim contra conscientiam per tot annos in erroribus persisti; *de lapsu Ecclesiæ*; *de statu Ecclesiæ ante reformationem*, ejusque comparatione cum statu Synagogæ adveniente Christo. Refertur dilemma Bossueti: *aut mansit ante reformationem Ecclesia, & sufficientia alimenta animabus superfuerunt*, quod fatetur Claudius & Reformati; *aut non mansit*. Si prius, quid opus fuit reformatione, & quomodo excusatur schisma? Si posterius, quomodo consistit promissio Christi de conservanda Ecclesia? Subjungitur responsio Claudii eo tendens, quod incumbat Christianis, non persistere in qualicunque morbido & corrupto, ac fere desperato Ecclesiæ statu, sed teneri optimum quærere, & a fermento doctrinam & mores repurgare: ut factum est tempore Arianismi, qui totam Ecclesiam, paucissimis exceptis, oppresserat. Objecerat porro Episcopus, si salvari potuerint homines ante reformationem, cum nihil doceretur de justificatione ex sententia Lutheri, nec rejiceretur Missa, aut invocatio Sanctorum, salvari etiam posse post invecta hæc dogmata. Sed respondet Claudius: distinguendum esse inter dogmata negativa & positiva. Salutis enim fundamenta retineri positivis articulis, qui ante reformationem non negabantur: invecta quidem & addita fuisse hominum commenta, sed quæ pii tacite potuerint rejicere. Per reformationem vero commentitiis & insititiis illis dogmatibus negativos articulos oppositos fuisse, v. gr. *justificationem ex fide, & imputationem justitiæ Christi*, opinioni *de merito operum*, & *de justitia inhærenti*; dein purgatorium, sacrificium Missæ, invocationem Sanctorum, & alia ejusmodi prorsus negata fuisse, indeque obligatos, qui negarent, ut a communione affirmantium & falsa intrudentium discederent. Frustra itaque objici Reformatis, quod cum Socinianis, qui tamen positiva, id est, Symbolum Apostolicum retinuerint, non communicent; nam hos non retinere articulos illos positivos, sed interpretationibus suis negare & eludere. Alia, licet notatu non indigna, omittimus.

Pergimus *ad partem II.* In hac, ut diximus, præmittitur Relatio

Digitized by Google

de colloquio a Claudio conſcripta, dein examen ſubjicitur octo reflexionum, quas ad eam Boſſuetus edidit. In *prima* agitur de juramento, quo paſtores Reformati obſtringuntur ad recipienda decreta Synodorum nationalium; unde concludere voluit Epiſcopus, Reformatos judicium Eccleſiæ agnoſcere,& mala fide agere, cum id apud Romano-Catholicos impugnent, aut frivole jurare, ſi in juramento illo,ut Claudius dicit,intelligatur conditio, ſi decreta ſint conformia Sacris literis. Hanc tamen interpretationem prolixe tuetur Claudius. *Reflexionem ſecundam* itidem refellit,in qua Boſſuetus mire exagitavit Reformatos, quod etiam unius hominis aut fœmellæ judicium admittant, ad examinanda ſynodorum & conciliorum decreta,quaſi melius, quam cœtus & Prælatorum conſeſſus,privatus aliquis de religione ſentire poſſit. Ait enim, *Dei donum eſſe*, etiam ſimpliciſſimis a Chriſto promiſſum, non hominis induſtriam, *veritatem agnoſcere ex propoſitis Scripturæ principiis:* obligari autem ſingulos, ut ipſi ea gratia fruantur, & judicent, nec aliena autoritate aut fide nitantur. Neminem tamen cum inſolenti præjudicio, quaſi magis aliis ſaperet, ad examinanda decreta Eccleſiaſtica accedere debere, ſed ut agnita veritate Scripturis conformi ſeſe ſubmittat, & lubens ſciensque obediat. Multa hac occaſione diſceptantur de ſtatu Synagogæ tempore Chriſti. Nec dimoveri ſe per objectiones Boſſueti patitur Claudius a ſententia, cum dixit ſcripſitque, ſecundum principia Pontificia nihil imputari poſſe Judæis, qui decreta Synagogæ, Chriſti doctrinæ prætulerint. Nam etſi minime neget, Chriſtum omnis veritatis fontem, in carne præſentem, doctrina & miraculis ſuis fidem præ Synagoga meruiſſe, & apud pios & ſimplices aſſecutum eſſe; ſtante tamen regula, quam Boſſuetus ſemper aſſerit, quod privatis non liceat, neque de doctrina neque de miraculis judicare, non licuiſſe etiam de Chriſto, cujus divinitas in controverſiam vocabatur, judicare, aut ei contra Synagogæ decreta adhærere. Quinque ſequentibus capitibus agitur de *Reflexione* Epiſcopi III, IV, V, VI, & VII, hoc præcipue argumento, magna cum jactatione, Reformatis oppoſito, quod ſecundum illos tempus detur, in quo Chriſtianus (cum periculo ſcilicet damnationis) dubitare teneatur, de Scriptura, de Deo, omnibusque fidei articulis. Ait enim, neminem certum eſſe poſſe fide divina, ex ſententia Reformatorum, antequam

tequam Scripturam legerit; neque dicere posse, licet baptizatus sit, & fidem infusam habeat, *ego credo, sicut credo Deum esse, hunc librum esse verbum Dei.* Sed in Ecclesia Romana omnes hoc dicere posse, ex autoritate Ecclesiæ, quia S. Scripturam ex manibus sive testimonio Ecclesiæ accipiant. Hunc enim primum fidei esse articulum, *Credo Ecclesiam*, scilicet cum autoritate infallibili de veritate testantem. Respondet ad hæc operose Claudius, & nihil hac argumentatione evinci posse ostendit: eandem enim Christiano, licet baptizato, (quicquid statuatur de fide infusa) restare difficultatem, quia demonstrandum sit, quid & ubi sit Ecclesia, & cur huic credi debeat; neque enim Biblia ab aliis quam parentibus, pastoribus, aut privatis, catechumeno tali offerri posse, quos pro Ecclesia habere, eorumque aut Ecclesiæ infallibilem autoritatem fide divina credere non teneatur, nisi prævia demonstratione. Negat itaque necesse esse, ut ab articulo de Ecclesia institutio hominis Christiani incipiat, aut fides aliunde, quam ex verbi auditu & operatione Spiritus S. accendatur; neque tamen semper requiri, ut lectio Scripturæ præcedat, sed sufficere, si ejus contenta ad salutem necessaria, per catechesin seu compendia percipiantur: hoc enim modo multa hominum millia, qui librum Scripturæ non viderint, salvari, ex allato *Irenæi* testimonio concedit. Dubitationem itaque neque vocandam, aut si verbis indulgendum sit, certe non damnabilem esse in homine, qui ad discenda religionis capita accedat: dubitare enim, qui de propositis perceptisque articulis ambigant; ignorare saltem, qui eos nondum perceperint, sed discere parati sint. Nullum certe alium discendi modum ordinarium a Deo præscriptum esse: eum vero, quem Pontificii per cœcam obedientiam exigunt, œconomiæ divinæ omnino adversari, dum hominum autoritatem pro divina supponit. Postremum quod Episcopus Reformatis *Reflexione octava* opposuit, quod nempe Reformati eodem modo, quo veteres hæretici, Ariani & Macedoniani, ab Ecclesia secesserint, frustra urgeri ait Claudius, nisi puritatem & infallibilitatem Ecclesiæ suæ probaverint. Nihil efficere argumenta, ab autoritate, antiquitate, aliisque externis toties deprompta; eadem enim a Judæis & paganis Christianismo nascenti opposita fuisse. Omnia pendere a reali & interna dogmatum veritate, illique insistendum, & ab erroribus discedendum esse, nulla temporis aut autoritatis præscri-

ſcriptione attenta. Negat etiam, quod Boſſuetus ſtatuit, Apoſtolos in communione cum Synagoga, corrupta licet, perſtitiſſe; id enim ex eo non ſequi, quod in templum aſcenderint docendi populum cauſa, aut aliquando in gratiam infirmorum, ritus quosdam ſervaverint. Nec magis verum eſſe ait, quod quemadmodum ad reformandam Judaicam Synagogam Chriſto præſente opus fuerit, ita ſine ejusdem præſentia, aut extraordinario atque mraculoſo modo, ad reformationem Eccleſiæ Chriſtianæ procedi non potuerit. Præſentia enim Chriſti opus fuiſſe ad finiendam Eccleſiam typicam; ſed quæ ei ſucceſſerit, Chriſtianam, corpus & rem ipſam absque typo habere, & æternam eſſe, eandemque in eſſentialibus manere, etſi externa ejus facies hypocritarum culpa corrumpatur. Ideo ad ejus emendationem, ſive hypocritarum detectionem, nihil niſi regulam verbi divini, & Spiritus S. operationem requiri. Hujus ope jamdudum correcta eſſe veterum quoque Doctorum errata. Nam ut ex teſtimoniis, etiam Romanenſium, probat, primis quoque Eccleſiæ ſeculis multas opiniones irrepſiſſe, quæ poſtea merito emendatæ fuerunt. Quam inique itaque erronearum ſententiarum correctoribus oppoſita fuiſſet, circa tempora Concilii Niceni, aut poſtea, novitatis exceptio, tam inique etiam nunc opponi Reformatoribus, & qui eos ſecuti ſunt, quod errores tandem eliminaverint, & ſeceſſionem fecerint a cœtibus, qui decreta ſua prætextu infallibilitatis violenter exequebantur.

HISTOIRE DE LA REFORMATION DE L'EGLISE d'Angleterre, Traduite de l'Anglois de Mr. Burnet, par Mr. de Roſemond,

id eſt:

Hiſtoria Reformationis Eccleſiaſticæ in Anglia, autore Dn. Burneto, ex Anglico Gallice reddita a Dn. de Roſemond.

Londini, apud R. Chiswel & M. Pitt, A. 1683. in 4.

Quem defectum Romanis objecit florentiſſimus Hiſtoriarum ſcriptor Tacitus, *recentium incurioſitatem*, is fortaſſis omnibus propemodum nationibus communis eſt. Agnoſcit eum in Britannis

nis autor hic, *Gilbertus Burnetus.* Utut enim incredibili fere consiliorum & rerum gestarum mole & varietate reformatio Religionis, seculo superiori in Anglia processerit; reperti tamen, ut Burnetus queritur, non sunt, qui acta cujusque temporis, præsentes ipsi & conscii, qua par erat, industria & fide, in commentarios retulerint, aut quam *Sleidanus* Germanis, *Thuanus* Gallis, *Paulus Sarpius* Italis præstiterunt, patriæ suæ operam impenderint. Nominat aliquos, qui id tentarunt, *Foxium*, *Parkerum*, *Hallum*, *Fullerum*, *Heylinum*, alios: non dissimulat tamen neglecta cuique aut errata. Unum laudat Historici officio recte functum Illustrem *Herbertum*, sed qui Ecclesiastica leviter attigerit. Sibi vero post tot annorum decursum, præter peregrinitatem, (in Scotia enim natus est,) diu obstitisse fatetur actorum authenticorum & sumtuum inopiam. Sed postquam ab illustribus & præstantissimis viris, inter quos nominat *Grimstomium, Boilium, Petitum, Cottonum, Stillingfletium*, adjumenta acceperit, notitiam scil. legum & consuetudinum Anglicarum & Actorum publicorum, manuscripta plurima, aditum ad scrinia Episcoporum Cantuariensia & Londinensia, liberalem etiam sumtuum suppeditationem: tum vero se opus hoc magna spe aggressum, fidem autem qua tantas res tractaverit, apparituram esse ait ex instrumentis actorum, quæ locis convenientibus allegata, in fasciculum conjecit, & historiæ subjunxit. Neque tamen diffitetur, plenius rectiusque isthæc omnia in tempore, quæ gesta sunt, scribi potuisse; tum quod multa a præsentibus observentur, quæ nemo in acta referat, tum quod hæc ipsa variis casibus subjecta sint. Comperisse certe, dum Archiva perlustraret, quod regnante & jubente *Maria*, *Bonerus* Episcopus Londinensis, acerrimus Reformatorum persecutor, cum aliis ejusdem animi hominibus, pessimo exemplo, & indicis purgatorii violentiam superante, scrinia regia pervestigaverit, & quæ rei Pontificiæ nocere putabat, aboleverit: dein quod in magno incendio urbis Londinensis, ante annos octodecim, multa ex Archivis Episcopalibus fuerint consumta, quorum lacunæ, deficientibus nempe actis authenticis, ex nuda autorum relatione non satis tuto repleantur. Hæc in præfatione, memorante Burneto. Non potest non laudari relatum ab ipso, (*libro hujus historiæ III. p. 367. & seq.*) Henrici Regis consilium, quamvis eventu destitutum. Non ingratum erit Lectoribus id ex Burneti

Ccc verbis

Digitized by Google

verbis intelligere: *Illo tempore* (anno 1539, cum de reditibus monasteriorum a Rege abolitorum, bene impendendis deliberaretur,) *oblata fuerunt Regi multa propositiones, de novis fundationibus ipso dignis, quas utique fecisset, nisi per inconsultas largitiones reditus illos jam exhausisset. Suadebant inter alia, ut Collegium aliquod erigeretur, in quo juvenes in lingua Latina & Græca, ut & in jurisprudentia civili informarentur. Delegarat Rex curam rei Nicolao Bacono equiti, qui postea ex præcipuis regni ministris fuit, & duobus aliis. Hi collatis consiliis, sententiam suam scripto explicarunt, videri sibi dicentes, ut juvenes in collegium istud recipiendi, scholares Regis appellarentur, & primum declamationibus Græcis & Latinis, causisque dicendis exerciti, ætate jam firmiores in regiones peregrinas mitterentur, Legatorum Regiorum comites; ita negotiorum publicorum, & quæ populorum singulorum utilitates sint, peritos fore, ut aliquando cum excellenti fructu ministeriis status præfici possint. Quibusdam ex illis committendum, ut relationes Legatorum & negotia in scripta redigerent, aliis, ut illustriores in judiciis regiis lites consignarent, præstito ubique juramento de fide & integritate. Sed magnum hoc propositum*, pergit Autor, *incassum recidit, non sine insigni jactura. Nam si seminarium hoc historicum semel recte constitutum fuisset, non jam multitudine ineptorum & pessimorum scriptorum obrueremur, qui nobis seculi istius gesta tam negligenter & imperfecte tradiderunt, ut continuo ad Acta recurrendum sit. Sed illi liquidius pleraque ad nos transmisissent, quæ nunc post expilata, uti dictum, Archiva Regia & destructa monasteria frusta quæruntur. Erant enim in monasteriis, qui res cujusque temporis in Chronica referrent, homines quidem utplurimum præjudiciis imbuti, & fabulis vilibusque narratiunculis componendis, quam causis & eventibus rerum commemorandis aptiores, homines præterea invincibili mentiendi studio corrupti, quoties id religionis & ordinis sui commodum exigebat: neque tamen plane carebant monasteria ingeniosis viris, & Abbates, qui in comitiis sive Parlamentis regni locum habebant, & negotiorum publicorum satis gnari erant, suppeditare actorum & rerum copiam scriptoribus poterant.* Hæc ille; quæ si excitare summas Potestates possent, ut consilium saluberrimum imitarentur, nec sumtibus in re tam egregia parcerent, tum demum sperare liceret, perventuram ad posteros, majori cum fide & fructu, rerum memo-

memoriam, quam ad nos perlata est, aut quotidie consignatur ab iis, quibus nec doctrina, nec integritas adest, quæ ad laborem talem requiritur: dum aliis, quibus nec industria, nec experientia aut fides deesset, otium deest & sumtus. Sed ex digressione hac ad autorem nostrum redimus.

Complexus is est *parte operis sui prima* Henrici VIII. Regis Angliæ gesta, postquam is conjugii cum *Catharina Arragonia* fratris vidua, sive ob conscientiæ stimulum, sive aliis de causis pertæsus, divortii indulgentiam apud Romanum Pontificem nullo obsequio aut ære redimere potuit, indeque permotus est, ut abrogata Pontifici in regnum Angliæ omni potestate, seipsum caput Ecclesiæ non minus, quam Politiæ faceret. Ea occasione, licet veteris religionis scita retenturum se profiteretur, multa tamen, adjuvantibus ministris, qui reformandæ Religioni, dissimulanter quidem, incumbebant, inprimis *Thoma Cromwello* & *Thoma Cranmero*, illo Vices gerente, (ut vocabatur,) hoc Archiepiscopo Cantuariensi, molitus est, per quæ dogmata Romana plurima correctionem passa sunt, & gubernatio Ecclesiæ mutata, secutæque postea pleniori reformationi via strata fuit. Quanto vero hæc cum periculo & exitio multorum egregiorum virorum & hominum variæ conditionis, plerumque pro lubitu Regis, modo in hanc, modo in illam partem sævientis, ab anno 1527 usque in annum 1546 gesta fuerint, ex multis quidem autoribus satis notum est, sed concinnius prudentiusque, imo si allegata documenta, quæ *tertium* hujus operis tomum, vel appendicem *secundi* constituunt, narratis respondent, certiori fide tradita, vix alibi invenientur. Cura tamen fuit Burneto, ut quæ scriptores Pontificii odio reformationis contra Henrici Regis acta, & eorum, qui pro puriori religione supplicium passi sunt, innocentiam tradiderunt, falsitatis ex Actis convincerentur. Cum vero *Sanderus* omnium mordacissime adversus Regem & reformatores scripserit, ejusque historia *Italice* a Pollino, *Gallice* a Malacrucio versa extet, multisque imponat, singularem operam Burnetus impendit, ut falso & maligne a Sandero tradita refutarentur. Ea propter in fine tomi hujus primi index CXXIII capitum, in quibus ille errasse & male versatus esse perhibetur, adjectus est. Sincerus & liber est Burnetus, tam in vitiis, quam in virtutibus Henrici referendis, cum plerique scriptores, prout quisque affectus

Digitized by Google

fuit, modum excesserint. Eandem moderationem in laude & vituperio ministrorum utriusque ordinis & religionis tenuit: Cranmerum tamen ob pietatem & modestiam omnibus præferens. Merentur inprimis legi, quæ de martyrio eorum, qui ob religionis a Luthero reformatæ professionem, sub hoc Rege Henrico, vel eodem fere tempore in Scotia, crudeliter necati fuerunt, recensentur, inter quos eminent in Anglia *Robertus Barnesius*, cui Lutherus, edita mortis ejus historia, additaque epicrisi anno 1540. quodammodo parentavit, ut videre licet Tom. VII. *Oper. Altenburg. fol. 422.* in Scotia vero *Patricius Hamiltonus*. Hujus constantia permotus *Alexander Alexius*, sive *Alesius* Edinburgensis, vir nobilis & doctus, Lutheranismum amplexus est, variasque persecutiones passus, in Germaniam tandem confugit, atque in Academia hac nostra Lipsiensi Professoris munus adeptus, eoque magna cum laude, bis etiam Rectoratu functus est, atque anno 1565. obiit. De cujus vita peculiaris oratio extat viri clarissimi & de Academia nostra meritissimi *Jacobi Thomasii*, quæ in volumine varii argumenti orationum anno 1683. edito, & a nobis mense illius anni Aprili pag. Act. 152 memorato, numero decima quarta est. Narrat quidem Burnetus, cum Alesio Lipsiam venisse, eodemque professionis munere honoratum fuisse civem ejus, Johannem Fife, sed de hoc nihil huc usque in Actis Academicis reperire potuimus. Parum abest, ut pro illo habeamus, quem in *Memorandis Francofurtanis ad Viadrum* Becmannus p. 74. memorat, *Johannem Fidelem Scotum, Phil. & Theol. Doctorem & Prof.* qui anno 1551 Rectoratum gessit & anno 1562 decessit; quanquam non satis apparet, cur *Fidelis* potius quam *Fife*, ut a Burneto nominatur, vocari voluerit. Cæterum Henrici tempore, Lutheri potius quam Helveticorum aut Gallorum doctrinam, præsertim in Articulo de præsentia corporis Christi in S. cœna, ab Anglis reformatis acceptam fuisse, ipsique Cranmero diu probatam, aliunde constat, nec a Burneto negatur: qui etiam memorat, primum in Anglia fuisse quendam *Johannem Frith*, qui præsentiam, quæ realis sive corporalis vocatur, negaverit, ita tamen, ut doceret, quod hodie quoque non pauci ex Reformatis faciunt, non esse disputandum de hac quæstione, sed tolerandum dissensum in theoria, dummodo in praxi nihil inferat incommodi, & ab adoratione Sacramenti abstineatur. Hujus Frithii historia & suppli-

Digitized by Google

ſupplicium anno 1534. legitur *lib. II. hujus Operis p. 239. & ſeqq.* ejusque ſcripta (Anglica, ut putamus, lingua) edita notantur anno 1573. Sed hæc & alia, quæ ſententiæ aut actionibus Lutheri, quamvis non immodeſte, alicubi in hoc opere opponi videntur, hic non examinamus: optamus potius, ut *ſecundus hiſtoriæ Tomus* cum adjectis ei documentis propediem ad nos perveniat, ſuccedente, quem interpres Gallus in ſe recepit, labore: de quo notabile eſt, quod verſionem ejus revidiſſe & probaſſe ſe teſtatur ipſe Burnetus, *in Epiſtola* ad Roſemondum Tomo huic primo præmiſſa. Debet pleraque huic Scriptori, eumque allegat Autor Hiſtoriæ Parallelæ, ubi de reformatione Anglicana agit, quam Actis anno 1683 p. 530. inſeruimus.

THEORIA VARIATIONIS PYXIDIS MAGNETICÆ, autore Edwardo Hallejo, Regiæ Societatis Anglicanæ Collega.

Excerpta e Transaction. Angl. n.148, menſ. Junii 1683.

QUum tantam navigantibus utilitatem exacta notitia variationis Magneticæ (ſive deflexionis acus a vero Meridiano) promittat, ad eam non immerito ſumma opera contendunt eruditi. Sed nemo ex omnibus eo hactenus pervenit, ut generalem regulam formare potuerit, quæ non uni tantum civitati ac regioni, ſed toti univerſo, ac ſingulis ejus partibus quadret. Vicit multorum ſtudium clariſſimi Halleji induſtria, qui collectis per viros fide dignos declinationibus acus, in locis aliquot haud parum a ſe invicem remotis, dare anſam hujus ſeculi Philoſophis voluit, ut vel tandem rem maxime impeditam explicare allaborarent.

Eſt autem hæc Variationum Tabula:

Nomina locorum.	Longitudo a Londino.	Latitudo.	Anno D.	Variatio obſerv.
	gr. ′	° ′		° ′
Londini.	0 0	51. 32. S.	1580.	11. 15. Or.
			1622.	6. 0. Or.
			1634.	4. 5. Or.
			1672.	2. 30. Occ.
			1683.	4. 30. Occ.

Digitized by Google

Nomina locor.	Longitudo a Londino.	Latitudo.	Anno D.	Variatio observ.
	o. ′	o. ′		o. ′
Parisiis.	2.25. Or.	48. 51. S.	1640.	3. 00. Or.
			1666.	0. 0.
			1681.	2. 30. Occ.
Uraniburgi.	13. 0. Or.	55. 54. S.	1672.	2. 35. Occ.
Hafniæ.	12. 53. Or.	55. 41. S.	1649.	1. 30. Or.
			1672.	3. 35. Occ.
Dantisci.	19. 0. Or.	54. 32. S.	1679.	7. 00. Occ.
Montis pessulani.	4. 0. Or.	43. 37. S.	1674.	1. 10. Occ.
Brestiæ.	4.25.Occ.	48. 23. S.	1680.	1. 45. Occ.
Romæ.	13. 0. Or.	41.50. S.	1681.	5. 0. Occ.
Bajonnæ.	1.20.Occ.	43. 30. S.	1680.	1. 20. Occ.
In Sinu Hudsonii.	79.40.Occ.	51. 00. S.	1668.	19. 15. Occ.
In Freto Hudsonii.	57.00.Occ.	61. 00. S.	1668.	29. 30. Occ.
In Sinu Baffini ad fretum Thomæ Smithii.	80.00.Occ.	78. 00. S.	1616.	57. 00. Occ.
In mari.	50. 0.Occ.	38. 40. S.	1682.	7. 30. Occ.
	31. 30.Occ.	43.50. S.	1682.	5. 30. Occ.
	42. 0.Occ.	21. 0. S.	1678.	0. 40. Or.
In Promontorio S. August. Brasil.	35. 30.Occ.	8. 0. M.	1670.	5. 30. Or.
In Promont. Frio.	41.10.Occ.	22.40.M.	1670.	12. 10. Or.
In mari ab ostio fluminis argentei sive de Plata.	53.00.Occ.	39. 30. M.	1670.	20. 30. Or.
Ad Orientalem ingressum freti Magellanici.	68.00.Occ.	52. 30. M.	1670.	17. 00. Or.
Ad Occidental. ingressum ejus.	57.00.Occ.	53. 00. M.	1670.	14. 10. Or.
Baldiviæ.	73.00.Occ.	40.00.M.	1670.	8. 10. Or.

Nomi-

Digitized by Google

Nomina locorum.	Longitudo a Lond.	Latitudo.	Anno D.	Variatio observ.		
	° ′	° ′		°	′	
In Promontorio d'Agulbas.	16. 30. Or.	34. 50. M.	1622.	2.	00.	Occ.
			1675.	8.	00.	Occ.
In mari.	1. 0. Or.	34. 30. M.	1675.	0.	0.	
	20. 0. Occ.	34. 0. M.	1675.	10.	30.	Or.
	32. 0. Occ.	24. 0. M.	1675.	10.	30.	Or.
In insula Helenæ	6. 30. Occ.	16. 0. M.	1677.	0.	40.	Or.
Ascensionis.	14. 30. Occ.	7. 50. M.	1678.	1.	00.	Or.
Johannæ.	44. 00. Or.	12. 15. M.	1675.	19.	30.	Occ.
Mombasæ.	40. 00. Or.	4. 00. M.	1675.	16.	00.	Occ.
Zocatræ.	56. 00. Or.	12. 30. S.	1674.	17.	00.	Occ.
Adeni in ostio maris rubri.	47. 30. Or.	13. 00. S.	1674.	15.	00.	Occ.
In terra Diego Roiz.	61. 0. Or.	20. 0. M.	1676.	20.	30.	Occ.
In mari.	64. 30. Or.	0. 0.	1676.	15.	30.	Occ.
	55. 0. Or.	27. 0. M.	1676.	24.	00.	Occ.
In Bombay.	72. 30. Or.	19. 0. S.	1676.	12.	00.	Occ.
In Promont. Comorin.	76. 00. Or.	8. 15. S.	1680.	8.	48.	Occ.
Ballasoræ.	87. 00. Or.	21. 30. S.	1680.	8.	20.	Occ.
In fortalitio sancti Georgii.	80. 00. Or.	13. 15. S.	1680.	8.	10.	Occ.
In puncto Javæ Occid.	104. 0. Or.	6. 40. M.	1676.	3.	10.	Occ.
In mari.	58. 00. Or.	39. 0. M.	1677.	27.	30.	Occ.
In insula S. Pauli.	72. 0. Or.	38. 0. M.	1677.	23.	30.	Occ.
In terra Van Diemens.	142. 0. Or.	42. 25. M.	1642.	0.	0.	
In nova Zelandia.	170. 0. Or.	40. 50. M.	1642.	9.	0.	Or.
In insula trium regum novæ Zelandiæ.	169. 30. Or.	34. 35. M.	1642.	8.	40.	Or.

Nomi-

Nomina locorum.	Long. a L. ° ′	Latitudo. ° ′	Anno D.	Variatio observ. ° ′
In insula Roterodami in mari Meridionali.	184. 00. Or.	20. 15. M.	1642.	6. 20. Or.
ad oram novæ Guineæ.	149. 00. Or.	4. 30. M.	1643.	8. 45. Or.
ad Occidentale punctum novæ Guineæ.	126. 00. Or.	0. 26. M.	1643.	5. 30. Or.

Antequam Theoriam his observationibus quadrantem Hallejus exponat, pauca nonnulla e tabula excerpit, quæ inprimis notari merentur.

1. Quod in omni Europa variatio hoc tempore sit Occidentalis, & magis quidem in partibus ejus, quæ versus orientem jacent, quam quæ occidentaliores sunt; quodque omnino in eam plagam augeri videatur.

2. Quod ad oram Americæ prope Virginiam, novam Angliam & terram novissime detectam, variatio itidem sit in occidentem, & quod ita semper augeatur, si quis inde in septentrionem eat, ut adeo declinatio 20 graduum sit in terra noviter inventa, 30 fere graduum in freto Hudsonii, & 57 in sinu Baffini: quodque navigando ab hoc tractu in orientem variatio minuatur. Harum duarum thesium legitimum est corollarium: alicubi inter Europam & septentrionalem Americæ partem, orientalem variationem esse, vel saltem occidentalem nullam. Id quod ita fieri videtur in orientalissima Insularum Tercerarum sive Azorium.

3. Quod ad oram Brasiliæ sit variatio in Orientem, quæ ad sensum augeatur, si quis in Austrum pergat; ut ad promontorium Frio sit omnino graduum 12, & ex adverso fluminis Plata 20 gr. cum dimidio. Quodque si in occidentem hybernum versus fretum Magellanicum navis eat, decrescat variatio ad 17, & ad introitum occidentalem freti ad 14 usque gradus.

4. Quod in parte Brasiliæ proprie sic dictæ orientali, ista variatio versus orientem decrescat, ut minutissima sit in insula S. Helenæ & Ascen-

Digitized by Google

& Ascensionis, ac prorsus evanescat, punctumque pyxidis exactum sit, 18 fere gradibus longitudinis in Occidentem a Capite Bonæ Spei.

5. Quod in parte Orientali nominatorum locorum variatio occidentalis incipiat, quæ in toto Mari Indico continuatur, ac ad 18. gradus adscendit sub æquatore ipso prope meridianum septentrionalium partium insulæ Madagascar, ac in eodem meridiano, sed 39 gradu latitudinis australis, invenitur omnino graduum 27 cum dimidio. Quod inde versus orientem variatio occidentalis minuatur, ut ad Promontorium Comorinum parum admodum 8 gradus excedat, trium vero sit ad oram Javæ. Porro quod ad insulas Moluccas, ut & aliquando versus occidentalem partem terræ a Batavis anno 1642 detectæ, quam vocant van Diemens, prorsus extinguatur.

6. Quod ad orientem Moluccarum & terræ van Diemens in latitudine Australi alia variatio orientalis exurgat, attamen nec tanta, quanta prior illa, uec adeo longe diffusa. Ad insulam enim Roterodamum multo est minor, quam ad oram Guineæ novæ orientalem: & pro ratione, qua decrescit, supponi omnino potest, quod ad 20 gradus versus orientem, sive 125 gradibus longitudinis orient. a Londino in 20 latitudinis Australis gradu variatio occidentalis incipiat.

7. Quod variationes observatæ per Honorabilem Dominum Johannem Norborogium in Baldivia & ad occidentalem ingressum freti Magellanici clare ostendant, variationem orientalem, cujus notabili tertio meminimus, subito decrescere, & non posse ad plures gradus in Borealem Oceanum ab ora Peruviæ, & Chili extendi, eamque relinquere locum occidentali variationi perexiguæ in eo terræ incognitæ tractu, qui inter Chili ad novam Selandiam, interque insulam Canum ac Peru interjacet.

8. Quod dum ab insula S. Helenæ juxta insulam Adscensionis versus occidentem æstivum ad æquatorem usque itur, variatio exigua sit in orientem & quasi semper eadem; ut adeo in ista mundi parte tractus ille, in quo nulla observatur variatio, non sit meridianus, sed potius inter boream & occidentem extendatur.

9. Quod cum ingressus freti Hudsonii, & os fluminis Plata propemodum sub eodem sint Meridiano, in uno tamen loco acus 29½ gradibus in occidentem declinet, in altero 20½ gradibus in orientem

variet. Atque hoc clare probat, non posse variationes has cum Theoria Bondi conciliari, quæ duos polos magneticos cum axe ad axem terræ inclinato supponit. Inde enim sequeretur, sub eodem Meridiano variationem ubique in eandem plagam esse.

Hæc omnia fundamenti loco esse Hallejus pronunciat, cui Theoria quædam variationis inædificetur. Postquam igitur aliqua in sententia Gilberti ac nonnulla in Cartesii doctrina de Magnete notavit, hanc generalem omnium observationum regulam statuit: *Universum globum Terræ unicum esse magnetem, qui quatuor polos magneticos sive puncta attractiva habeat, duo ad quemvis polum æquatoris; & in illis mundi partibus, quæ parum ab aliquo horum polorum distant, acum ab ipso dirigi, ita, ut, qui proximus est, alterum remotiorem superet.* Loca equidem terræ, in quibus siti sunt poli magnetici, non satis accurate definiri posse fatetur, quod nondum habeantur tot data, quot opus sit ad Geometricam operationem. Quantum autem conjectura assequi liceat, polum, qui nunc proximus nobis sit, septem fere gradibus ab Arctico polo, in Meridiano, qui extremam partem terræ firmæ sive continentis Angliæ (quod est promontorium Geographis Bolerium dictum) transit, distare existimat. Ab eo monet acum inflecti in Europa, Tartaria, inque oceano septentrionali, sed ita, ut omnino respectus ad alterum polum habeatur, cujus situatio sit in meridiano, qui mediam Californiam transit, 15 gradibus a polo arctico mundi. Huic polo, juxta ipsum, potissimum in America Septentrionali, & in utroque oceano adjacente, ab Azoribus usque ad Japan acus magnetica paret. Duos polos Meridionales observat longius ab Antarctico mundi polo abesse. Alterum fere 16 gradibus, quem acus sequatur in America meridionali, in mari pacifico, ac magna parte oceani æthiopici: Alterum ad 20 gradus usque, cujus potentia sit omnium maxima, quippe in septentrionali Africa se se exercens, in Arabia, mari rubro, Persia, India, ejusque Insulis, in toto itidem mari Indico a Capite Bonæ Spei, ad medium magni maris meridionalis, quod Asiam ab America divellit. Hanc de quatuor polis terræ Magneticis sententiam Hallejus explicat & confirmat ex observationibus in præmissa tabula notatis, ac difficultates, quæ in aliis aliorum assertis solvi non poterant, removet. Cum polus Europæus septentrionalis juxta suppositionem sit in meridiano, qui extremitatem terræ

terræ continentis Angliæ transit, clarum hinc esse ait, omnes partes, illa Angliæ portione orientaliores polum hunc ad occidentale latus sui meridiani habere, acumque adeo, quæ septentrionali puncto suo ipsum respicit, in occidentem declinare, tanto magis, quanto quis in orientem porro progrediatur, usque dum ad Meridianum Russiæ ventum fuerit, ubi variationem maximam esse pronunciat. Ad occidentale latus extremæ partis terræ continentis Anglicæ acum fatetur in orientem vergere debere, cum tamen levis potius declinatio in occidentem observetur, id quod ex hac ratione ita contingere censet, quoniam Americanus polus septentrionalis propius distet, qui ad latus occidentale meridiani sit, & haud dubie Europæum viribus agendi vincat. Jubet igitur imprimis ad situm polorum respicere, cumque alter altero fortior sit, conferre ipsorum vim, ut inde temperamentum aliquod exurgat. Hinc etiam esse scribit, quod loca sub eodem meridiano jacentia diversas in orientem ac occidentem declinationes acus Magneticæ observent. In zonis proinde temperatis ac frigidis duorum polorum ejusdem naturæ vim ait examinandam esse, & quomodo alter alterum in æquilibrio quasi teneat. In torrida zona ac imprimis sub æquinoctiali ad omnes quatuor vertendos esse oculos docet, ut qui proximus est, semper dominari judicetur, nisi duo remotiores junctis viribus ipsum aut superent, aut saltem æquent. Tandem de motu polorum sub finem scribit, si tabulam observationum quis inspiciat, ac declinationes, quæ in eodem loco, sed diverso tempore contigerunt, invicem conferat, videri polos motu suo in occidentem ferri. Quod si verum sit, rotationem haudquaquam circa terræ axem fieri concludit. Forent enim, ait, variationes in eodem parallelo latitudinis (sola longitudine immutata) eædem pro ratione motus polorum, cujus tamen contrarium experientia probat. In latitudine enim graduum $50\frac{1}{2}$ septentrionali hoc tempore inter Angliam & Americam nullibi acus in orientem 11. grad. declinat, prout id aliquando Londini observatum fuit. Adducitur ergo, ut credat, Europæum polum Arctico hodie propiorem esse, vel certe de sua virtute haud parum perdidisse. Cæterum agnoscit ad construendam Theoriam perfectam aliquot seculorum observationes requiri, optatque, ut ea, quæ ipse paucis dixit, ab aliis prolixe examinentur.

MEDULLA CHYMIÆ, VARIIS EXPERIMENTIS aucta multisque figuris illustrata. Autore Joh. Franc. Vigani Veronensi.

Londini, apud Henr. Faithorn & Joh. Kersey, A. 1683. in 8.

SCriptum hoc, quod *Gedani* jam ante biennium typis excusum est, nuper vero Londini duplo auctius, & figuris instructum prodiit, Lector Benevole, oculis ac judicio tuo exponimus, vix dubitantes, quin hunc libellum, *mole equidem parvum, medulla tamen scatentem*, cum Amico Autoris Londinensi, qui Epistolam commendatoriam ipsi præfixit, pronunciaturus sis. Post Chymiæ etymologiam, antiquitatem & objectum, & postquam Chymicorum hactenus recepta principia repudiavit, atomos vero sub variis modificationibus adstruxit Noster, potissima & officinis usualia magis ex tribus Regnis in scenam producit concreta, horumque simpliciora æque ac decomposita producta, modos hæc parandi vulgares in multis taxans, alias exquisitiores horum encheirises tradens, simulque furnos sine ferro, sine luto, fingere docens. Paucis quia multa complectitur, facile horum omnium enarratio ipsius libri compagem transcenderet, cum adeo succincte, perspicue tamen, ejus mentem multiloquam explicare haud liceat: ex uno vel alterro tantum augurabitur Lector sagax, quid de integro opusculo, quidque de ejusdem Scriptoris tractatu, de *Lapide* illius *Magnetico* lapidi Butleri quoad plurima conformi, aliisque, quæ promittit, scriptis sperandum sit. Noctilucam parandi duplicem exhibet modum; Petroleum artificiale ex Sale & Oleo communi parat, quod repetita super Sal tartari cohobatione demum in aquam ardentem commutat; spiritum quendam perpetuo fumigantem, spiritum sulphuris insipidum, liquores ex omnibus floribus odoriferis bene olentes per destillationem descensoriam, Tincturam tartari peculiarē (singulare oleorum solvens) Salia vegetabilium alcalica magis essentialia, sal tartari volatile & Tincturam coralliorum, Tincturas itidem diversorum metallorum & mineralium suppeditat. Ubi Sal aromaticum describit, peculiarem & sine destillatione hoc conficiendi rationem tradit, ita quidem, ut hoc vino Rhenano odorem & saporem Hispanici conciliet: oleum succini crassius in sal volatile ac spiritum limpidum redigit;

git; succinum ex suo Capite mortuo regenerat; pro genuino Elixir proprietatis myrrhæ singularem solutionem tradit; Cornu cervi sine igne cum calce viva calcinat, ac Tincturam ex sale urinæ fixo usui medico æque ac metallico accommodatam extrahit. De cætero variorum phænomenorum chymicorum ætiologias evolvit, ac controversias non leves dirimit, v.g. quod alcalia fixa revera differant; Cantharides succum vesicatorium in intestinis & sal volatile in pedibus habeant; unde Aurum a spiritu vitrioli philosophico albescat; aliquid Mercurii butyro antimonii & Mercurio vitæ subesse; sulphur antimonii vulgare haud esse purum sulphur; cur ponderi antimonii per hujus infusiones nihil decedat: ut reliquas materias taceamus theoretico non minus ac practico jucundas ac proficuas.

SCUTUM SOBIESCIANUM, ET ENSES ELECTORALES Saxonici, Novi in Cœlo Asterismi.

QUod priscis gentilium Astronomis familiare dudum fuit, ut præstantium Heroum nomine certis stellis, in asterismi speciem compactis indito, memoriam eorundem æternitati consecrarent: illud, postquam successu temporum, toto pene stellarum exercitu in signa certa jam disposito inolevit, præsenti iterum seculo moris esse cœpit, ex quo cœlum intentioribus oculis inspectum, novos veluti cœli incolas, novasque stellarum cohortes in aciem produxit, nullo adhuc charactere notatas, aut in sideris aliquam speciem collectas. Sic celeberrimo *Galilæo Galilei* Satellitum Jovialium quaternio tubospecilli ope detectus, sub siderum Medicæorum titulo, Serenissimæ Domus Medicææ gloriæ consecratus est: cujus ad exemplum anno 1642. *Johannes Antonius Maria de Rheita, in oculo Enoch & Eliæ* quinque alias stellas sibi primum visas, & circumjoviales creditas, Urbanoctavianas, honori tum viventis Pontificis Romani nuncupavit. Par institutum *Michaeli Florentio Langreno* sua Lunarium macularum nomenclatura fuit. Deditque memoriæ perpetuæ servati sub latebris quercus Caroli II. Magnæ Britanniæ hodie Monarchæ, Robur Carolinum ad alterum polum, inter Argo navem, Piscem volantem, Chameleonta & Centaurum, duodecim stellis emicans, nobilissimus Angliæ Astronomus *Edmundus Hallejus*, in Catalogo suo stellarum australium.

Digitized by Google

TAB.X. Gemino ſtudio, Potentiſſimos Principes, Johannem III. Poloniæ Regem, & Joannem Georgium III. Saxoniæ Electorem, illum ſcuto gentilitio, hunc enſibus electoralibus inter ſidera effulgentes, hic exhibemus. Et Scutum Sobieſcianum celeberrimus *Hevelius* Regi ſuo, cum circumjacentibus aſteriſmis, prout in *Opere Uranographico* ejusdem Autoris propediem edendo conſpiciendum erit, delineatum, lapſo vere dedicavit; nobis vero magnitudines, longitudines & latitudines ſtellarum in ſubjecta tabella humaniter transmiſit, quas B. Lectori, ut ſitum ſideris in globo inveſtigare poſſit, communicandas duximus.

Nomina ſtellarum.	Magnitudo.	Longitudo.				Latitudo Bor.		
		°	′	″		°	′	″
In limbo Scuti ſuperiori ad cuſpidem Aquilæ	4	8.	13.	26.	♑	18.	17.	49.
In limbo Scuti orientali.	5	5.	42.	39.	♑	16.	57.	46.
In limbo Scuti occidentali ſuperior	5	0.	57.	23.	♑	14.	59.	13.
inferior nebuloſa.		3.	3.	17.	♑	9.	5.	24.
In Cruce Scuti occidentalis	4	4.	53.	9.	♑	15.	1.	29.
orientalium ſuperior	5	6.	49.	37.	♑	15.	6.	33.
inferior.	5	6.	37.	29.	♑	14.	2.	25.

Enſes Electorales Saxonicos pietati erga Clementiſſimum Electorem noſtrum *Godofredi Kirchii*, ſolertiſſimi Aſtronomi debemus. Horum in cœlo ſitum, adjectæ ſtellæ vicinæ celebriores luculenter deſignant: ipſæ ſtellæ, numero octo, nudis oculis omnes ſunt conſpicuæ, earumque fulgentior in interſectione Enſium, fixis quartæ magnitudinis accenſenda venit, reliquæ ad quintam & ſextam magnitudinem accedunt: literis vero characteriſticis Herois noſtri nomen commode ferentes, non interituram unquam tanti Principis gloriam non vano omine pollicentur.

M. TUL-

Scutum
Sobiescianum



Digitized by Google

Digitized by Google

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD ATTICUM libri sedecim, ex recensione Johannis Georgii Graevii, cum ejusdem Animadversionibus & integris doctorum virorum Notis.

Amstelodami, sumptibus Blaviorum & Henrici Wetstenii 1684. in 8. duobus tomis.

UNiversa Ciceronis opera limatiora & emendatiora, quam unquam antehac, ut prodirent, exactoque studio exculta ad studiosorum eloquentiæ omnisque elegantiæ captum & usum accommodarentur, allaborandum sibi statuit literarum non minus quam Belgii ornamentum *Johannes Georgius Craevius.* Distinctis igitur tomis ea, quæ conjuncta & uni volumini inclusa prodire temporis ratio & vasta materiæ moles vetabat, in publicum proferre constituit: exorsus ab *Epistolarum* ad diversos exaratarum, quas vulgo *familiares* vocant, sedecim voluminibus, quæ anno 1677. cum animadversionibus ex ingenio & industria domi natis, & integris Petri Victorii, Pauli Manutii, Hieronymi Ragazonii, (sive Caroli Sigonii) Dionysii Lambini, Fulvii Ursini, Joh. Fred. Gronovii, aliorumque notis, duobus tomis edidit. Quos hoc anno secuta sunt totidem volumina, eadem elegantia & simili cultu apparatuque prodita, quæ superstites *ad Tit. Pomponium Atticum epistolas* a Cicerone scriptas exhibent; nec inferiora doctissimo editori existimata sunt, quin Serenissimi Galliarum Delphini studiis consecrarentur, quod regiam ad doctrinam augendam non parum conferre possent. Res enim illorum temporum, quibus imperium orbis terrarum immutatum est, & vel eversa, vel certe conversa ea Respublica, quæ ita bonis legibus atque institutis fundata erat, ut in perpetuum duratura, nec ulla hominum vi labefactanda videretur, non aliunde melius quam ex his libris cognosci possunt: tum præterea Ciceronis admirabilis prudentia & scientia reipublicæ tractandæ nusquam se magis quam in his epistolis prodit. *Sic enim omnia* (quod Cornelius Nepos in vita Attici ait) *de studiis principum, de vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ postea usu venerunt*

ceci-

cecinit ut vates. Quæ ipsa hujus operis præstantia eos, qui superiori sæculo primos in litteris ordines duxerunt, movit, ut quo quisque eorum doctior haberetur, eo plus operæ in his epistolis emendandis illustrandisque collocaret. In Italia quidem *Petrus Victorius* (cui omnia Ciceronis opera salutem debent & integritatem qua adhuc gaudent) & *Paulus Manutius*, *Fulvius* item *Ursinus*, *Leonardus Malaspina*, & *Sebastianus Corradus*; in Gallia *Dionysius Lambinus*, *Antonius Goveanus*, *Adrianus Turnebus*, *Simeo Bosius*; in Belgio *Franciscus Junius* & *Ausonius Popma*, præ cæteris ita iis incubuerunt, ut præcipuam sibi materiem gloriæ in eis integritati restituendis & illustrandis quæsivisse videantur, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque præsidiis. Quorum cunctorum symbolas easque integras, colligendas, & distinctis nitidissimis formulis excusos omnium virorum eruditorum commentarios, ipsis subjiciendos vel annectendos epistolis doctissimus Editor duxit. *Isaaci* etiam *Casauboni* ad priores septendecim libri primi epistolas annotationes, a Merico filio per Jacobum Gronovium sibi concessas, ejusdemque beneficio, collatas celeberrimi parentis *Jo. Fred. Gronovii* animadversiones & observationes passim inseruit; & ab eadem *Jacobi Gronovii*, sagacissimi eruditissimique viri, industria observatas variantes lectiones veteris codicis Anglicani, quem in Collegio Balliolensi is contulerat cum editis; ut & alterius Helmstadiensis, quem *Lucas Langermannus* perlustraverat, varias lectiones annotavit; adspersis passim *Marci Antonii Mureti* notis, quas is suo codici adscripserat, descriptasque clarissimo editori transmiserant illustres Falconerii fratres. Tam erudito copiosoque apparatu, quem proprii ingenii felicissimo proventu mirum in modum auxit Editor, instructæ hæ ad Atticum, æque ac antea evulgatæ eundem in modum, ad diversos exaratæ epistolæ, avidos reddunt elegantioris litteraturæ studiosos, omnia Ciceronis reliqua opera eodem habitu exculta apparatuque instructa nanciscendi: cumque ea exspectare nos jusserit de litterarum salute & gloria optime meritus GRAEVIUS, sufficiens & idoneum huic operi arduo otium, ætatemque ac valetudinem illi apprecamur.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno M DC LXXXIV.

SAMUELIS PUFENDORFII DE JURE NATURÆ & Gentium libri octo. Editio secunda auctior multo & emendatior.

Francofurti ad Mœnum apud Frid. Knochium. 1684. in 4.

HGrotium primum fuisse, qui seculum ad nobilissimam ac utilissimam de J. N. & G. disciplinam excolendam excitavit, in vulgus notum est. Sed cum ille in opere suo insigni de J.B.& P. quædam præteriisset, quædam levi brachio attigisset, quædam denique admiscuisset, quæ ipsum hominem fuisse arguunt, multi fuerunt, qui defectibus istis medicam quasi manum adhibere tentarunt. *Autor* vero *amplissimus* publico egregio magis proficuum judicavit, si pro ingenio suo ac eruditione, qua pollet exquisita, totam hanc disciplinam in novam quasi formam refingeret, ac materiis a Grotio omissis, aut obiter expositis, eo ordine pertractaret, quo ante eum alias nemo. Ideo ante hos duodecim annos Londini Scanorum *octo libros de J.N. & G.* evulgavit. Qui cum non sine adplausu excepti essent, atque divenditi, eosdem adornata nova hac editione augere, multaque in iis loca illustrare magis annisus est. *Primus* liber *προπαιδείαν* quandam seu disciplinæ hujus præcognita continet, quibus, quæ sit entium & actionum moralium indoles, exponitur. In *secundo* demonstratur, statui hominum non congruere vitam agere exlegem; itaque opus esse legibus, quæ omnibus hominibus certam vivendi normam præscribant: has vero corrivari in socialitatem tanquam in legem naturæ fundamentalem doctissimus Autor tradit. Deinde primum præstationes hominis adversus seipsum, tam circa culturam animi, quam curam corporis & vitæ, eleganter ac fusius, quam in prima hujus libri editione factum erat, deducere pergit.

Libro III. & IV. juſto ordine proponit officia, quæ homo alteri debet, facta illorum diſtinctione in *abſoluta*, quæ citra omne antegreſſum humanum inſtitutum omnes homines obligant, & *hypothetica*, quæ pactum expreſſum aut tacitum præſupponere videntur. Hinc expoſita natura pactorum & obligationum illis innixarum, *libro V.* de contractibus, qui pretia rerum præſupponunt, diſtincte & accurate agit. *Tres* ſequentes *libri* doctrinam politicam complectuntur. Nam *Libro VI.* de tribus primis ſocietatibus humanis, utpote ſine quibus origo & natura imperii humani nequit recte cognoſci, agit: *libro VII.* de civitatum cauſis, ſtructura, forma, ſummi imperii natura atque ſummorum imperantium officio exquiſite tractat: VIII. & *ultimo* potiſſimum jura majeſtatis, & unde mutatio ac interitus civitatum oriatur, exponit. Multas inſuper controverſias illuſtres non ubivis obvias dilucidat atque definit. Sub calcem index capitum & rerum præcipuarum adjectus eſt, qui earum ſummam exhibet.

HISTORIA VENETA DI ALESSANDRO MARIA Vianoli, Nobile Veneto.

hoc eſt,

Hiſtoria Veneta Alexandri Mariæ Vianoli Nobilis Veneti, cujus pars prima prodiit anno 1680, altera hoc ipſo 1684.

Venetiis apud Joh. Jacobum Herz. in 4.

CUm ad perfectæ Reipublicæ exemplum, omnium illorum judicio, qui civili prudentia valent, illuſtre Venetorum regimen quam proxime accedat, mirum equidem non eſt, quod tot e quavis ætate Scriptores hunc in ſe laborem tam promte ſuſceperint, ut ipſius originem ac incrementa, quibus potiſſimum tertio abhinc ſeculo ad vicinorum invidiam floruit, poſteritatis commodo explicarent. Quæ tamen Commentantium fœcunditas Autorem noſtrum a propoſito Res Venetas a primo urbis conditæ anno repetendi haud quaquam divertit, ſed calcar potius ipſi addidit, ut tanto alacrius cœpto operi inſiſteret, quanto facilius viam veritatis a tot tantiſque ducibus monſtratam tenere ſe poſſe confidebat. Uſus autem eſt hac methodo, ut

Digitized by Google

ut juxta imperantium seriem, qui antiquis temporibus Consulum ac Tribunorum, exinde vero Ducum titulos gesserunt, quicquid accidit memoria dignum,& eas cumprimis res gestas, e quibus Veneta prudentia sagacitasque eluxit,justo ordine servato exponat. Ab ovo,quod ajunt,rem auspicatus,Venetorum nomen ab Henetis esse,qui castellum Cromnam apud Paphlagoniam a Trojanis oriundi tenebant, scribit, cumque illa gens Euganeis sede pulsis plurima Fori Julii loca, & munitas arces inter Alpes ac mare pridem occupasset, ipsas autem postea venientibus in Italiam Gothis, Hunnis, & Longobardis relinquere cogeretur, tum complures familias ex terra continenti in insulas se recepisse,ac ibidem pro tempore ædificia quædam struxisse, quibus ubi alia paulatim accesserint,crevisse Venetias & vicina loca maritima ad eam magnitudinem, ut civitatis & reipublicæ faciem ostenderent. Regiminis forma, quantum cum ex aliis, tum maxime ex Autore nostro discere licet, quinquies immutata fuit. Initio rerum penes *Consules* erat imperium, qui quovis biennio creati id operam dabant, ut parvum adhuc subditorum numerum institutis ac legibus paci potius quam bello accommodatis regerent. Eorum decem Autor memorat, non dissimulans, ab aliis alia ac diversa ab his quæ ipse prodit, nomina illis tribui. Postquam vero plures in unum insulæ coire ac societatis vinculo jungi incipiebant, *Tribunos* eligere videbatur, qui singulis Insulis annua autoritate præessent, ac si quid gravioris momenti ad publicam rem pertinens decernendum foret, in commune consulerent. Hæc regiminis forma aliquanto diutius, quam ista prior viguit. Verum cum Insulæ nonnullæ Longobardorum Italiam vastantium barbariem experirentur, populus Tribunorum pertæsus, quasi ipsorum crimine, quicquid sentiebant mali, accidisset, *Duces* creare suffragiis, iisdemque summam rerum non per aliquot annos, sed per omne vitæ tempus credere constituebat. Vix tamen tres ea dignitate functi erant, cum populus libertati suæ metuens *Magistros Equitum* quotannis ad Reipublicæ administrationem vocaret. Sed ut multitudinis genius mutabilis & ad varietatem semper pronus est, post quinque annos & adeo quinque Magistros Equitum, *Duces* iterum eligi cœperunt, idque demum constanti observatione ab anno 742 in hunc usque diem continuatum fuit. Interim regiminis nullam ab illo tempore factam fuisse mutationem, dici non potest.

eſt. Nam Principum primi & longe majori autoritate, quam ſequentes, (ut agnoſcit Contarenus,) pollebant, & populari voce, non ſuffragiis nobilium fiebant. Sunt, qui Venetos Duces a *Theodato Ipatio*, vel ut tres illos, qui ante Magiſtros Equitum regnarunt, ſimul complectamur, a *Paulutio Anafeſto* ad *Vitalem* uſque *Michaelium* II ſupremam & prorſus abſolutam in cives poteſtatem obtinuiſſe cenſent, eamque cauſam aſſignant tam frequentium conſpirationum ac tumultuum, qui ipſis regnantibus civitatem conquaſſarunt. Attamen, ſi quæ Autor noſter tradidit, antiquorum monumentorum fide, ut apparet nituntur, certum quidem eſt, aliquos illorum Principum tentaſſe, ut titulum ducalem vel regium familiæ ſuæ vendicarent, & cum hæreditate ad poſteros transmitterent; unde filios in ſocietatem imperii adſciſcere, ſibique ſucceſſores vivi nominare ſubinde ſtuduerunt, teſtibus *Participatiis, Badoariis, Urſeolis*: verum populus libertatis amans, & vigilantiſſimus cuſtos, fere ſemper duos Tribunos Conſiliariorum nomine Ducibus adjunxit, ne poteſtate abuterentur, ac civibus ſolam parendi gloriam relinquerent. Si quando Ducum ſpectatæ moderationis lateri hos Conſiliarios addere neglexerunt, ut factum *Mauritio Galbagio* fuiſſe Autor ſcribit, aliis ſuccedentibus, quibus non æque fidebant, eos iterum elegerunt; poſtremo etiam imperante *Dominico Flabanico* decretum publice fuit, ne ſucceſſores ſibi ipſis conſtituere ex illo tempore Ducibus integrum eſſet. Ad ejusdem Flabanici principatum originem Senatus Veneti, quem nunc vulgo *Pregadi* vocant, Vianoli refert. Ex quo apparet, & limitatam tunc Principum poteſtatem fuiſſe, & non demum ſub duodecimi ſeculi finem, ſed ſub undecimi medium jacta Ariſtocratiæ fundamenta, cum paulatim a populo ad Optimates res transferretur. De Ducis tamen electione, & Conſilii Magni inſtitutione *Vitalis Michaelii* II tempore lata lex fuit, & illa uſque ad *Petrum Gradonicum* ſtetit, qui tandem Reipublicæ formam feliciter immutavit, lege ipſius ſuaſu condita, ut cum antehac quotannis 480 viri e civium vaſta multitudine ad Reipublicæ clavum ſediſſent, exinde nulla amplius electio fieret, ſed quos proximis quatuor annis legi contigiſſet, illis perpetua eſſet hæc dignatio. Conſpiratum equidem idcirco bis in Gradonicum a civibus fuit; ſemper tamen detecti criminis autores pœnas temeritati ſuæ debitas dederunt.

Hacte-

Digitized by Google

Hactenus, quæ ad Regiminis Veneti modum pertinentia Autor habet. Tomo primo Operis præterea & augmenta potentiæ & decrementa, quas Veneti victorias obtinuerint, quas passi sint clades, sub 72 Ducibus ad *Johannem Mocenicum* usque, qui anno 1485 decessit, edisserit. Prolixus inprimis est in exponendo bello, quod cum Barbarossa pro Alexandro III Respublica prosperrime sub auspiciis *Sebastiani Ciani* gessit. Fuerunt enim, qui rem totam in dubium vocare, ac Venetos falsitatis arguere non dubitarunt. Annotat etiam magno studio, quicquid ad Veneti nominis splendorem facere noverat. Sic in divisione Imperii inter Græcum & Francum, Nicephorum & Carolum M. memorat, quod & alii observarunt, lacus Venetos omissos, ac neutrius jurisdictioni assignatos fuisse. Adeoque clarum esse scribit, quod nunquam Imperio subfuerint, sed libertatem suam proprio Marte & arbitrio semper, non alienis viribus ac auspiciis defenderint. Tomus alter 34 Principes exhibet a *Marco Barbadico* usque ad *Aloysium Contarenum*, illum qui hoc ipso anno obiit, ac conspirantibus omnium votis successorem habuit *Marcum Antonium Justinianum*, cujus nomini Autor Operis sui secundam hanc partem dedicavit. Hic & *Leonardus Loredanus* sistitur, quo imperante maximis bellorum tempestatibus Respublica Veneta parum aberat quin everteretur. Postea *Uscocchiorum* originem evolvit, & damna vicinis partibus per ipsos illata prolixe enarrat, de quibus anno 1676 prodierunt Minutii & Pauli Sarpii historiæ, non ita pridem ex Italica in Gallicam linguam versæ a Domino *Amelot de la Houssaie*. Bellum porro cum Turcis pro Candia, imperantibus *Francisco Ericio*, *Stephano Molino*, *Carolo Contareno*, *Francisco Cornelio*, *Bertuccio Valerio*, *Johanne Pisauro*, & *Dominico Contareno* gestum late explicat, usus opera Baptistæ Nani, qui alteram Historiæ suæ Venetæ partem quinto adhinc anno publico dedit. In toto Opere cum Legatorum, tum belli Ducum, Principum & Consiliariorum orationes subinde Autor refert, officiumque & partes boni Historici satis explet, quantum videlicet potest a cive Reipublicæ Venetæ exspectari.

Digitized by Google

L' ESPION DU GRAND SEIGNEUR ET SES RELAtions secretes: traduites de l' Arabe en Italien, par le Sieur Jean Paule Marana, & de l' Italien en François par - - -

id est,

Explorator Turcicus, ejusque relationes secretæ, ad Prætorium Constantinopolitanum Lutetia missæ, & sub regno Ludovici Magni detectæ. Ex Arabico Italice versæ a Joh. Paulo Marana. Gallice vero a - - in quibus præcipui rerum ab anno 1637 ad 1682 in orbe Christiano, & in Gallia gestarum eventus exhibentur.

Parisiis apud Barbinum, & Amstelodami apud Wetsteinium 1684. in 12.

Res profecto miraculo simillima editione harum Epistolarum, & in narratione iis præmissa, exponitur: homo scil. Mahometanus, per annos quadraginta quinque in regia Lutetiæ urbe, ficta persona & habitu latitans, & exploratoris operam infensissimis Christiani nominis hostibus impune præstans. Nec minus mirum, quod natus inter Turcos aut Arabes, Latinas literas, dum captivus in Sicilia teneretur, ita didicisse dicitur, ut autores non vulgares, Senecam, Tacitum, sanctum etiam Augustinum legere, & dum Parisiis viveret, pro docto & Clerico haberi potuerit. Stant hæc fide interpretis Maranæ, qui se Genuæ natum dicit, & uti videtur, suspicionem suppositionis, dedicatione opusculi hujus Regi facta, impetratoque ab ejus Majestate privilegio Typographico, elidere voluit, & ad testimonium civis Parisiensis, tacito tamen ejus nomine provocat, specimen vero nunc tantum exhibet triginta Epistolarum *anno 1637 & 1638* scriptarum, cum ultra quingentas se habere scribat, earumque edendarum spem faciat. Invenisse autem se Volumen illarum refert casu mere fortuito, cum hospitium mutans, in angulo cubiculi chartas pulvere obsitas deprehenderet. Dein post cautam & diligentem explorationem, ex ædium domino comperisse, habitasse in domo illa annis octodecim hominem peregrinum, qui se *Titum Moldaviensem* nominaverit, statura parva, facie deformi, habitu Clerici, moribus corre-

ctis

Digitized by Google

ctis & pene ſanctis, quamvis non defuerint, qui Judaiſmi & Mahumediſmi ſuſpectum haberent; pecuniam & amicos nunquam ei defuiſſe; ſeptuaginta annos natum fuiſſe, cum narrare ſolitus fuerit, ſe anno 1637 Lutetiam veniſſe, juvenem tunc viginti octo annorum: quisquis vero fuerit, cum aliquando pro more anno 1682 domo egreſſus eſſet, nunquam rediiſſe, neque tamen præmeditatum abiiſſe videri, cum non ſolum chartas illas, ſed & pecuniæ aliquantum reliquerit: in flumen fortaſſe præcipitatum, aut alio inopinato caſu interiiſſe. Scrupulum movere poſſent inter alia, quæ alicubi in laudem Chriſtianæ religionis, & inprimis Romanæ, atq; in vituperium Reformatæ interſeruntur; nec non quod nihil literarum ex Turcia ad eum datarum ſimul repertum memoretur, quas tamen non minori diligentia, quam ſuarum epiſtolarum exempla cuſtodiviſſe virum, ut deſcribitur, callidiſſimum, probabile eſt. Verſionem, quod parum ſapiat ſtylum Arabicum, ita excuſat interpres, ut libertate ſe uſum eſſe dicat, rebus potius quam verbis inſiſtendi, & ineptias, titulorum præſertim & blanditiarum, quibus Orientales indulgent, reſtringendi. Materiam literarum quod attinet, quantum ex ſpecimine hoc judicari poteſt, ſatis fidelem & accuratam rerum in Gallia, & alibi inter Chriſtianos geſtarum notitiam & comparaſſe ſibi Mamutum hunc (hoc enim nomine ad ſuos utitur) & ad aulam Turcicam retuliſſe apparet. Et quamvis ea omnia ex ſcriptoribus noſtris uberius & certius intelligantur, non caret tamen utilitate narrationem illorum ex ore hoſtis & exploratoris cognoſcere. Inſigne vero documentum hinc capere poſſent Principes Chriſtiani de cavenda Turcorum vafritie. Si enim vera ſunt, quæ referuntur, fuerunt eodem tempore Viennæ *Carcoa* quidam Turcus, Genuæ *Adonai* Judæus, qui junctis cum hoc literarum commerciis, res in Germania, Italia, Gallia, viciniſque regionibus geſtas indagarent, & hoſtibus enuntiarent. Maximum vero impietatis Turcicæ (utinam non & inter Chriſtianos repertæ) documentum eſt, quod nebulo hic a ſummo Turcorum ſacerdote veniam habuiſſe ſe ſcribit, Chriſtianos ritus ſimulandi, pejerandi, & quicquid ad finem propoſitum expediret ſine peccati metu perpetrandi. Quo vero animo in Chriſtianos fuerit, quam acerbe plerumque eorum ſacra & mores irriſerit, quam lætitiam ex diſſidiis & bellis eorum ceperit, quæque inde incrementa rei Turcicæ auguratus fuerit, ex paucis literis

literis his prolixe colligitur. Hæ ſive veræ, ſive ingenioſe fictæ ſunt, (quod fortaſſis orbis literati judicium, & temporis mora brevi aperiet) movere tamen merito ſummas orbis Chriſtiani poteſtates ad ſeria aliquando, & perpetuæ inter ſe pacis, & jungendarum contra immaniſſimos hoſtes virium conſilia, poſſent & deberent.

SELECTÆ HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CAPITA, & im loca ejusdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ. Autore R. P. F. Natali Alexandro, Ordinis FF. Prædic. in Sacra Facultate Pariſienſi Doctore Theologo &c. Seculi XI & XII pars tertia.

Pariſ. apud Antonium Dezallier, in vico San-Jacobæo, ad coronam auream, 1683. in 8.

ULtimum hoc undecimi & duodecimi ſeculi volumen a ſeptima diſſertatione incipit, quæ *Petri Abælardi* variam fortunam, errores, certamina, pœnitentiam, & poſtremo loco opera, a *Franciſco Amboeſio* præmiſſa Pariſienſium Theologorum cenſura in publicum edita, exponit. In iſtis Abælardi operibus, ut cætera taceamus, variæ occurrunt epiſtolæ, quarum una ad amicum data ſtudiorum ſuorum & variarum calamitatum, & amorum cum Heloiſſa pudendo vulnere multatorum, hiſtoriam ipſe retulit. *Heloiſſam* vero Petri ſcortum & poſtea uxorem, etiam jam monaſticis ſacris initiatam, priſtini illius flagitii haud ſatis pœnituiſſe vel ex eo conſtat, quod in ſecunda ad Abælardum epiſtola, quam dulce ſibi concubinæ nomen fuerit, haud diſſimulat, & ſe ejus meretricem quam Auguſti Cæſaris uxorem appellari malle profitetur. Errores Abælardi partim ex *Bernhardo, Gulielmo* Abbate S. Theodorici, *Gaufrido* Carnotenſi epiſcopo, *Ottone Friſingenſi*, & anonymo quodam Autore, partim ex ipſis Abælardi ſcriptis commemorantur, cujus mentem, in nonnullis capitibus lingua ſaniorem, S. Bernhardum & cæteros antagoniſtas non ubivis aſſecutos Alexander noſter arbitratur. Idem quid in Sueſſionenſi concilio, quod nec cum *Johanne Picardo* in not. ad epiſt. Bernh. A. C. 1116, nec cum *Binio* A. C. 1136. ſed A. C. 1121, coactum exiſtimat, & undevigeſimo

poſt

poſt anno ſeu A. C. 1140 in Senonenſi concilio, nec non Romæ ab Innocentio II contra Abælardum actum fuerit, ex variis autoribus recenſet, *Berengarii Pictavienſis* apologeticum pro Abælardo effuſis in S. Bernhardum calumniis refertum ad examen revocat, & tandem Abælardum a *Petro* Venerabili Abbate *Cluniacenſi*, S. Bernhardo & Innocentio reconciliatum, emendatis erroribus ſancte vixiſſe & pie obiiſſe, ex Chronico Cluniacenſi & Abbatis Venerabilis modo nominati epiſtola ad Heloiſſam, ejusdemque duplici epitaphio ad Abælardi laudes compoſito commemorat. In fine diſſertationis additur, librum Abælardi vulgo *ſic & non* appellatum, in cœnobio Pariſienſi S. Germani a Pratis manuſcriptum extare.

Proxima huic diſſertatio numero octava *concilii Lateranenſis III*, in quo poſt certamina Alexandri III cum Antipapis ſuis Victore IV, ejusque ſucceſſoribus, Pachali III & Calliſto III, quorum partibus Fridericus I Imperator addictus fuerat, & plures ſynodos in Italia, Gallia, Anglia, Germania & ipſa Palæſtina agitatas, pace tandem inter Imperatorem & Pontificem inita, de abolenda contraria factione & mediis prohibendi inpoſterum ſchismatis, nec non de Waldenſibus & Albigenſibus opprimendis & diſciplina eccleſiaſtica inſtauranda actum eſt, geſta & canones, præmiſſis loci, temporis & reliquis circumſtantiis recenſet.

In nona diſſertatione, quæ caſu transpoſita octava eſſe debuit, diſquiritur, utrum judicium in cauſis fidei ad ſolum Romanum Pontificem, an etiam ad alios epiſcopos referri debeat? Occaſionem huic controverſiæ ſuppeditavit *concilium Remenſe*, in quo Præſules Gallicani adverſus Gilberti Porretani errores, Romano Pontifice & Cardinalibus præſentibus & tamen inconſultis, fidei formulam ſeu ſymbolum ediderunt, de quo facto tanquam illegitimo & Romanæ curiæ minime tolerando, Cardinales adverſus S. Bernhardum & congregatos cum eo Galliæ epiſcopos graviſſime expoſtularunt. Autoris noſtri ſententia eſt, jus fidei cauſas cognoſcendi ac de iis judicium ferendi epiſcopis omnino competere, ſed confirmationem judicii & ſententiam definitivam, & jus generalia decreta de fide Chriſtiana & morum diſciplina ſanciendi, non excluſo tamen eccleſiæ conſenſu, & generalium conciliorum ſuprema ac divina autoritate non neglecta, ad Romani pontificis prærogativas pertinere. Quam in rem poſtquam pluri-

Digitized by Google

ma e Thoma ſuo aliisque autoribus teſtimonia adduxit, ad Pariſienſes & cæteros Galliæ Theologos accedit, & quid hac de re ſentiant, exponit; nimirum pontificem Romanum, primum & maximum omnium epiſcopum, in tota eccleſia principatum & poteſtatis plenitudinem habere, non tamen abſolutam, cum novos fidei articulos condere & Sacramenta inſtituere vel abrogare nequeat, nec ipſi ſoli determinandi fidei controverſias autoritas conveniat. Hanc Pariſienſium Theologorum ſententiam nonnullis Facultatis Theologicæ decretis confirmat, & *Lupum*, ſeu quisquis ad Thomæ Cantuarienſis vitam & epiſtolas indicem confecit, falſi arguit, cujus majuſculis exarata characteribus hæc eſt ſententia, quod Romani pontificis ſolius perſona ſola ſit controverſiarum judex. Etſi vero in quibusdam capitibus a plerisque cæterarum gentium Theologis Gallicani Doctores diſſentiant, inprimis cum diſceptatur: utrum concilium œcumenicum Romano Pontifice ſit ſuperius? utrum Rom. Pontifex non accedente eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis? utrum Pontifex Romanus directam vel ſaltem indirectam in temporalia Regum poteſtatem habeat? nihil tamen detrimenti inde pati Romanæ ſedis majeſtatem aſſerit, cum hæ quæſtiones ad fidem non pertineant, ſed ad humanas opiniones revocentur, & primatus jure Divino Romano Pontifici conveniens ubique ſalvus maneat. Cum enim Theologis permiſſum ſit, varias de Dei potentia in ſcholis quæſtiones agitare, & diſquirere, num Deus abſoluta potentia hæc vel illa poſſit, dummodo omnipotentiam divinam univerſi credant: non inconveniens ipſi videtur, etiam Romanos Pontifices permittere, ut catholici Theologi de poteſtatis ſuæ extenſione, modo, ac uſu modeſte diſputent, dummodo in confeſſione primatus jure divino S. Petro a Chriſto collati & ad ejus ſucceſſores transmiſſi conveniant. Tandem vero & hanc diſſertationem, & quicquid in toto opere ſcripſit, Romanæ eccleſiæ, quam omnium eccleſiarum matrem ac magiſtram profitetur, & Romani Pontificis, quem Petri ſucceſſorem & Chriſti vicarium agnoſcit, judicio ſubmittit.

In cauſa *Thomæ Cantuarienſis* Archiepiſcopi, circa quam decima diſſertatio verſatur, primum variæ occaſiones, quæ Henricum II. Angliæ Regem adverſus Thomam commoverunt, memorantur, & in earum numero jus Regaliæ non fuiſſe, adverſus P. *Lupum* ſeu indicis, cujus paulo ante mentionem fecimus, autorem aſſeritur, cum jus illud

nec

nec a Thoma unquam impugnatum, nec a quoquam improbatum, ſed ab Henrico II & aliis ævi illius Regibus citra ullam contradictionem uſurpatum fuerit. Hinc ad certaminum illorum inter Regem & Cantuarienſem Pontificem progreſſum delatus autor, quid ante Thomæ exilium, quid in exilio, quid ab ejus reditu ad cædem a quatuor ſicariis peractam, & poſt ejus cædem, quæ vulgo martyrii nomine inſignitur, geſtum fuerit, inprimis ex hiſtoria quadripartita ſeu quatuor ſcriptoribus coævis, qui Thomæ hujus vitam & acta conſignarunt, & farragine epiſtolarum huc ſpectantium a Lupo edita, de qua Acta noſtra Cal. Sept. A. C. 1683. p. 384. videantur, ſic enarrat, ut Thomæ cauſam ubique tueatur, quem in calce diſſertationis ſupplex obſecrat, ut Romanis Pontificibus zelum pro tuenda eccleſiæ libertate & diſciplina, Regi Britanniæ & toti regno communionem cum Romana eccleſia, Gallicanæ eccleſiæ & Francorum regno florentiſſimam tranquillitatem, & præſenti Galliarum Regi Ludovico XIV, quem ab Innocentio XI hæreſeos expugnatorem jure nuncupatum dicit, perpetuam felicitatem jugi apud Deum interceſſione impetrare velit.

Reliquæ diſſertationes ad panopliam adverſus hæreſes, qualem ſingulis ſeculis Autor annectere conſuevit, referuntur, quarum unam Græcis azymorum in S. Euchariſtia uſum impugnantibus, alteram Berengario ejusque aſſeclis realem corporis & ſanguinis Chriſti in S. cœna præſentiam negantibus, & poſtremam Petrobuſianis pædobaptiſmũ improbantibus & cæteris erroris hujus ſucceſſoribus opponit. Undecima igitur diſſertatio *azymorum* uſum contra Græcos ſchiſmaticos exemplo Chriſti aliisque argumentis defendit, & a *Michaelis Cerularii* aliorumque Græcorum objectionibus vindicat. *Thomæ* vero *Aquinatis, Alexandri Alenſis, Bonaventuræ* aliorumque Scholaſticorum veterum, & recentiorum quorundam Scriptorum ſententiam, qua ſtatuunt, quod Græca pariter & Latina eccleſia poſt euchariſtiæ inſtitutionem usque ad Ebionis tempora azymis uſa, poſtea cum Ebionitæ leges Judaicas ſimul cum Evangelio obſervandas inculcarent, in hæreſeos iſtius execrationem, panem fermentatum adhibuerit, donec illa hæreſi exſtincta, Latina Eccleſia, Græcis uſum fermenti retinentibus, ad azymorum uſum redierit, ob defectum idoneæ probationis & ſummum veterum ſilentium rejicit. Et apud Græcos quidem fermenti uſum perpetuum fuiſſe ex Græcis patribus colligit, de Latina vero ec-

clesia diversas eruditorum sententias inter se committit. Cum enim *Sirmondus* in disquisitione de azymo, usum fermentati octingentis & amplius annis in ecclesia Latina solennem fuisse contendat, & azyma medio illo intervallo, quod a Photii schismate usque ad Cerularii tempora effluxit, recepta asserat, a qua sententia etiam Cardinalis *Bona* in suis Liturgicis haud alienus est, nisi quod a primis illis seculis azymorum usum non penitus excludit; ab altera vero parte *Joh. Mabillon* in præf. sec. III. Ben. & in dissertatione singulari, nec non *Christianus Lupus* Tom. III. Schol. in canones & decreta concil. perpetuum in Latina Ecclesia azymorum usum fuisse existiment, utriusque opinionis argumenta recitat, & liberum lectori judicium permittit.

In duodecima dissertatione, quæ cæteris prolixior & libello fere quam dissertationi similior est, contra *Albertinum*, adversus quem etiam a Theologo quodam Jesuita ingens volumen propediem edendum adornari monet, & alios Calvinianarum partium ministros, omissis iis, quæ jam in priorum seculorum historia de hoc argumento disseruit, realem corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam ex Scriptura Sacra & ecclesia primitiva fuse & satis egregie evincit, nisi quod etiam Joh. VI. de eucharistiæ mysteriis agi censet, & ubique cum reali illa præsentia transubstantiationis figmentum perperam adjungit. Ad adversariorum objectiones dum respondet, inter alia *autorem expostulationis de epistola Chrysostomi ad Cæsarium*, a Theologis Parisiensibus suppressa, de qua in Actis nostris Cal. Jan. 1683. diximus, refutare conatur. Adjecta est ultimo hujus dissertationis articulo ad fratres Calvinianæ secessionis adhortatio, ut cum articulum hunc pro fundamentali non habeant, eoque non obstante pacem cum Lutheranis ambiant, ad Romanam ecclesiam, a qua eos nulla gravi causa urgente secessisse arguit, redire non detrectent.

Ultima dissertatio infantum baptismum & Scripturæ Sacræ testimoniis, & ecclesiæ orientalis pariter & occidentalis traditioni congruum ostendit.

L'IMPIETE' CONVAINCUE EN DEUX TRAITEZ, par Pierre Yvon, Pasteur de l'Eglise Reformée retirée du monde, & recueillie maintenant à Wiewert, en Frise.

i. e.

id est,

Impietas convicta a Petro Yvone, Pastore Ecclesiæ Reformatæ, quæ ex mundo retracta Wievvertæ in Frisiis nunc colligitur, Tractatibus duobus; in quorum priori Existentia Dei, ut omnium veritatum prima & certissima, clare stabilitur; in secundo Scriptura Sacra defenditur, impio libro Spinosæ, cui titulus *Tractatus Theologico-Politicus* integre refutato.

Amstelodami 1681. in 8.

TArde ad nos perlatus est hic liber, neque tamen indignus visus, qui vel nunc in Actis nostris locum inveniat. Materiæ utilitas commendata jam a nobis est, cum anno 1683. p. 364. *Dyroisii librum adversus Atheos* enarraremus. Tametsi vero Auctor præsens, dum viveret, ex Labadii sectatoribus fuisse perhibeatur, deprehensum tamen a nobis non est, quod ab inserendo Actis libro nos deterreret; cum præsertim de neminis orthodoxia respondere teneamur, sed judicium legentibus relinquamus. Audiamus itaque, quæ de scopo suo in præfatione ipse autor proposuit. Primam ait, eamque jucundissimam & gravissimam veritatem esse: *quod sit Deus*. Ex hac omnes alias derivari, & sine illa prorsus nullam dari: hominem certe ad imaginem Dei sui creatum, facile cariturum cognitione eorum, quæ juxta aut infra se sunt, dum magnum Autorem suum & adorabilem majestatem ejus vivide cognoscat. Quo vero cum solatio animam mundo exituram, cum magnum illud Ens in summa gloria & bonitate inveniet, quod tota mente credidit, quod invisibile licet, non secus ac visum amavit, & ad quod in omnibus rebus & actionibus sincere respexit? Hac spe fieri, ut omnes, qui in illum vere credunt, gaudio & divina virtute repleantur, & de necessaria perfectissimi hujus Entis existentia certo persuasi, in tempore hoc cum amore & fiducia ei propinquent, & a bonitate ejus expetant, ut in æternum ei jungantur, & uniantur. Hujus desiderii excitandi causa, & ut animæ eleventur ad contemplandū Deum, *quod sit*, & *qui sit*, *libro* hoc *primo* ostendere se scribit voluisse, quomodo creata omnia de Deo testentur; sed quia jejune & indifferenter de Deo non est loquendum, indulsisse sanctis meditationibus, mentibus nostris merito imprimendis, cum veritatem, magni-

 tudinem

tudinem & ſummam perfectionem DEI animadvertunt. Poſt cognitionem DEI Patris, Filii & Spiritus Sancti, nullam eſſe (pergit) graviorem aut ſolidiorem, quam verbi divini, ſive ſacræ ſcripturæ, per quam Deus magnifice, pleniſſime & certiſſime ſe manifeſtavit. Quemadmodum vero Spiritus Sanctus fidelibus divinam & ſalutarem cognitionem manifeſtaturus, Scriptura utitur; ita impietas, late hodie diffuſa, cum Deum ipſum impugnare non vereatur, minime parcit verbo ejus, ſive Sacris Literis Eccleſiæ concreditis. Hæc vero ut confundatur, & ad lumen veritatis expoſita peſſima opinionum levitas in conſpectum ſiſtatur, *Libro ſecundo* defenſionem Scripturæ ſuſceptam a ſe eſſe ſcribit, adverſus librum Judæi *Spinoſæ*, qui in Belgio magnum rumorem excitaverit. Ex his intentio autoris ſatis ut putamus conſpicitur: quomodo vero & quibus mediis & argumentis ad obtinendam eam progreſſus ſit, ſummatim referemus.

Liber primus decem habet *capita*. I. Exiſtentia Dei probatur *ex contemplatione univerſi*, ex qua concluditur, nihil eſſe a ſe ipſo; alias enim omnia quæ ſunt, forent perfectiſſima, forent etiam perpetua, agerent per ſeipſa. Dein ſi Deus non crederetur, homo omnium perfectiſſimus credi deberet, quia ſolus intellectum habet. At neminem latet humana debilitas & miſeria, indeque evincitur, multa eſſe ſupra hominem, & multis illis unum denique ſuperius eſſe, neceſſario ſequi. Refellitur poſtea æternitas mundi, ſive per partes, ſive in univerſo ſpectetur; rejicitur ejus divinitas & independentia, unde irrefragabiliter ſequitur, quod ab ente ſuperiori originem habeat & gubernetur. Addit monitum adverſus cœcitatem humanam, & quomodo a reliquiis rationalis luminis ad uberiorem, quam ſcil. divina veritas monſtrat, cognitionem, progreſſus fieri debeat; ubi tamen ad *Mornæi Librum de Ver. Rel. Chr.* lectorem remittit. Cap. II. *alterum* probandi fundamentum *ex ipſo homine* deducit. Agnoſci enim ab unoquoque facile poſſe ait, dum ſui ſimilem generat, quod id neque ex arte, neque ex ſapientia ſua præſtet, ſed quod ſucceſſus medii, quo utitur, aliunde dependeat; id vero nil aliud eſſe poſſe, quam Deum. Idem colligi ex *dominio hominis* latiſſimo in alias creaturas, item ex capitis & cordis humani ſtructura & viribus; ex *interno Numinis metu*, pectori etiam impiorum inhærenti; ex *voluntatis humanæ natura*; ex *amore & omnibus affectibus*; ex *libertate actionum*; ex *ſocietatis appetitu*, ejusque conciliatione & diſſolutione, & quod denique maxime

xime intereſit hominis, eſſe Deum, ob *ſummam utilitatem*, quam ex ejus cognitione & cultu conſequitur. C. III. Divinitatis argumentum ſumit a *ſtatu hominis vere Chriſtiani*, qui eſt templum Dei, & qui ſe non humanis viribus, ſed divinitus in melius mutatum ſentit & deprehendit, ſecundnm illud Minutii: *Ex hoc nunc credimus, quod Deum ſentire poſſumus, videre non poſſumus.* Confirmat id ex ſenſu ſocietatis Chriſtianæ, ſanctæque inter veros Chriſtianiſmi profeſſores unionis. Cap. IV. majorem lucem, & probationum robur *ex Scripturis Sacris* deducit, quarum præſtantiam & efficaciam egregie demonſtrat. Poſito jam ſic, ex ratione & revelatione, fundamento *de Exiſtentia DEI*, ſubjungitur deſcriptio proprietatum ſive perfectionum divinarum. Capite nempe V docetur *ſpiritualitas* & ſumma *puritas*. Cap. VI *Intelligentia* ſuprema & infinita. Cap. VII *Vita*, qua Deus fruitur, & quam ex ſe efficaciter diffundit. Cap. VIII *Magnitudo*. Cap. IX *Independentia, Æternitas, Immutabilitas*, quæ veluti magnitudinis ſpecies ſint & perfectiones ſingulares. Cap. X abſoluta Dei perfectio, omnium perfectionum complexus.

Tractatus *ſecundus*, uti diximus, *Spinoſæ* opponitur. Quia autem hic non in genere tantum, ut quidam effreni cum protervia faciunt, divinarum literarum autoritatem rejecit, ſed rationes etiam inſaniendi habere ſe putavit, reſpondendum illis omnibus eſſe exiſtimavit Autor, unaque opera reliquis, quos in nectendis difficultatibus & ſcrupulis adinveniendis, Judæus iſte argutiarum & cavillorum peritiſſimus, ſecutus eſt, vel ſuperavit. Ante omnia Cap. I. principium blaſphemum aggreditur, in præfatione a *Spinoſa* expoſitum, ubi Deum non ſponte, ſed ex neceſſario rerum ordine agentem pingit, quo aſſerto omnem religionem & cultum Numinis in ſuperſtitionem & ſtultum metum verti, & impietatem aperte ſtabiliri, ſatis conſtat. Cap. II. refelluntur, quæ *Spinoſa* cap. 1. & 2. adverſus certitudinem revelationum divinarum, divinumque earum & extraordinarium modum nugatus eſt. Cap. III. de prærogativis populi Judaici & Legis Moſaicæ natura agit, & quæ adverſarius cap. 2. & 3. peſſimo fine de hac materia commentatus eſt, ſummæ arguit impietatis; cum nihil aliud ex illis ſequatur, aut alio tendant, licet callida ſycophantia ex ipſis ſacris literis adſtrui videantur, quam quod Deus nihil aliud ſit, quam rerum univerſitas, neque angeli aliud, quam

voces

voces aut ſoni in aere formati, cum vili & indigna aſſertione, quod Deus non propter ſe, ſed utilitatis humanæ cauſa coli mereatur. Cap.IV.contra cap.5.&6.*Spinoſæ* pro ſanctitate ceremoniarum & rituum, & pro evidentia miraculorum pugnat, & calumnias his oppoſitas, aſſertamque iterum neceſſariam & fatalem rerum catenam rejicit. Cap.V. adverſus cap 7.intellectum & interpretationem Scripturarum, quam ut impoſſibilem *Spinoſa* traduxerat, defendit. Cap. VI. objectiones diluit de Autoribus Librorum Moyſis & Hiſtoricorum Sacrorum, quos ignotos incertosque nugator (*capite ſuo 8.*) facere voluit. Cap. VII. oppoſitum eſt impudentiſſimæ malitiæ,qua *cap. 9.* Libri ſacri falſitatis, confuſionis, contractionis, aliorumque defectuum accuſantur. Cap.VIII. apologia eſt ſpecialis pro libris *Chronicorum*, quos(cap.10.) impugnaverat *Spinoſa*. Sic defenſis libris Veteris Teſtamenti, Cap. IX. aggreditur Autor,quæ homo nequiſſimus, novum Teſtamentum in criſin vocare non auſus, (*cap. ſuo 11.*) adverſus officium Apoſtolorum effutiit, maligne dubitans, an pro prophetis, an pro doctoribus ſint habendi. Cum vero immanitatem opinionis ſuæ quocunque modo emolliturus *Spinoſa* (*cap. 12.*) aliquam laudem & autoritatemScripturæ concedere videatur, ſuperſtitionem ſolum veluti conſcientiæ impulſu arguens,fucus hic Cap. X. detegitur. Dein Cap. XI. negatur verum eſſe, quod *cap. 13.* pro coloranda potius impietate, quam ſincero ad pietatem reſpectu jactaverat *Spinoſa*,ac ſi in Scriptura nihil præſcribatur, quam obedientia & amor proximi, ſive agnitio juſtitiæ & charitatis divinæ. Rejicitur etiam Cap.XII. deſcriptio fidei, quam is *cap. 14.* ad omnem vim fidei enervandam, commentus erat. Sed Cap.XIII. de vero rationis & philoſophiæ uſu in Theologia, multa adverſus falſum *Spinoſæ* axioma erudite diſſeruntur.Is enim *cap. 15.* ſtabilire voluit, ac ſi Philoſophiæ objectum *veritas*, Theologiæ tantum *pietas* eſſet. Hac occaſione infirmitas naturæ ad lumen divinæ veritatis absque gratiæ auxilio percipiendum,contra *Socinianos, Arminianos, Quakeros & Pelagianiſmi ſectatores*, oſtenditur. Non contentus fuit ſpermologus fundamenta religionis & pietatis, quantum in ſe erat, labefactaſſe, ſed *cap. 16.* etiam Reipubl.& ſummarum Poteſtatum jura ſubvertere tentavit, de Lege naturæ & ſocietatis humanæ ea eructans, quæ non niſi ad bellu-inum propriæ utilitatis & delectationis ſcopum faciunt. Hæc C.XIV.

ab

Digitized by Google

ab Yvone examinantur & destruuntur: sicut & Cap. XV. quæ pro libertate sentiendi dicendique impune omnia, *cap. 17.* allata fuerunt. Reliqua quæ *cap. 18.19.20.* de potestate Moysis in populum Israeliticum, & de religione a quolibet Magistratu, prout expedit, constituenda, tradita sunt, & quod maxima pietas ea sit, quæ patriæ exhibetur, aliaque ejuscemodi, quæ evomuit aut recoxit *Spinosa*, refutatione indigna esse, aut cum jam refutatis cadere Autor non immerito observavit.

CANONES GRÆCI CONCILII LAODICENI CUM versionibus Gentiani Herveti, Dionysii Exigui, Isidori Mercatoris, & observationibus Wolfgangi Gundlingii Diac. ad D. Laurentii Norib.

Noribergæ impensis Johannis Ziegeri, anno 1684. in 8.

Quamvis concilii Laodiceni canones numero 60. jam olim *Johannes Zonaras* & *Theodorus Balsamon* scholiis suis illustraverint, nec nostro & superiore seculo defuerint, qui eos observationibus suis dignos censuerunt, ut ex historia ecclesiastica *Lucæ Osiandri*, *Severini Binii* notis ad concilia, *Christophori Justelli* notis ad codicem canonum ecclesiæ universæ, *Gulielmi Beveregii* Synodico, & *Johannis Cabassutii* notitia ecclesiastica manifestum est; non ingratum tamen antiquitatis ecclesiasticæ studiosis fore *Gundlingius* existimavit, si canones illos antiquitate venerabiles seorsim publicaret, & perpetuo commentario planiores redderet. Quod dum facit, uberrimam de digamis, de usuris, de diversis ministerii gradibus, de Presbyterarum & Diaconissarum munere, de eulogiis, de stationibus catechumenorum & pœnitentium, de agapis, de exorcismo, de literis formatis seu canonicis, de chrismate, de lectionibus sacris & hymnis ecclesiasticis, variisque ceremoniis & disciplina primitivæ ecclesiæ disserendi occasionem adipiscitur. Autoritatem hujus concilii vir pl. Reverendus in epistola dedicatoria commendat, & Pontificiis ob canones quosdam sibi adversos, qualis est 35. de damnato angelorum cultu, & ultimus de libris Sacræ Scripturæ canonicis, eandem elevantibus respondet. Quos etiam ex canonibus Laodicenis confessionem auricularem, sacramentum confirmationis & alios errores perperam stabilire, cum in

prædicta epistola, tum in ipsis observationibus ostendit, etsi de cætero Patres Laodicenos non ab omni errore alienos, sed potius humani aliquid passos in ipso limine seu canone primo impegisse, lubens fateatur.

RELATIO DE CONTROVERSIA, QUÆ HACTENUS inter Dn. Hugenium & Dn. Catelanum agitatur de centro Oscillationis,

collecta ex Ephemeridibus Gallicis.

CLarissimus *Hugenius* in illius Tractatus, quem *de Pendulo* inscripsit, parte IV fundamenti loco, cui totum Systema de centro Oscillationis inædificet, hanc regulam posuit: *si pendulum e pluribus ponderibus compositum atque e quiete dimissum partem quamcunque oscillationis integræ confecerit, atque inde porro intelligantur singula ejus pondera relicto communi vinculo celeritates acquisitas sursum convertere ac quousque possunt adscendere; hoc facto centrum gravitatis ex omnibus composita ad eandem altitudinem reversum erit, quam ante inceptam oscillationem obtinebat.* Eam propositionem anno 1681, in *Diario Gallico mense Decembri*, aggressus est *Dn. Catelanus* Mathematicus Parisiensis, atque ut parum firmam probaret, ostendit, cum pendulum e duobus ponderibus compositum descendit, altitudines, e quibus pondera connexa delabuntur, proportionales esse celeritatibus acquisitis; sed cum pondera, occursu plani resistentis separata, iterum adscendunt, altitudines illas, ad quas perveniunt, se habere ut quadrata celeritatum acquisitarum. Quæ duæ summæ sane differentes, ut videntur, si per numerum ponderum divisæ fuerint, altitudinem ad quam centrum gravitatis commune adscendit, differre demonstrabunt ab ea, unde initio descenderat. Cui objectioni *Dn. Hugenius* in Ephemeridibus itidem Gallicis *mense Junio anni 82.* breviter respondit, negando, summas illas altitudinum, quas *Catelanus* differentes esse supposuerat, revera tales inveniri. Neque enim sequi, altitudines duas, quas inter non est ea proportio, quæ inter duas alias, necessario summam ab harum summa differentem efficere. *Mense Julio anni 1682* excepit *Catelanus*, se non ignorare, quod quatuor magnitudines inæquales efficere duas summas æquales valeant,

Digitized by Google



Fig. IX.



Fig. I.

Fig VIII.



Fig. X





valeant, sed hoc solum se concludere, quod *Hugenii* propositio generalis vera esse non possit, nisi pars æqualis toti statuatur. Affirmat *celeritatem totalem penduli compositi, quæ inter partes distributa sit proportionaliter ad arcus, quos ipsa describunt, semper æqualem esse summæ celeritatum, quas eædem partes acquisivissent, si una ab altera fuisset sejuncta, & omnes separatim ex iisdem altitudinibus & in eadem distantia ab axe descendissent.* Hoc & aliis nonnullis, de quibus ante dixerat, suppositis, controversiæ statum ad hanc propositionem redire scribit: *Si habeantur duæ magnitudines inæquales aa & bb, summam radicum ipsarum a + b, & quadrata partium illius summæ, quæ sint proportionales dictis magnitudinibus, quæque adeo pro communi denominatore habeant aa + bb, & pro numeratoribus differentibus a^3 + aab & b^3 + abb; ostendere, quod summa harum duarum magnitudinum, quæ altitudines, unde duo pondera æqualia uni pendulo alligata demittuntur, repræsentant, non possit esse æqualis summæ quadratorum illarum partium, quæ altitudines exhibent, ad quas duo pondera, postquam percussione facta fuerint sejuncta, redeunt, nisi minor harum magnitudinum aa & bb, sit æqualis majori, hoc est, quia istæ magnitudines in quæstione proposita semper inæquales sunt, nisi pars æque magna sit ac totum.* Atque ut intelligeretur, quod antea *Hugenio Catelanus* objecerat, id omnino cum his, quæ modo ex ipso recensuimus, congruere, eodemque collimare, primam objectionem anno 81 factam recudi, eidemque lineolas quasdam, prius omissas, adjici curavit. *Hugenius* post duorum fere annorum silentium exceptioni novæ satisfacere monentibus amicis in *Ephemeridibus Gallicis 3. Julii præsentis anni* voluit, ne victas dedisse manus videretur. Propositionem ergo, ad quam statum controversiæ *Catelanus* reduxerat, primum terminis Algebraicis paulisper clarius, ac a *Catelano* factum fuerat, repetit, deinde Algebra hic opus non esse innuens, numeris eandem effert: *Ponatur*, inquit, *aa æquale esse 1, & bb æquale 4; summa radicum a + b sunt 3, & partes proportionales hujus summæ sunt $\frac{3}{5}$ & $\frac{12}{5}$ faciunt enim junctim $\frac{15}{5}$ quod est 3, & sunt inter se ut 1 ad 4. Quadrata earundem partium sunt $\frac{9}{25}$ & $\frac{144}{25}$. Hoc igitur solum restaret demonstrandum, quod scilicet summa 1. & 4, non sit æqualis summæ, quæ prodit ex $\frac{9}{25}$ & $\frac{144}{25}$, sive quod 5 non sint æqualia $6\frac{3}{25}$, id quod sane per se clarum est.* Negat autem *Hugenius*

in hac

in hac propositione quadrata ipsarum $\frac{a^3 + aab}{aa \quad bb}$ & $\frac{b^3 + abb}{aa \quad bb}$ sive $\frac{9}{25}$ & $1\frac{44}{25}$ ad repræsentandas altitudines, ad quas pondera sejuncta redierint, recte assumi. Et porro illud falsum esse, quod de celeritate totali penduli *Catelanus* supposuerat, ostendit e principio Mechanico, vi cujus centrum gravitatis non adscendit altius, quam antea fuerat delapsum. Est & alia *Hugenio* cum *Catelano* controversia, circa generalem regulam, quam de centro oscillationis sive agitationis *Catelanus* proposuerat: sed eam, ne plura cumulemus, impræsentiarum dimittimus. Antequam vero *Hugenius* ad *Catelani* exceptionem alteram responderet, suscepit in se *Dn. Bernoulli* Basileensis, *Hugenii* causam, eamque contra *Catelanum* defendendam sumsit. Ejus verba quoniam, quæ hactenus de lite Clarissimorum Virorum diximus, plurimum illustrant, huc integra apponere ex Ephemeridibus Gallicis d. 24. April. 1684. visum fuit: *Quicquid* Dn. Catelanus *disputat, eo redit ut probet*, summam radicum duarum magnitudinum quarumvis non posse in duas partes ita dividi, ut proportionales sint ad magnitudines datas, utque summa quadratorum ipsorum sit æqualis summæ magnitudinum. *Id vero neutiquam in dubium ab* Hugenio *vocatur, qui tantum affirmat*, summam harum magnitudinum posse esse æqualem summæ duarum aliarum, quæ solis quadratis priorum proportionales sint, *quod & veritati consonum est. Atque ut ostendam, controversia omnis cardinem hic verti, utar eodem exemplo de duobus ponderibus æqualibus, efficiendo has veritates abstractas sensui magis obvias per numeros.*

Tab. XI. Fig. IX.

Sint A & B duo corpora axi D appensa, unum in distantia quatuor vicibus majori quam alterum. Adeoque si altitudo perpendicularis BI, ex qua descendit corpus B, describendo arcum BG, supponatur esse quatuor pedum, altera, AH, unde corpus A, delabitur, unius pedis sit oportet. Celeritates igitur, quas separatim cadendo acquirunt, quoniam sunt ut radices illarum altitudinum, se habebunt, ut 2. ad 1. Summa 3, quæ totalem penduli celeritatem manifestat, quando cum proportione ad altitudines, sive ad arcus BG & AF dividitur, dat gradus celeritatis, quos obtinent pondera, quando conjunctim in tabulam DG decidunt, videlicet $1\frac{2}{5}$ & $\frac{3}{5}$, quorum quadrata sunt $1\frac{44}{25}$ & $\frac{9}{25}$, unde quæ prodit summa, sane a summa altitudinum, e quibus pondera demittuntur

tur, differt. Veruntamen hæc quadrata proportionem solummodo altitudinum OM & NL, ad quas pondera, dum a tabula resiliunt, adscendunt, non ipsas altitudines continent, quas inter ratio quidem esse potest, quæ est inter $\frac{144}{225}$ *&* $\frac{9}{225}$ *hoc est inter 16 & 1, ut interim ipsarum summa omnino æqualis sit quinque partibus, quæ est summa altitudinum BI & AH, unde pondera delapsa sunt. Nam si ponamus altitudinem OM* $4\frac{12}{17}$*, pedum esse, & alteram NL* $\frac{5}{17}$*, OM ad NL se habebit, ut 16 ad 1, & pars OM+NL erit æqualis parti BI+AH, & per consequens centrum gravitatis commune ponderum A & B, postquam ad LM adscenderunt, erit in eadem altitudine, quam obtinebat ante motionis initium. Id clare ex inspectione figuræ apparet. Quoniam enim pondus M tantum supra lineam horizontalem BD elevatur, quantum L infra eam deprimitur, videlicet* $\frac{12}{17}$ *unius pedis, sequitur hinc in triangulis similibus MPQ, & LQR latera MQ & QL esse æqualia, hoc est medietatem lineæ ML, quæ duo pondera conjungit, esse in intersectione lineæ horizontalis.*

EXPERIMENTUM AD CIRCULATIONEM SANguinis pertinens, propositum Venetiis in Academia, cujus Dn. Sarroti Secretarius Venetus fundamenta jecit.

Excerptum ex Ephemerid. Gall. Mensis Martii anno 1684. n. VII.

HOc experimentum ope machinæ, quæ aeri e vase extrahendo servit, capitur; ejus in figura VIII. sola lamella superior AA designata est. Lamellæ applicatur magnum orificium vasis recipientis BB, quod superius parvam aperturam ostendit C, vesica porcina claudendam. Per hujus vesicæ medium transit tubulus DD, ita quidem ut altera ejus pars e vase recipiente emineat, altera arteriam emulgentem subintret renis alicujus, notati EE, & in vase BB inclusi. Ista arteria adeo arcte applicatur & alligatur tubulo DD, ut, cum recipiens B aere vacuum est, liquores tubo infusi potius renem E subeant, quam in vacuum recipientis delabantur. Itaque ad probandam circulationem sanguinis ratione sat evidenti, tubus FF, ope cæmenti, superiori parti vasis B conferruminandus, & postmodum aqua eousque

TAB. XL. Fig. VIII.

replendus est, ut minor tubus D ea tegatur. Tum vacuefacto ab aere vasculo B, aqua tubi F per tubulum D & arteriam emulgentem illabitur, & per renem circulatus ex vena GG prodit, ita quidem ut ejus nihil ex uretere destillet. Si autem contra immisso in venam emulgentem tubulo D, arteria ad vas recipiens propendeat, quantumvis aer omnis e recipiente extrahatur, ne guttula aquæ ex arteria emanabit. Id quod luculenter probare videtur, Naturam ita hæc disposuisse, ut sanguis ex arteriis in venas progrediatur, per eandem autem viam reverti nequeat. Quod si obturamentum cannabi cæmentove involutum superiori parti tubuli D ad exactiorem clausuram immittatur, & Ren inflatus in vacuo per unum alterumque diem relinquatur, particulæ aeris magis evolutæ & rarefactæ vascula illius separabunt, ut per apertum postea tubum D, ren magis inflari queat, hincque manifeste appareat, viscus illud nihil esse aliud quam glomum vasorum, quorum subtilitas carnis glandulosæ speciem ipsis conciliat.

PANTAGONUM SIVE NOVUM INSTRUMENTUM capiendi angulos accessibiles, inventum a Dn. Chapototio,

ex Ephemeridibus Gallicis mensis Aprilis anno 1684. n. XI.

INgeniarii quos vocant, angulos accessibiles vulgo instrumento capiunt, quod ipsi *Recipiangulum* appellant, constans e duabus regulis amplioribus, sibi invicem commissis, ubi clavum divisio semicirculi ambit, cujus gradus indice signantur.

Hoc instrumentum non est omni ex parte accuratum, siquidem gradus inibi non possunt nisi confuse notari in semicirculo, qui ad summum obtinet pollicem unum radii, hoc est dimidiam latitudinem regulæ, quæ latior esse nequit, propter incommoda, quibus angulos acutos externos capere prohiberet; Est enim hoc jam satis impeditum, cum regularum latitudo tantum duarum pollicum statuitur.

Dn. Chapototius, qui & instrumentis Mathematicis jam adinventis, quicquid ad opus bene perficiendum requiritur, addere, & quo-

quotidie nova efformare annititur, prout ex illis quæ hactenus publico dedit, apparet, huic defectui succurrere voluit, instrumento, quod semicirculum cujuscunque magnitudinis, qui possit non tantum in dimidios gradus, verum etiam in minuta dividi, capiat, & cujus regulæ arctissime jungantur, longissimæque sint, ita tamen, ut magnitudo semicirculi nullatenus angulos quoscunque capientem impediat, idque propter singularem motionem, quam ipsi tribuit. TAB. XI.

Credidit ille, non opus esse, ut Instrumentum suum angulis externis intra decem gradus accommodaret, quoniam hujusmodi angulorum nullus est usus. Satis visum ipsi fuit, ostendere, quomodo anguli multo minores capi possint, ac vulgaribus illis instrumentis capiuntur. Et quoniam verissime affirmari potest, instrumentum hoc esse prorsus novum, ideo nomen ipsi indere voluit, quo ab aliis cognitis distingueretur, videlicet *Pantagoni*, quasi dicat *Instrumentum pro quibusvis angulis*. Fig. X.

NOVUM SYSTEMA PHAENOMENORUM PLANEtarum, Autore Galletio, Præposito S. Symphor. Avenionensis.

Excerptum ex Ephemeridibus Eruditorum Gallicis, mensis Maji 1684. n. XIV.

Quæ per tubos vitreos Astronomorum oculis hoc seculo obvenerunt, Planetarum tot diversæ figuræ ac species, tantum ipsis hactenus exhibuerunt negotii, ut præter celeberrimum Hugenium pauci nominari possint, qui satisfacere vel solis observationibus Saturnianis tentaverint. Ejus tamen exemplo incitatus non ita pridem Dn. Galletius Ecclesiæ Avenionensis, quæ Sto Symphoriano dicata est, Præpositus, rem difficillimam inquirere suscepit, cumque Hugenii assertionem illam, qua annulum Saturni materialem ac verum esse credidit, fundamento parum tuto niti existimaret, ut aliorum planetarum, sic & Saturni phænomena a sola radiorum Solarium reflexione dependere pronunciavit. Quæ ipse de hac sua sententia ad Gallicarum Ephemeridum Autorem perscripsit, ea Latine hic exhibere visum fuit.

Optica

Digitized by Google

Optica, inquit, ſcientia docemur, omne corpus capax eſſe reflexionis, & quodvis corpus politum Solaribus radiis expoſitum duas ſpecies diſtinctas nobis remittere, alteram corporis ſui illuſtrati, quod per plurimas indefinitas reflexiones, quæ in ejus ſuperficie fiunt, undique viſibile evadit; alteram Solis, quam deprehendere non poſſumus, niſi quum viſus noſter lineam reflexionis tangit, directe exeuntem ab imagine Solari, quæ ſuper linea perpendiculari in plano objecti reflectentis formatur.

Prior ſpecies ab altera differt, quod ipſa quidem imminuatur juxta proportionem diſtantiæ & elongationis ab objecto, a quo emittitur per conum, cujus ipſum eſt baſis; hæc vero contraria ratione, quando ab extremitate aliqua convexa reflectitur, quo longius ab origine recedit, hoc major appareat per conum, cujus punctum in ſuperficie eſt. Id quod ex adjuncta figura evidenter liquet.

TAB. XI. Fig. XI. Sit NCO corpus Saturni viſum per conum NEO. Sit Sol AB. cujus radius AC reflectitur de C in B, radius vero BC de C in A. Evidens eſt, in quocunque puncto lineæ reflexionis BC oculus exiſtat, conſpici ab ipſo punctum lucidum A intra perpendicularem AI ad punctum G. Sed ex linea reflexionis CA detegit oculus punctum B in H, ac ſi imago Solaris AB directe ex GH prodiret. Reflectitur ergo Solis ſpecies per conum luminis, cujus ſummitas eſt in C. Vitell. L. 6. Theor. 9. 11.

Quod ſi iſtæ lineæ reflexionis vitro objectivo DF exceptæ fuerint, altera in D, altera in F; utraque ipſarum ibi refringetur, & linea CF exhibebit punctum Solis B ultra focum vitri in b, quaſi ex h prodiiſſet, linea vero CD oſtendet punctum A in a, quaſi directe ex g deſcendiſſet. Conus viſualis Saturni NEO ſpeciem ſuam defert ad e d, in medium ſpeciei Solaris a b, & ex receptione harum duarum ſpecierum in eodem plano oritur phænomenum annuli Saturnum ambientis. Vitell. L. 10. Theor. 12.

Eædem lineæ reflexionis, ſi propius, (ad diſtantiam Jovis) vitro objectivo excipiantur, in punctis K. I. uniuntur cum lineis Coni viſualis in l. m. Et ſic annulus Solaris æqualis eſt ſpeciei Jovis. Quoties vitrum adhuc propius recipiendis radiis reflexis admovetur, v. g. ad diſtantiam Martis & Veneris, usque in puncto N. O. tum ſpecies planetaria Cono viſuali terminata, major evadit ſpecie Solari, ut hæc in illius medio compareat.

Si cor-

Si corpus reflectens inæqualitates habeat, quæ a nobis sensu percipi possint, fiet ab ipsis mutatio quædam hujus annuli, & nos eas ita clare cognoscemus, ut tot omnino superficies distinctas totque imagines Solares deprehendamus, quot in speculo fracto aut in minuta frustula conciso apparere solent. Vitell. L. 5. Theor. 39. Et inde est, quod in Luna vastam punctorum lucentium multitudinem absque numero videmus, quæ tot sunt annuli sive species Solares, quot hic Planeta superficiebus distinguitur.

Observandum est, vitrum objectivum radios Solares refractos oblique recipiens, huic annulo formam Ellipticam tribuere magis minusque apertam, prout radiorum, a quibus fit, major minorve declinatio est ad planum Æquatoris Planetarii.

Experimentum, quod ope vitri cujusdam objectivi, 25 pedum circiter institui, invincibilis est (ut credo,) demonstratio veritatis novi mei Systematis. Excipio vitro dicto radios Solares, eosque reflecti facio oblique in planum oppositum ultra foci distantiam. Hæc reflexio in justa elongatione exactam Saturni figuram producit. Quod si idem planum propius adducitur, donec exterior annulus alteri imagini æqualis fiat, tum reflexio figuram Jovis exhibet. Si adhuc propius assumitur, figura Martis sistitur; & si oculus in linea reflexionis existat cum vitro colorato, per cujus medium quis splendorem radiorum sustinere possit, eædem penitus figuræ conspiciuntur, quæ in plano opposito apparent.

SYSTEMA PHÆNOMENORUM SATURNI, AUTORE Galletio, Præposito Avenionensi ad Ecclesiam S. Symphoriani.

Excerptum ex Ephemeridibus Eruditorum Gallicis mensis Junii 1684. n. XVII.

POstquam de omnium Planetarum figuris generatim Galletius dixit, ad singulorum phænomena explicanda nunc progreditur. Agit autem, quam potest, brevissime, uberiorem disquisitionem cum evidenti suppositionum quarundam declaratione in opere mox edendo pollicitus. Exordium a planetarum remotissimo ducens, ita scribit:

Observationes quibus anno 1612 Galileo, 1642 Gassendo, 1656.

P. Grimaldo Jesuitæ, Hugenio, Hevelio, Bullialdo, & anno 1671 Dn. Cassino, Saturnus absque annulo apparuit, æquinoctiorum ejus loca determinant; Borealis videlicet in 20°.30′ Virginis, Australis vero in Piscibus. Sed quæ anno 1647 PP. Ricciolo & Grimaldo, anno 1664 mense Aprili Dn. Campano, annulum latissimum exhibuerunt, locum Solstitiorum designant in vigesimo gradu & dimidio Geminorum ac Sagittarii, cum amplissima radiorum Solarium declinatione 23° & 30′ ab Æquatore planetario.

Declinatio horum radiorum in Signis Australibus borealis est, & australis cum Saturnus in borealibus versatur, initium numerandi faciendo ab Æquinoctio proximo. Quando borealis est, annulus corpus Saturni tegere versus extremitatem australem videtur; sed quando australis, borealem versus, ubi ejus umbra deprehenditur. Declinationem istam eadem via, qua declinationem Solis invenies, resolvendo triangulum rectangulum, cujus duo anguli cogniti sunt, cum basi, quæ est distantia ab Æquinoctio proximo. Poteris tabulis declinationum Solarium in hoc negotio uti, excerpendo inde distantiam Saturni ab Æquinoctio, ac si Solis distantia ab Æquinoctio suo capienda esset.

Ratio inter diametrum Saturni & diametrum annuli est subdupla subsesquialtera, h. e. qualis inter 2 & 5, sed cum diameter umbræ isti additur, ratio eadem est, quæ inter 2 & 3, si tubo, cujus longitudo 20 aut 25 pedum sit, utaris.

Nonnunquam corpus Saturni non exacte annuli medium obtinere visum fuit, id quod semper accidit, quoties planeta quadrato adspectui cum Sole proximus est, quoniam tunc parallaxis orbis sensu percipi potest. Hinc evenit, ut quum Planeta orientalis est, centrum ejus extremitati orientali annuli propius videatur, & major pars ob occidentali latere sit, cum ampliori obscuritate; nam visus partem axi coni viciniorem detegit, quæ radiorum reflexione illustrata non est.

Est & latitudo alicujus levis variationis causa. Efficit enim, ut Planeta elatior centro annuli videatur, quoties borealis est, & depressior, quoties australis. Ut hæc contemplatio ad praxin reducatur, & figura Saturni ejusque annuli, qualis vel apparuit, vel posthac apparebit, delineetur; describe ex eodem centro tres circulos, ita ut diameter maximi sit quinque, medii trium, minimi duarum partium.

Duc

Duc diametrum AB, & ejus axem DE. Ex puncto A accipe utrinque declinationem radiorum in H & I, quam nos in hoc exemplo supponemus meridionalem septem graduum, qualis mense Majo anni 83 observata fuit. Ab utroque puncto HI duc parallelas Æquatori AB, quæ in axe ad FG designabunt diametrum transversam ellipseos, per hanc diametrum & illam alteram majorem AB describendæ. Idem fac in circulo medio ad designandam Ellipsin interiorem annuli, quæ partem coni obscuram continet, & habebis exacte figuram Saturni, quem circulus minimus repræsentat. Certum est, quod, quum occidentalis quadratoque proximus erit, occidentali extremitati annuli propior videbitur, cum umbra a parte orientali. TAB. XI. Fig. VII.

Ut ne quid in descriptione hujus phænomeni desideretur, duc ex A in L lineam rectam, quæ repræsentet orbitam, quando declinatio radiorum borealis est, vel de K in I, quando est australis. In hac linea sinum graduum parallaxeos orbis accipe ex C versus K, quoniam Saturnus occidentalis est; (Si orientalis foret, oporteret illum accipere ex C in I) supponendo semidiametrum Saturni esse sinum totum. Ab hoc sinu duc perpendicularem ad orbitam, & in ea accipe sinum latitudinis superius, quando ipsa septentrionalis est, vel inferius, quando est in meridiem. Illud punctum erit centrum apparens Saturni. Veruntamen tanta cura in hoc planeta non videtur opus esse, & possumus sane ea absque errore notabili supersedere.

Tandem, ut labore ducendi figuras subleveris, sex hic exhibeo, quarum prima Æquinoctiorum est, sexta Solstitiorum, reliquæ pro declinationibus erunt in quinque gradus variantibus. Supposui declinationes esse australes. Ut boreales habeantur, solum invertenda erit figura. Propono etiam tabulam generalem figurarum, ubi supponuntur loca Saturni in suo Eccentrico, h.e. visi e Sole vel e Terra tempore oppositionis, ne ad variationem parallaxeos orbis respicere cogamur. TAB. XI. Fig. I. II. III. IV. V. VI.

Digitized by Google

Tabula generalis Apparentiarum Saturni.

Loca Eccentrica Saturni.		Declinationes radiorum.			Phænomena Saturni.
Signa.	G. M.	Signa.	G.	M.	
♓	20. 30.	♍	0.	0.	I.
♈ ♍	3. 8. 7. 52.	♎ ♓	5.	0.	II.
♈ ♌	16.[illegible]. 24.41.	♎ ♒	10	0.	III.
♉ ♌	0. 59. 20. 1.	♍ ♒	15.	0.	IV.
♉ ♋	19.34. 21. 26.	♍ ♑	20.	0	V.
♊	20.30.	♐	23.	30.	VI.

ANATOME MYTULI, BELGICE MOSSEL, STRUcturam elegantem ejusque motum mirandum exponens. Nec non Centuria Obſervationum Medicarum. Autore Antonio de Heide.

Amſtelodami apud Janſſonio - Waesbergios. 1683. in 8.

CUm accuratior inſectorum perſcrutatio Anatomica, multum ſæpius lucis perfectiorum ſic dictorum Animalium ſtructuræ, hoc quo degimus ſeculo, attuliſſe ab Autore animadverteretur, aliorum incitatus exemplo, propriam eidem operæ manum ſubciſivis horis admovere occepit. Nec conamen hoc ejus felici caruiſſe ſucceſſu præſens de Mytulo, quem Autor inter inſecta refert, ſatis evincit Anatome, utpote in qua non niſi illa, quæ ſuis uſurpavit oculis, recenſet, ſive teſtas ſpectemus, ſive corpus molle ſeu piſcem ipſum teſtis incluſum. Teſtarum ſiquidem poſtquam expoſuit conformationem, ipſius piſcis partes ordine evolvit, & in motum radioſum, quo illarum plurimæ gaudent, inquirit. Partes inter primo limbum, a quo totum fere piſcis corpus circumdatur, quoad ſtructuram, motū ac ſubſtantiam conſiderat.

conſiderat. Deinde portionem quandam, pinguedinis inſtar cuidam limbi aggeri adhærentem vel continuatam, examinat; obſervando de hac, quod teſtæ utriusque cavam ſuperficiem non tantum inſtar duorum ſtragulorum obtegat, ſed & interius in protuberantiam quandam, quam criſtam ſalutat, deſinat heparque & alias partes ambiat. Hinc elegantem cirrorum ſtructuram, pectinatorum æque ſeu lateralium ac penniformium, qui branchiis aliorum piſcium forſan analogi, exarare inſtituit, hacque occaſione, quod cirri accuratius luſtrati congeries fibrarum appareant, (quemadmodum earum quingentas minimum in unico cirro pectinato, & 150 in unico penniformi numerare potuit,) fibram quamvis ex tubulis vel ſacculis mire ramificatis conſtare ſuſpicatur. Tum ad linguam, cujus figura pro diverſitate motus variatur, progreditur, quam dempta membrana fuſca, quæ eleganti tubulorum, forſan ſudatoriorum, reti condecorata, e duplici ſubſtantia, carne videlicet muſculoſa & pulpa, conflari annotat, in concurſu præterea utriusque, vel potius in ipſa pulpa, tres patefaciendo ductus, cum vaſis criſtam & hepatis ac pinguedinis ſuperficiem perreptantibus communicantes. Ad baſin linguæ quatuor muſculorum depingit paria, quorum tria extuberantiæ cuidam inſerantur, inſtructæ ſtamine comato, mediante quo & filis ex eo miſſis Mytulos vicinis Mytulis aliisque corporibus ſolidis connecti, curioſo ſuffultus experimento adſtruit. A lingua pergit ad ventriculum & inteſtina. Ventriculum membranoſum, ductibusque forſan innumeris hepati continuum, pronunciat, in quo ſtyli, ob diaphaneitatem Cryſtallini dicti & in ductu inteſtinali latentis, protuberans vidit capitulum. Inteſtinorum autem extremum a duobus velaminibus triangularibus tegi obſervat, quorum alterum cavitatem inteſtini arctet ibidemque contenta exprimat, nec non inhibeat, ne excrementa Mytulo invito elabantur; alterum vero inſtar ſepimenti cogat excrementa per podicem egredi, ne in Mytuli deſcendant cavitatem. Porro hepatis ſubſtantiam, ex lobulis majoribus, qui in minores oblongos cohærentes fere inſtar uvarum racemi, ſubdividantur, coagmentari ait: ultimum demum locum inter partes concedens duobus muſculis, plano utriusque teſtæ concavo ſeu interiori perpendicularibus, quorum alterum ratione figuræ cylindricum, alterum appellat planum, & figuræ cylindricæ intuitu, patere hinc ad eſſentiam muſculorum haud requiri,

quiri, ut repræſentent parallelepipeda, exiſtimat. Atque his de Mytuli partibus delibatis, motum radioſum ſeu tremulum a nullo hactenus obſervatum, in plerisque tamen (præterquam in pinguedine & muſculis) partibus, potiſſimum in cirris, vegetum ſatis, explicat, denominationis illius rationem ex eo, quod inſtar radiorum e toto cirri ambitu procedat, præſupponendo, ipſiusque maxime conſpicua non ſolum phænomena, ſed cauſam quoque rimando, vero non abſimile judicans, cirrorum aliarumque partium motu hoc gaudentium fibras inſtructas eſſe tubulis vel poris aquam ambientem admittentibus, qua eos ſubeunte expellantur particulæ minus graves, & ſic excitetur motus radioſus, eodem modo, ac igneæ particulæ e pruna aquæ immerſa extrudantur. Cæterum quæ de Mytulorum generatione, item de pectinum ſtructura, adhuc addere primum Autori fuit animus, in aliam differt occaſionem.

Obſervationes centum annexæ, (quarum quædam jamdum ab Autore *Novo Pharmacopœorum Lumini*, menſe Novembri ſuperioris anni a nobis expoſito, adjectæ) quemadmodum triplex potiſſimum reſpicere videntur objectum, Praxin nempe vel Medicam, vel Anatomicam, vel Chymicam, ita triplicis pariter commode generis ſalutari poſſunt. Sic Practicis annumerandæ veniunt obſervationibus: Deglutitio difficilis purgantibus facile curata; Aphtæ pertinaces vino fugatæ; Hiſtoriæ aliquot Arthritidem ſpectantes; Medicamina quædam cum bono ſucceſſu contra Eryſipelata uſurpata, ubi experimento ſe didiciſſe contra vulgarem ſententiam refert, nullo medicamento citius commodiusque fugari Eryſipelata, quam unguento quodam valde oleoſo & pingui: Calculus excretus poſt decoctum Biſmalvæ, aliæque plures. Anatomicarum vero titulum merentur, quod Temporalis muſculus in cane inciſus & pertuſa aſpera arteria gravia ſymptomata non excitarit; Meatus Urinarius indebito loco perforatus; Oviforme quid utero excretum; Anatome murium, qui Arſenicum comederunt, in qua hoc notatu dignum occurrit, quod dum mortui diſſecarentur, ex eorum vaſis nihil effluxerit ſanguinis; it. Felis Catulus in loco anguſto accenſi ſulphuris fumo interemptus & diſſectus. Chymiam demum ſpectant diverſæ concretorum menſtruis diverſis factæ ſolutiones, maximam partem microſcopio luſtratæ, v. g. ſolutio camphoræ, oculorum cancrorum, corallii rubri, margaritarum, lapidis bezoar &c. it. Experimenta ad Boracis indolem detegendam inſtituta.

APHO-

Digitized by Google

APHORISMI NOVI EX HIPPOCRATIS OPERIBUS nunc primum collecti, & in suas quique classes digesti, notisque illustrati studio JACOBI SPONII.

Lugduni apud Anissonios. 1684. in 12.

QUemadmodum Hippocratis summa semper apud Medicorum filios fuit auctoritas: ita inter opera, quæ posteritati reliquit, *Aphorismi* maxime, aurei sane illi, rotundi, & ab omnibus Medicæ artis cultoribus memoriæ merito imprimendi, solent commendari. Cum vero illos fere omnes ad Prognosin tantum ac Semeioticen pertinere; permulta vero axiomata ad Physiologiam, Pathologiam, Diæteticam, & Therapeuticam spectantia, passim per alios Hippocratis libros sparsa deprehendisset sæpius jam laudatus nobis *Sponius*, haberetque persuasum, optime consultum studiosæ rerum Medicarum juventuti fore, si & illa unum in volumen collecta, commodumque in ordinem redacta publicarentur: id sibi laboris ipse, instigante inprimis celeberrimo viro *Ægidio Menagio*, snmpsit, novosque hos Aphorismos ex Hippocratis scriptis depromptos, brevique a se commentario illustratos publici juris fecit. Distributum vero in partes quinque, Physiologicam, Pathologicam, Semeioticam, Diæteticam, & Therapeuticam, hoc Opus est, doctrinam Hippocraticam velut in nuce exhibens; ut qui cum veteribus novos hoc Aphorismos librumque Prognosticorum apprime calluerit, is totam fere Hippocratis doctrinam possidere Auctori censeatur. Præmissa libello præfatio est, qua Scripta quamplurima, quæ *Mercurialis* Hippocrati falso adscribi censuerat, eidem vindicantur; cumque multi magno id studio agant, ut quæ pro novis in arte Medica inventis a plerisque venditantur, Hippocratem minime latuisse evincant, eorum quoque instituto insistit *Sponius*. Ita enim in hoc ipso libello, *lactis ex chylo generationem, fœtus per os nutritionem, circulationem, venas lacteas, cerebri glandulas, cor musculum*, in Physiologica: *febrium ex acido & amaro, non autem ex solo calore causam, vasa pinguifera, hydropes ex hydatidibus, angina ex sanguine coagulato generationem*, in Pathologica: *Scorbutum, & Rachitidem* in Semeiotica: *Febrifuga, potiones vulnerarias*, aliaque id genus in Therapeutica

peutica ſectione, ex ipſo Hippocrate ſe eruiſſe & commonſtraſſe profitetur.

OECUMENICI TRIDENTINI CONCILII VERITAS inextincta ne apice quidem læſa ex præſumptuoſa Johannis Henrici Heideggeri Anatome Hiſtorico-Theologica, autore Auguſtino exemti monaſterii Einſidlenſis Ord. S.Bened. Abbate &c. Tomi V.

Typis Monaſterii Einſidlenſis per Joſephum Reymann Anno 1684. in fol.

TAntæ molis erat Anatomen hiſtorico-theologicam concilii Tridentini a *Johanne Henrico Heideggero* ſcriptam confutare. Autor operis *Auguſtinus* eſt *Redingius*, qui etiam diſſertationes controverſiſticas, ut vocat, & alia nonnulla ingenii ſui monumenta in publicum emiſit. Impulſorem habuit *Odoardum Cibo*, Clementis X. ad Helvetios nuncium. Tomus primus ad ſeſſionem uſque ſeptimam progreditur, ſecundus a ſeptima exorſus in decima quarta, tertius in vigeſima ſecunda finit, quartus circa vigeſimam tertiam & quartam, quintus circa reliquas occupatur. Singuli tractatus in ſectiones hiſtoriales & theologales, ſi Autoris verbis uti licet, digeruntur. Quantum ad hiſtoriam ſpectat, cum Heideggerus *Petri Svavis* ductum in pleriſque ſecutus fuerit, apud Auguſtinum *Pallavicinus* utramque facit paginam. In quæſtionibus Theologicis Heideggeri ordinem & methodum antagoniſta retinuit. In limine tomi tertii præfationis loco occurrunt reflexiones & concluſiones ad quatuor articulos *Cleri Gallicani* ante biennium promulgatos, quos non usque adeo exorbitare judicat, ut ad Pontificiæ autoritatis centrum eorum ſenſus ſe non reduci patiatur, quamvis ſe malle profiteatur, ut prædictus Clerus ab iſta declaratione abſtinuiſſet. Tomo IV præmittitur diſſertatio, in qua immaculatam Deiparæ Virginis conceptionem ex Geneſ. cap. III. demonſtrare conatur. Nec ultimo tomo antepagmenta ſua deſunt. Ea vero Autor monaſterii ſui Einſidlenſis, cujus Abbas eſt, ſanctuario conſecravit. Id enim a Chriſto cœlitus deſcendente, quem caſula violacea indutum officium miſſæ celebraſſe cum Conrado Conſtantienſi ſomniat, præſentibus Angelis, Evangeliſtis & aliis Cœlitibus, & Deipa-

Deipara ante altare ſtante, ſolenni ritu dedicatum fingit. Quam panegyrin dum ſtylo ſibi conſueto delineat,& conquiſitis undique ſubtilitatibus exornat, quilibet, qui vel ſolam hanc præfationem legere velit, quid de vaſto hoc opere promittere ſibi debeat, non difficulter judicabit.

D. ABRAHAMI CALOVII APODIXIS ARTICULOrum fidei, e ſolis S. Scripturæ locis credenda demonſtrans.

Luneburgi apud Joh. Kelpium. 1684. in 4.

TAmetſi Theologia noſtra non eſt e ſcientiis humanis, quarum propria eſt ἀπόδειξις, ea nimirum, quæ traditur a Philoſopho in Libb. poſter. Analyticorum; peculiarem tamen longeque ſublimiorem ac ſolidiorem poſſidet demonſtrandi vim ex unico illo ſibique proprio & univerſali principio: Αὐτὸς ἔφα, Ipſe (Deus) dixit. Ex hoc enim naſcitur fides divina, omni ſcientiæ, quanquam certiſſimæ, non tam æquiparanda, quam longiſſime præferenda. Hinc titulum Ἀποδείξεως jure meritoque tribuit libro huic ſuo Autor celeberrimus, quippe quod in eo e ſolis Spiritus S. teſtimoniis veritatem Religionis noſtræ clare deducat firmiterque probet. Præſtat id eleganti ordine per ſingulos Articulos, ſententiamque noſtram nervoſe ac perſpicue redigit primum in theſes, easque in diſtinctis paragraphis proponit, mox probationem e ſolis S. Scripturæ locis ſubjicit, & ex eorum contextu, antecedentibus, conſequentibus & parallelis, ſecundum fontes, Ebræos & Græcos, credenda demonſtrat, adeo ut Liber hic (quod in Titulo promittitur,) ideæ inſtar, omnes theſes controverſas e S. literis firmiter decidendi, & veritatem fidei ſolide confirmandi, omnino eſſe poſſit.

COMMENTARII HISTORICI DUO HACTENUS INediti: alter de Regibus vetuſtis Norwagicis, alter de Profectione Danorum in terram S. nunc primum editi a Bernhardo Caſparo Kirchmanno J. U. D.

Amſtelodami apud Janſonium Waesbergium, 1684. in 8.

COmmentarios, quos *Autor* hic exhibet, hiſtoricos, in bibliotheca Lubecenſi inventos, jã ante quinquaginta annos *Johannes Kirchmannus*, vir ob merita in rem literariam celebris, in lucem publicam emittere paraverat; ſed aliis ſubinde laboribus occupatus diſtulit, tandemque morte præventus, occaſionem de re hiſtorica bene merendi *nepoti* ſuo, viro clariſſimo, reliquit. *Primus* continet hiſtoriam Regum vetuſtorum Norvagienſium, a quodam monacho Theodorico, Kranzio longe antiquiore, ante quingentos annos conſcriptam & Auguſtino Nidroſienſium Archiepiſcopo inſcriptam: *Alter*, qui de profectione Danorum in terram ſanctam temporibus Canuti, Woldemari Regis filii, circa annum M. CLXXXV. ſuſcepta agit, autoris nomen non habet adſcriptum. In utroque multa inveniuntur, quæ ad illuſtrandas Daniæ Norwagiæque antiquitates faciunt. Notas in margine adſcriptas *Cl. editor* ex avi ſui ſchedis collegit, & ut obſcura quædam loca illuſtrarentur, recte adjecit. Styli barbariem ac parachroniſmos, quos in his libris deprehendimus, ruditas illius ævi excuſare poteſt. *Primus* XXXIV capita complectitur, quorum I. agit de Heraldo pulcre comato: XII. de Islandia fidem Chriſti, miniſterio Olaui recipiente: XVII. de natura Charybdis, & Longobardis & Hunnis: XX. de diverſitate ſupputationis annorum ab initio mundi: XXIII. de pacto inter Carolum M. & fratrem ſuum. In *Secundi* libri cap. XXIV. & XXV, exponitur, ut Dani cum magna miſeria in terram ſanctam venerint, ac loca ſancta luſtrare properaverint. Quo facto, alii per Romam, alii (ut autor habet) per Conſtantinopolim in patriam reverſi ſunt.

ELOGII DI CAPITANI ILLUSTRI SCRITTI DA Lorenzo Craſſo Napoletano, Barone di Pianura.

hoc eſt,

Illuſtrium Belli Ducum Elogia ſcripta a Laurentio Craſſo Neapolitano, Barone de Pianura.

Venetiis apud Combium & La Nou, 1683. in 4.

Lauren-

Digitized by Google

L*Aurentius Craſſus* debita virtuti bellicæ quorundam Heroum monumenta excitaturus, ſimulque aliis exempla propoſiturus, quæ imitentur, eorum tantummodo vitas ſcribere ſuſcepit, qui intra præſentis ſeculi decurſum illuſtribus factis inclaruerunt. Eo vero ordine progreditur, ut præmiſſa ſingulorum icone, ac facto a natalibus cujusque ac primorum annorum educatione principio, res geſtas juxta ſeriem annorum complectatur, nec virtutes ſolas magnorum hominum, ſed & vitia commemoret, ac poſtremo corporis habitum & lineamenta ſubinde deſignet, ſubjectis ſeu ligato ſermone, ſeu proſa, ſed Inſcriptionis in modum adornata, elogiis. Europæis gentibus non ita inhæret, quin & aliarum orbis partium heroes nominet. Nec unius fidei ſocios, ſed cujuscunque religionis alumnos & conditionis viros, modo fortitudinis laudem ſibi comparaverint, deſcribit; ut mirum videri nemini debeat, inter illuſtres Capitaneos, Eccleſiæ etiam Romanæ Cardinales, Ferdinandum Auſtriacum, Richelium, & Mazarinum, nec non Chriſtophorum Bernhardum a Galen, Monaſterienſem quondam Epiſcopum, hic comparere. Quoties tamen Lutheranorum Principum mentionem facit, zelum ſuæ fidei vix diſſimulat, pronuncians, illos falſæ religionis macula præclaras actiones contaminaſſe. Quum vero uno volumine omnes, qui ſtrenuorum militum nomen mereantur, complecti ſe haud poſſe intelligeret, quosdam etiam præter mentem, ut accidit, omiſſos ſuſpicaretur, alium tomum Elogiorum ſe ſcripturum ac laborem inchoatum perfecturum promittit.

REFLEXIONS SUR LES ROMANS, PAR MADAME S. E. P.

id eſt,

Conſideratio Fabularum Romanenſium, facta per Dominam S. E. P.

Ratisbonæ, 1684. in 12.

FIctæ hiſtoriæ amatoriæ heroicis permixtæ, ad voluptatem & utilitatem legentium compoſitæ, *Fabularum Romanenſium* nomine jampridem venerunt, avidoque ſtudio a fœminis juxta ac maribus,

Digitized by Google

præſertim Juvenibus, ſunt arreptæ & in pretio habitæ. Origo earum antiqua & ex ipſo Oriente accerſenda: artem autem hanc rudem & incultam inde acceptam, Græci qui plerasque doctrinas & artes perfecerunt, excoluere, certisque epopœiæ legibus adſtrinxere: quod ex Heliodori, Achillis Tatii, Theodori Prodromi, Euſtathii & Longi monumentis, quæ ſuperſunt, conſtat. Ad horum rationem Itali, Hiſpani, & cumprimis Galli complures libros, diverſo ſucceſſu, compoſuerunt: priſcis quidem temporibus ſimplices & omni cultu deſtitutos, hoc vero ſeculo adeo elegantes & rerum varietate ac artificio inſignes, ut feſtivitate ſua multos ab aliarum rerum cogitatione abſtrahant. Sed cum inter hos etiam recentiores fabuloſos Romanenſes libros inſignis deprehendatur varietas, nec omnes eodem cenſendi ſint loco, in ipſis etiam libris quædam laudem, nonnulla notam mereantur, obſervationes quasdam circa hoc genus ſcripta confecit & marito dicatas evulgavit elegantiſſimi ingenii fœmina, doctiſſimi Senatoris Ratisbonenſis *Jo. Ludovici Praſchii* conjux. In quibus reprehendit nimiam hujusmodi librorum copiam, & juſto majus quod iſtis impenditur ſtudium: notat item in multis pro veriſimilibus monſtroſa & impoſſibilia eſſe conficta, confuſas quoque cum vera hiſtoria fictas fabellas, nec ſervatum juſtum ordinem juſtamve magnitudinem ac proportionem, aut cuilibet perſonæ convenientem tributam dignitatem, quod τὸ πρέπον appellant; cumprimis vero indignatur, plerorumque hujusmodi libellorum argumenta ludicra eſſe & in re nihili verſari, quosdam etiam loco virtutis vitiorum ſemina in animos legentium ſerere, impiisque & laſcivis fabulis his ad libidinem homines impelli & mores corrumpi. Laudat autem, & innocentes imo utiles cumprimis eſſe ait Heliodori, Tatii, & Euſtathii in hoc genere ſuperſtites libros, quibus Barclaji Argenidem & Eromenam Biondi ac forte paucos quosdam alios jungendos exiſtimat.

APPARATUS AD HISTORIAM NATURALEM SANguinis Humani, ac Spiritus præcipue ejusdem liquoris, autore Roberto Boylio Nobili Anglo, Regiæ Societatis Socio. Ex Anglico ſermone in Latinum translatus a

D. A. M. D.

Londini apud Sam. Smith. 1684. in 8.

Dubium

DUbium cum eſſet ingenioſiſſimo Autori, annon Medicorum multi, multa qui de ſanguine hucusque ſcripſerunt, felicius ipſius laudes celebraſſent, quam ejusdem nobis naturam detexiſſent; quoniam aſſerta ipſorum hoc in negotio obſervationibus magis niterentur, quam experimentis: incommodo huic obviam ire illumque defectum ſupplere tractatu præſenti allaboravit, ita tamen, ut in Præfatione ſtatim præmoneat, ſe non una de ſanguine formando, neque de ægroto, ſed de formato tantum ſimulque e venis extravaſato, nec non de eo, qui e ſanis ſolum corporibus eductus eſt, omnem hic inſtituere disquiſitionem. E quatuor vero partibus & appendice totum contexuit ſcriptum. In prima, præmiſſis locis quibusdam ex tractatu nondum in lucem edito, vel epiſtola potius ad Oldenburgium Regiæ quondam Societati a ſecretis, de methodo naturalis hiſtoriæ conſcribendæ conſcripta, titulos primarios, ad naturalem humani ſanguinis e ſanorum venis emiſſi hiſtoriam facientes, ſaltem recenſet, recenſitosque parallelis titulis, ad naturalem urinæ ab hominibus ſanis redditæ hiſtoriam ſpectantibus, illuſtrat. Hinc in ſecunda titulorum enarratorum nonnullos evidentibus dilucidat Experimentis, v. g. circa ſanguinis humani calorem, inflammabilitatem, gravitatem, circa ſal ejusdem volatile, oleum geminum, item ſal ejus fixum ad ſalis marini naturam proxime accedens &c. quo minus enim in omnes omnino Catalogi de ſanguine humano titulos talia exhibuerit tentamina, in cauſa fuiſſe ſchedularum quarundam, varia quæ Experimenta ad ſanguinem pertinentia continuerint, perhibet jacturam. Aſt cum ſanguis extra corpus humanum ſponte ſua in duas ſecedat portiones, ſeroſam aliam, aliam conſiſtentem ſeu grumoſam, & perſæpe contingat, ut harum prior poſteriorem quantitate vel æquet, vel excedat, haud inutile futurum ad ſanguinis humani naturam melius detegendam ſuſpicatur, ſi experimenta circa ſerum ipſum promiſcue a ſe facta in parte tertia referret. Quorum alia circa diverſam ſeroſæ fibroſæque ſeu conſiſtentis partis ſanguinis humani quantitatem indagandam, & definiendam ſeri gravitatem verſantur; alia vero agunt de utriusque portionis commixtione intima, de phænomenis variis, quæ poſt ſeri miſcelam cum concretis variis, v. g. ſpiritibus acidis, ſpiritu ſalis ammoniaci, oleo tartari per deliquium, Spiritu Vini, Mercurio ſublimato, cupro &c. obſervata fuerunt, item de putrefactione ſeu

Digitized by Google

ſeu de deſtillatione ejus tam per ſe, quam cum addito, e. g. calce viva, ſale fixo cinerum clavellat. &c. In quarta demum parte circa unum aliquem ex titulis primariis, de ſpiritu videlicet ſanguinis humani, totus eſt occupatus, quem ſpeciminis loco, qua ratione reliqui tituli primarii pariter illuſtrari poſſint, in varios ſubordinatos & ſecundarios titulos diſtribuit, additis in hos ſingulos experimentis, cum ſpiritu e ſanguine humano ſano abſque ullo additamento deſtillato a ſe inſtitutis, v. g. Utrum ſanguis fermentatione vel putrefactione ita diſponi poſſit, ut in deſtillatione primo ſtatim aſcendat ſpiritus vel vinoſus, vel urinoſus? num ſpiritus ſanguinis reipſa aliud quid ſit, quam ſal volatile & phlegma invicem commixta? Ad quod ſalium genus ſpiritus ſanguinis humani referri mereatur? An diſcrimen aliquod ſit inter ſpiritum ſanguinis alioſque ſpiritus urinoſos? id quod non improbabile eſſe judicat, & quæ alia ſunt, quæ quantitatem æque reſpiciunt ac qualitatem ſpiritus ſanguinis humani multiplicem, e.g. vim ejus diſſolutivam, quam in crocum, curcumam, ſanguinem ipſum, chalybem &c. exſerit, item vires ejus Medicas, quas tam externas, in paroxyſmis hyſtericis, apoplecticis, in doloribus capitis &c. quam internas, v. g. in phthiſi, poſſidet: quæ inter methodum quoque gravem ſpiritus ſanguinis humani odorem tollendi, aromatiſando ſcilicet eum, reperire licet. Appendix vero, quam partibus modo memoratis more conſueto ſubnexuit, varia complectitur particularia, partim experimenta quædam ex prioribus magis confirmantia, partim etiam plane nova, v. g. ea, quæ diverſam ſanguinis humani mutationem ab aceto, ſucco limonum, citri, aere, ſpiritibus urinoſis, ſalibus fixis, & recenti cochleariæ ſucco introductam patefaciunt, item quantum ſalis volatilis in phlegmate vel aqua diſſolvi poſſit; inprimis, quæ differentiam notabilem concernunt, quam ſpiritum ſanguinis humani cum calce viva deſtillatum ac vulgarem intercedere, accuratiſſimus Autor annotavit, in hoc præter alia conſiſtentem, quod prior nullam, ſicut poſterior, cum acidis, v. g. ſpiritu ſalis, oleo vitrioli, gignat efferveſcentiam &c.

D. ALPHONSI OLEA ADDITIONES AD TRACTATUM ſuum de Ceſſione Jurium & Actionum.

Genevæ 1683. in fol.

D. Al-

D. Alphonſus de Olea JCtus Hiſpanus, Anteceſſor in Academia Pinciana & hodie in ſupremo Caſtellæ Senatu Conſiliarius, jam ante triginta & aliquot annos Tractatum abſolutiſſimum de Ceſſione Jurium & Actionum publici juris fecit, Theoricis & Practicis, ut non ſolum inſcriptio libri fert, ſed etiam res ipſa docet, utiliſſimum. Ita enim illam materiam copioſe & nervoſe expoſuit, ut nihil ferme quod ad eam pertinet, vel in Theoria vel in Praxi occurrens, reliquerit intactum & inexcuſſum. Proinde & Liber iſte talem applauſum meruit, ut variis in locis iterum atque iterum ederetur. Et jam anno 1681 editio ſeptima prodierat Genevæ, ab Auctore Additionibus aliquibus ipſi textui inſertis locupletata. Additiones autem, de quibus in præſenti, ad dictum Tractatum plane novæ ſunt, ab ipſo itidem Auctore adornatæ, verum ſeparatim editæ, ubi 47 Reſolutiones haud vulgares, tum legum, tum aliarum quæſtionum, de quibus controverti ſolet, vel in hac ipſa materia, vel occaſione ejus, continentur, veluti de debitore, an poſt formatum concurſum alibi, quam apud Judicem concurſus agere aut conveniri poſſit: de lege prohibente, ne bona immobilia in Eccleſias vel monaſteria transferantur: de nullitate matrimonii ex defectu conſenſus, ſi in crimine adulterii opponatur, an cauſa indiſtincte prius ad Judicem Eccleſiaſticum remittenda: de renunciatione Regni & Majoratus; an maritis Duciſſarum & Comitiſſarum poſt mortem illarum; item an viduis Ducum & Comitum, ſi viris inferioris conditionis nupſerint, priſtinus honor debeatur: de pecunia data debitori, ut ea dimittat creditorem ſuum, ſi ante moram accipientis pereat vel imminuta ſit, cujus ſit periculum, an dantis an vero accipientis: de mandato ad lites, quod per Judicem declaratum ut ſufficiens, an rurſus de ejus inſufficientia poſſit diſputari: ſolutione facta falſo procuratori an debitor liberetur, maxime ſi paratus ſit actiones ſuas contra falſum procuratorem cedere: Nobiles debitores quando poſſint carcerari ad inſtantiam creditorum ſuorum: compenſatio debiti & crediti quando ipſo jure fiat in præjudicium anterioris creditoris &c. &c. Præter has Reſolutiones & alia nonnulla auctaria ſunt inſperſa. Quemadmodum vero jam ante, ita & in his ſuis Reſolutionibus Auctori negotium fuit cum Franciſco Salgado, JCto itidem Hiſpano, ob librum, cui titulum hic fecit, *Labyrinthus Creditorum*, maxime famoſum, cum Salgado in hoc ipſo Libro in multis ab Auctore noſtro diſſi-

diffideret. Et valde jucundum est, controversa inter hos duos excellentissimos & acutissimos JCtos legere, quibus argumentis suas quisque opiniones defenderit, & contra adversarii sententiam convellere conatus fuerit.

NOUVEAUX DIALOGUES DES MORTS ANCIENS.
Seconde partie.
id est,

Novi mortuorum dialogi. Pars secunda.
Parisiis 1683. & Coloniæ 1684. in 12.

Lucianum imitatus, mortuorum dialogos, in Actis nostris annô superiori mense Septemb. p. 381. memoratos, scripserat auctor venustissimus: quibus veterum & modernorum colloquia miscens, vanitatem rerum humanarum festive & erudite exposuerat, petitis ex historia veteri ac recentiore disserendi argumentis. Hanc rationem insistere, & cœptam telam pertexere idem auctor parte hac secunda instituit, pridem mortuorum inter se; eorundemque cum vita nuper defunctis; ac tandem istorum, quorum recentior adhuc superest memoria, mutua colloquia narrans. Sed de his quidem Dialogis uberius disserendi occasio nobis fortassis præbebitur, cum ad nos pervenerit libellus in Gallia non ita pridem hoc titulo editus: *Jugement de Pluton sur les deux parties du Dialogue des Morts.*

Errata quædam.

In Actis anni 1683. pag. 429. lin. 9. 10. 11, sic lege: *quasi rursus anticipando mihi solvas, dabis mihi* $\frac{1}{1}-\frac{1}{20}+\frac{1}{400}$. *Sed jam ita ego rursus priora* $\frac{1}{400}$ *anticipavi anno primo, posteriora vero* $\frac{1}{400}$ *anno primo & secundo. Unde usuram &c.* Pag. 431 l. 8 pro litera Y ponatur Z. In Actis præsentis anni pag. 178. lin. ult. pro *tantatus*, lege *tentatus*. pag. 179. lin. 9. pro *scatere*, lege *patere*. Pag. 271. lin. 3. pro *experante*, lege *imperante*. pag. 279. lin. 32. pro *plurimos*, lege *ipsos*. p. 325. l. 20. pro *liberationis* lege *librationis*. lin. 24. pro *conveides* lege *conoeides*. pag. 346. lin. 10. pro *fatis ante functo*, lege *licet fatis non ante functo*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Octobris A. MDC LXXXIV.

publicata Lipsiæ Calendis Octobris A. MDC LXXXIV.

GAZOPHYLACIUM LINGUÆ PERSARUM triplici linguarum clavi Italica, Latina, Gallica, nec non specialibus præceptis ejusdem linguæ reseratum. Authore P. Angelo a S. Joseph, Carmelita Excalceato, Tolosano, Missionario Apostolico, Superiore Missionum sui Ordinis in Belgio.

Amstelodami 1684. in fol.

POstquam Auctor, cujus opera *Mouzaffer Elen Mouhamed el Hosseni Pharmacopœa Persica*, ex idiomate Persico in Latinum conversa, tribus abhinc annis Lutetiæ Parisiorum prodiit, a nobis A. 1682. mense Junio p. 181. sqq. memorata, ad Orientales Missiones a Pontifice destinatus esset, hoc sibi credidit datum esse negotii, ut officio suo numeris omnibus satisfaceret. Hinc cum per annos non paucos Persica scripta sedulus versasset, literisq; & sermone Persarum ita eruditus esset, ut non minus quam hi, qui in Perside erant nati, verba hoc idiomate facere posset, successoribus etiam existimavit esse consulendũ. Pandere igitur futuris Missionariis Gazophylacium voluit præsens, ut eo instructi cum Persis & Muhammedanis nulla mora colloqui & in arenã descendere possent. Opere propemodum in Perside absoluto, ad Europæas terras revocatus, primum Venetiis, dein Lutetiæ Parisiorum edere illud statuit, sed re ex voto non succedente, tandem in Belgio feliciter ultimam negotio manum imposuit, publicæq; librum exposuit luci.

Post approbationes multas præmittit *clavem Gazophylacii linguæ Persarum seu Grammaticam*, quæ septem capita continet. In his agit de consonantibus Persarum ac Arabum convenientibus, ast ratione punctorum diacriticorum quandoq; discrepantibus, ita ut ex hac ratione Persæ duas & triginta consonantes, Arabes tantum viginti

octo numerent: de vocalibus & notis lectionis, quas cum Arabibus, excepta lectionis nota *wesleh* & ſigno *bannin*, habent communes: de analogia linguæ Perſicæ cum Europæis; cum Latina ratione verbi ſubſtantivi; cum Belgica ratione terminationum infinitivorum, comparativorum & diminutivorum; cum utraq; & Græca in multis & prope innumeris vocabulis, quorum catalogum ſatis longum texit: de verbo, ejusque forma, figura, ſpecie, conjugatione, modo, tempore, perſona: de nomine & pronomine, utriusq; genere, numero, caſu & derivatione. Subjungit exercitationem quandam in controverſiam maximam cum Perſis & Turcis de Divinitate Chriſti, ex S. Th. 4. con. gent. c. 2. & c. 48. Symbolum Apoſtolicum, precationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & præcepta Decalogi Perſici idiomatis, ac tandem ſpecimen Perſarum Poeſeos exhibet.

Gazophylacium ipſum juxta ordinem literarum Italicarum inſtruit, præmittens ubivis voces Italicas (quia hæc lingua inter omnes Europæos, qui oras Turcicas incolunt, quaſi idioma communicationis inducta, & ſatis affinis eſt Luſitanicæ, quæ paſſim in partibus Perſidis & Indiarum viget) e regione vero earum Latinas, Gallicas, & Perſicas collocans. In prioribus ſex literis ſola vocabula enarrat, phraſiologia poſthabita. In ſequentibus vero literis, non tantum phraſes, ſed etiam compoſitiones difficiliores, videlicet lemmata ſingularia, & quæ vel ad Hiſtoriam, vel ad ritus Perſarum, vel ad religionem, vel ad univerſam rem literariã præprimis pertinere poſſe videbantur, ſedulo attingit. Ex pluribus pauca, quæ ſequuntur, lectori debuiſſe nos credidimus.

Ad *ſacra & religionem* pertinent, quæ de nominibus Muhammedanorum profert, qui in propria terra titulum fidelis tanquam proprium uſurpant, cum ex adverſo Chriſtianos propter dogma Trinitatis aſſociatores ſive Idololatras appellent. Verius autem Perſas Idololatris accenſeri vel ex eo apparet, quod cum antiquis Arabibus Solem, Lunam, ſtellas aliquas, (quibus an Venerem ſeu Luciferum annumerare liceat, dubitatur) venerentur. Meminit etiam Autor idoli Calangani meretricis, quæ ſemper cuivis proſtituta ſemper virgo creditur permanere. Huc referenda, quæ de artibus magicis, quæ apud Perſas publicæ ſunt profesſionis, de incantationibus, teleſmatibus & cabalis obſervantur. Mentionem facit inter alia Auctor magi cujusdam

Digitized by Google

dam Bassoræ degentis, cujus discipuli ad certum cantum & sonum tympani energumeni fiant, & prunas candentes in foro publico vorent. Inter Sanctos Persarum præcipuus est Hossen filius Ali, cujus martyrii festum apud Persas singulare: celebratur primis decem diebus mensis Mohorram, cum luctu ingenti: decima demum die divisa in duas acies civitate, funeralia publice repræsentantur, ubi capite raso & multis a novacula vulneribus cruentato comparent. Sectæ Muhammedanorum quatuor recensentur, per famosos Interpretes totidem distinctæ, qui Malcki, Sciafai, Hanbeli, & Hanifi audiunt. De Alcorano, cum quo ejusdem auctoritatis esse apophthegmata duodecim legislatorum Persicæ sectæ prætendunt, Persarum doctiores statuunt, eum non realiter descendisse de cœlo, sed a Deo esse inspiratum. Liberum religionis Christianæ exercitium Aspahani, Constantinopoli & per Persidem ac Turciam passim concedunt: imo Christianis adeo sunt amici, ut pueros ægrotantes ad Missionarios eorum deferant, Evangeliumque super ipsis legi non modo patiantur, verum etiam expetant: qua occasione multos in mortis periculo constitutos baptizari testatur Auctor.

Nec prætermittit, quæ *ad notitiam dignitatum illustrium, provinciarum, urbium, insularum, ad constitutiones Persarum & consuetudines, ad jura tum privata tum publica* præ aliis pertinent. Hanc in rem agit de proventu annuo Regis Persarum & thesauris quos possidet: de titulo Padsciahs sive Imperatoris, quem Turcarum Imperator sibi tantum & Regi Galliæ tribuit: de Imperatrice regente, quæ prima mulier est ex Turcarum Imperatore masculum enixa, & καθ' ἐξοχὴν mater audit: de more excœcandi fratres Regis Persarum; ubi adjicit, hodiernum Regem Salomonem ad majorem cautelam jussisse erui pugione oculos fratris sui Mirza Hamzah: de gubernatoribus provinciarum Persidis, quorum alii Beklerbek, videlicet ibi dominantes, ubi sunt militia & arces, alii C-han, qui minoribus provinciis præsunt, alii Vezir, qui urbium imperium obtinent, dicuntur. Præterea coronationem Regis Persiæ describit, formamq; & figuram coronæ ipsi imponi solitæ delineat, eidemque simili prope C-han seu gubernatores, & antiquos Religiosos aut Soufi uti solere annotat. Porro titulum Invincibilis a Rege Persarum adhiberi solitum, quod per periphrasin expressus dominatorem conjunctionis seu astrorum denotet, exponit. Incolas

urbium Perſicarum in Heiderios & Naamet-Allahos, a Regibus Heider & Naamet-allah dictos, perpetuoque inter ſe diſſidentes dividit. De diverſoriis Perſarum dictis Caravanſerai memorat, eſſe illa publica & ſumtuoſa ædificia, in urbibus & ruri frequentia: in campeſtribus gratis divertere pedeſtres aut equeſtres turmas 100. usq; ad 500. hominum. Per Turciam extra urbes rara eſſe, ſi excipias unum a Veziro Magno Mahamed Kioproli fundatum, in quo commode diverſentur 300. equites, quibus per triduum integrum gratis & copioſe victus & hoſpitium ſuppeditetur. Habent etiam Perſæ cuſtodes viarum, quorum munus eſt a latronibus vias ſervare tutas, pro quo certam pecuniæ ſummam vectigalis loco ſolvere oportet. Exemti ſunt ab his vectigalibus Europæi, qui in regionibus Orientalibus a tempore & occaſione Godefridi Bullionæi Franci appellantur, ita tamen ut hanc exemtionem magno lucrari oporteat pretio. Nec illud prætermittendũ credimus, Papam a Regibus Perſarum in diplomatibus Carmelitis conceſsis Vicarium Chriſti, ſupremum Pontificem, & maximum Potentatuum Chriſtianitatis nominari: item legatum Regiæ Societatis Galliæ præcedentiam obtinuiſſe in curia Perſica ſupra legatum Angliæ menſe Novembri 1674. Ad *Medicinam* quoque & *Phyſicam* referri poſſunt aliqua, quæ ab Autore proferuntur. Botanicorum commentum eſſe dicit, mala Perſica noxia eſſe in Perſide. Optima enim etiam ibi eſſe, ſi excipias provinciã Guengia, in qua naſcentia mala exitiales febres progenerare credantur. Arborum earundemq; fructuum, & herbarum, quæ ibidem reperiuntur, mentionem facit, v.g. ficus Indicæ, quæ univerſi prodigium dici mereatur, ob perpetuitatem quam ſibi ipſi conciliare poteſt: granatorum rubrorum civitatis Caſcion in Parthia, membranas inter grana habentium; alborum in civitate Yezd, acinis etiam carentium: & prorſus ſingularium arborum fructuum: fraxinellæ: gelſomini albi: opiati Perſici: herbæ Kali, ſaponariæ &c. In *Philoſophicis* & *Philologicis* non pauca memoratu digniſsima producit. Multa ad ritus Perſarum, ad monumenta antiquiora in Perſide & alia plura pertinentia ſigillatim perſequitur. Taxat Hottingerum, quod in Bibliotheca Orientali jejunam nimis notitiam circa Perſicæ Bibliothecæ Catalogum habuerit, cum in omni facultate veterum pariter ac recentiorum exhibere potuerit elucubrationes. De Paradiſo fluviisq; inde profluentibus curioſe ſatis diſſerit, Proverbia Perſarum & Arabum notabiliora ſubinde inſpergit, nec luſuum genera a Perſis frequentata Lectorem vult ignorare.

In

In fine adjicit *indicem duplicem* vocabulorum, alterum Latinorum, alterum Gallicorum, tertio, qui tamen non minus si non magis videbatur necessarius deficiente, videlicet vocum Persicarum juxta seriem literarum hujus linguæ. Nulli enim usui Lexicon hoc erit illis, qubus Persica monumenta vestigare volupe est, quia sicubi hæserint, frustra ab hoc Gazophylacio vel ignorantiæ vel errori subsidium quærent. An vero excusari possit Autor per hoc, quod Missionariis hæc scripserit, quo notitiam linguæ & sermonis acquirerent, liberum aliorum esto judicium.

MAGISTRI F. ANGELI PACIUCHELLI DE MONte Politiano Ord. Prædicatorum, Lectiones Morales in JONAM Prophetam, Italico idiomate non pridem conscripta, nunc Latinitati consignata a. P. D. Carolo a Marimont, Clerico Regulari Theatino Lotharingo.

Tomus I. & II. 1680. Tom. III. 1683. Antverpiæ in fol.

MAgno apud multos in pretio Commentationes has morales esse, non ex eo tantū intelligitur, quod dignæ visæ sunt, quibus ex Italico sermone in Latinum transferendis bonæ horæ, & eæ quidem bene multæ impenderentur, sed inde etiam manifestum est, quod bis in Germania intra paucorum annorum spatium typis fuerint exscriptæ. Nec dissimulandum enim, anno 1672 primum Monachii excusas eas fuisse, quam editionem altera jam Antverpiensis a. 1680 & 1683 excepit. Sane complecti vastū hoc opus meditationes præclaras quamplurimas, quæ magno usui in flectendis ad pietatem auditorum animis esse possint verbi divini præconibus, diffitebitur nemo; inprimis cum vel solis amplissimis indicibus, qui velut Loci communes quidam singulis tomis sunt adjecti, inspectis, cuilibet textum aliquem Biblicum pro concione explicaturo argumenta se offerant, quibus exornare materiam, quam præ manibus habet, possit. Verum segetes inter, steriles etiam avenas non nullibi deprehendi, ac loco salutarium historiarum, quarum in ipso sacro codice sat magna copia est, commentitias nonnunquam fabellas lectori propinari, ne ipse quidē interpres potuit dissimulare, cujus hæc protestatio Operi præmissa legitur: *Si nonnulla in hoc opere recenseantur historia, qua legentis animum offendere*

 possent

possent, rogo ne id vitio mihi vertatur, nec ulla in me detorqueatur culpa, fidelem enim interpretem agere debui; cæterum ne ulli videar præjudicium inferre, ipsi veritati omnia committo. Utique a veritate maxime alienum est, quod Lectione statim prima, qua S. Scripturæ & Asceticorum librorum necessitatem & utilitatem commendat, de B. Luthero traditur: sceleratum scilicet illum virum, cum Germaniam execrabili hæresi contaminare decrevisset, profanis eam libris corrupisse, curavisseque ut lingua Gallica liber quidam donaretur, *Amadis* dictus, & quidem omni elegantia exornatus per Principum aulas spargeretur, sicq; paulatim sacrarum paginarum spiritualiumque librorum nausea curiosorum aulicorum animis instillaretur. Cujus ineptissimæ calumniæ, quæ nobis quidem non indignationem sed risum movet, non poterit non cordatiores ex Romano-Catholicis pudere, quos minime fugit, quanto zelo ad sacræ Scripturæ, quæ ipsi tunc clero tantum non sordebat, laicorum vero manibus extorta plane erat, frequentissimā lectionem, omne hominum genus, summos, medioximos, infimos, Lutherus noster revocaverit, sacris in eum finem Bibliis (non Amadiso) in vernaculam linguam incredibili labore atque studio traductis.

THEOLOGIA POSITIVO-POLEMICA, Methodo uniformi tradita, autore Joh. Grastio, SS. Theol. D. & Philosophiæ Prof. Tubingensi.

Francofurti ad Moen, apud J. G. Schiele. A. 1684. in 4.

QUod Athenæus L. IV. Dipnosophist. scribit de conviviis, quæ Homerus diversorum finxerat generum: ἐξ ἀντιπαραβολῆς ὁρᾶται μᾶλλον, Res collatæ inter se atque e regione positæ melius intelliguntur; id observavit Autor Doctissimus, Thesin nostram & Antithesin adversariorum eundem in finem conjungens; hinc Titulus *Theologia Positivo-Polemicæ.* Ad Thesin pertinent in singulis Articulis Etymologia, Homonymia, Synonymia, Reductio ad Libros Symbolicos, Definitio, ejusdem per causas explicatio, Divisio, Affectiones & varii Casus Conscientiæ, qui passim insperguntur; ad Antithesin, quæstiones controversæ, quarū Catalogus in fine Libri plenissime exhibetur, ipsæ una sic pertractantur, ut objectiones in forma Syllogistica una cū nervosis Responsionibus proponantur, inque iisdem Pontificii, Calviniani,

niani, Photiniani, Arminiani, Weigeliani & Anabaptistæ refutentur. Hunc autem in modum non unus aut alter tantum, sed omnes omnino Articuli proponuntur; hinc Titulus Libri: *Theologia methodo uniformi tradita.*

AUGUSTI PFEIFFERI D. HERMENEUTICA Sacra, sive luculenta & succincta tractatio de legitima interpretatione Sacrarum literarum.

Dresdæ apud Mart. Gabr. Hubnerum, A. C. 1684. in 12.

QVi se hactenus a pluribus annis & in Academica cathedra, & in templi suggestu, dexterrimum S. Scripturæ interpretem probavit Autor celeberrimus, nunc aliis, qua ratione in Verbi Divini adyta reserato genuino sensu penetrare possint ac debeant, ostendit. Hermeneuticam enim Sacram tradit, in cujus præceptis explicandis etsi jampridem *Matth. Flacius, Joh. Gerhardus, Wolfg. Franzius, Sal. Glassius, Mich. Waltherus, J. Conr. Danhauerus, Abr. Calovius,* aliique insignes Theologi cum laude versati fuerint, non dubium tamen est, quin succincta hæc & perspicua Synopsis, ante biennium nonnullis Theologiæ cultoribus intra privatos parietes prælecta, publica luce dignissima fuerit, in qua Cl. Autor methodo practicis habitibus convenienti, a fine objectivo & formali ad subjectum & media progreditur. Primum enim de authentico V. & N. T. textu agit, quem integrum & ne minimo quidem apice corruptum superesse, confutatis adversariorum objectionibus, demonstrat. Hinc ad Sacræ Scripturæ sensum accedens, unius dicti unicum tantũ sensum literalem, ab uno autore hic & nunc per se & formaliter intentum, dari asserit, & sensus illius certitudinem adversus *Gretserum* & alios Pontificios ostendit. Proximo loco ad idoneum S. Scripturæ interpretem pergit, a quo pietatem, solertiam, eruditionem, industriam, prudentiam, candorem nullis præjudiciis corruptum, & donum didacticum requirit; qua occasione, quam necessaria sit Scripturæ interpreti Hebrææ & aliarum originaliũ linguarum notitia obstructis *μισεβραίων* effugiis exponit. Media Hermeneutica distinguit in interna seu proxima, & externa seu subsidiaria. Interna duo constituit, *ἑρμηνείαν* stricte sic dictam, quæ nativam vocum

cum significationem, formationem, constructionem & peculiares loquendi modos evolvit, & σύγκρισιν, quæ partim analogiâ & cum parallelis Scripturæ locis, & cum fidei articulis, partim ἀλληλουχίαν s. accuratam considerationem eorum, quæ textũ explicandum afficiunt, circumstant, præcedunt, & consequuntur, respicit. Externa autem media, quæ ad commodiorẽ Scripturæ interpretationem extrinsecus afferuntur, vel e variis disciplinis instrumentalibus & realibus, vel e variis Bibliorum versionibus & exegetarum commentariis depromuntur. De singulis pro instituti ratione breviter sed erudite agitur, & postremo de mediorum hermeneuticorũ applicatione ac optimo interpretandi genere nonnulla subnectuntur. Cæterum plurima quæ huc faciunt, in *Dubiis* suis *vexatis* & *Critica Sacra* Vir max. Rever. prolixius tractavit, cujus praxin Hermeneuticam ex historia hexaemeri, ψ. 19, epistola Judæ in præfatione præmissam propediem expectamus.

EXAMEN DES RAISONS, QUI ONT DONNE' lieu à la separation des Protestants &c. Par M. Brueys, Avocat de Montpelier.

i. e.

Examen rationum, quæ Protestantes ad separationem moverunt, absque præoccupatione institutum ex Concilio Tridentino, Confessione Ecclesiarum Protestantium, & Scriptura Sacra, a Dn. Brueys, Advocato Montispessulano.

Lutetiæ 1683. in 12.

EX magno Gallorum numero, qui annis proximis, variis de causis relicta Protestantium Ecclesia, ad Romanam transierunt, pauci mutationis suæ rationes scripto publicarunt. Id faciendum vero sibi duxit præsentis opusculi auctor Brueysius, nonnullius nuper inter Reformatos nominis, nunc Romano - Catholicæ religioni addictus. Scripserat is, ut refert, & compertum est, pro Reformatis, contra *Bossueti Episcopi Expositionem fidei Catholicæ* satis notam. Eo labore vix peracto, subortos sibi scrupulos esse ait, ex frequenti consideratione propositionũ, ut alium de religione sensum conciperet, quam unquam

quam in ſe deprehendiſſet. Ita factum, ut etſi ægerrime a cœtu, in quo natus erat, & a neceſſariis ſuis, quibus carere ſine magno damno non poſſet, divelleretur, poſt preces tamen ad Deum fuſas, & ex accuratiori eorum, quæ legerat ſcripſeratque, examine denuo inſtituto, adjuvante Deo, convictus in conſcientia, ad Eccleſiam Catholicam ſeſe aſſociare decreverit, licet inſueta omnia ibi conſpiceret. Debere ſe hoc beneficium divinæ providentiæ, & libro Epiſcopi, imo informationi, quam ex ore poſtmodum ejus acceperit: neque alia in hoc tractatu ſe ſcribere, quam quæ ſibi ille quaſi inſpirarit. Deprecatur imputationes, quaſi non prius ad librum hunc ſcribendum, aut ad colloquium cum Epiſcopo acceſſerit, quam diſceſſum a Reformatorum cœtu ſecum jam conſtituiſſet: neque enim afflictionibus Reformatorum territum, aut ullius temporalis emolumenti cauſa mutationem feciſſe. Rogat itaque Proteſtantes, ut ſine præjudicio, rationes quas exponit, conſiderare velint, nec ſibi, homini licet privato, vitio vertant, quod hæc publice tractet, cum ſecundum eorum ſententiam & laudatum Berrhoenſium exemplum, imo Pauli Apoſtoli monitum, omnia examinanda, & bona tenenda ſint. Hæc præfatus, a narratiuncula de ſtatu Religionis ante cœptam reformationem orditur, Eccleſiæ, quæ tunc fuerit, unitatem laudat, in qua quidem diverſæ de fidei quibusdam articulis ſententiæ fuerint, nullo tamen cum diſpendio unionis & concordiæ. Summam etiam ignorantiam, morumque depravationem fuiſſe non negat, putat autem ad punienda hæc mala permiſiſſe Deum ſecutam ſeparationem, eo tamen etiam cum commodo, ut pulſis ignorantiæ tenebris, ſcientia ſalutis magis excoleretur, verſis in plurimas linguas Sacris Bibliis, & examinata per diſputationes veritate dogmatum. Sed ſchiſma ipſum hoc ante omnia argumento impugnat, quod Proteſtantes vi & manu egerint, contra genium indubitabilem Chriſtianæ religionis, quæ pacem & humilitatem requirit: & licet *Reformatores* culpam in plebem ſoleant rejicere, magna tamen eos præſumtione gravari, quod eadem intemperie in doctrina etiam uſi fuerint. Ad rem jam accedens, poſtquam multa fidei capita laudaſſet, in quibus utraque pars conſenſum ſervavit, quorumque intuitu etiam communio retineri debuerit, tria ſibi tractanda ſumit, (1) ut ſeparet articulos, ob quos ſchiſma nullo jure aut obtentu fieri potuerit; (2) ut quosdam ex vexatiſſimis, nempe de cultu Sanctorum, de juſtificatione

Digitized by Google

& de Sacramento Eucharistiæ ab interpretationibus Protestantium vindicet; (3) ut inde concludat, necessario ad Ecclesiam Romanam redeundum esse a Reformatis, si salvari velint. Hæc quomodo præstiterit, facilius, & uno fere labore, ex *Refutationibus* cognosci possunt, quas *Reformati* huic libro jam opposuerunt, quas subjungimus, & qua fieri potuit brevitate excerptas damus.

SUITE DU PRESERVATIF CONTRE LE changement de Religion, ou Reflexions sur l' addoucissement des dogmes, & des cultes de l' Eglise Romaine, proposé par Mr. Brueys.

hoc est,

Continuatio Præservativi contra mutationem Religionis, sive Reflexiones in tractatum Brueysii, Advocati Montispessulani, quo dogmata & cultum Ecclesiæ Romanæ emollire voluit.

Hagæ Comitum, apud Arn. Leers, 1683, in 12.

Autorem hujus scripti *Typographus Roterodamensis*, qui alterum ejusdem argumenti libellum, quem mox enarraturi sumus, edidit, aperte nominat D. Jurium, nec stylus abludit, & brevis, quæ post titulum legitur, admonitio confirmat, ubi *Præservativi* contra Expositionem Condomensem autorem se non inficiatur præsentis libri scriptor; *Præservativum* vero a D. Jurio scriptum esse, jam a nemine putamus dubitari. Sed ad tractatum ipsum accedimus. Exorditur Autor a consideratione discedentium a Reformata religione ad Romanam, quos variæ conditionis esse ait, magnos, parvos; divites, pauperes; quosdam, qui alicujus sint existimationis aut scientiæ, sed longe plures, qui nullius; alios aliis causis & affectibus moveri, ut hactenus Ecclesia Romana non absimilis sit reti, quod ex mari pisces, monstra, limum, conchylia, sed paucissimas extrahat margaritas. Eo magis itaque gloriari Romano-Catholicos, si aliquem inter plurimos ceperint, cujus ingenium laudari possit, talemque omnino esse *Brueysium* qui & Autoris titulum acquisiverit, libro contra *Expositionem Condomensem*, non spernendo edito; sed majoris illum fieri ait ab iis, quibus non nisi ex libro

libro ſuo innotuit, quam qui ejus vitam moresque propius introſpexerint. Hæc expoſiturus, congreſſum quendam virorum, diverſa, ut dictum, de *Brueyſio* ſentientium, inducit, & inde in dialogi formam tractatum hunc ſuum componit. Ex collocutoribus illis aliquis agnoſcit, quæ jam diximus de ingenio Brueyſii, illudque magis in libro contra Reformatos, quam in priori, quo eos defenderat, apparere, ironice concedit, ideo ſcilicet, quia ut ipſe profitetur, omnia ex Epiſcopi inſpiratione ſcripſerit. Excipit hunc, qui ſe Brueyſium familiariter noſſe dicit: alius denique, qui literas ex patria hominis producit, de vita ejus ante acta & cauſis mutationis. Summa eſt: *ingenio non eſſe infelici, nec ineruditum, ſed qui ſeria neglexerit, & Advocati nudo nomine aſſumto, per otium & luxum profligato patrimonio, magnum æs alienum, centum ſcilicet millium librarum, contraxerit. Inde, ut creditorum perſecutiones evitaret, Genevam conceſſiſſe, & Theologicis ſtudiis operatum, locum inter Eccleſiæ miniſtros quæſiviſſe, edito etiam adverſus Expoſitionem Condomenſem libro nomen adeptum. Sed cum homini delicato & voluptuoſo, ejusque paupertati levandæ, genus id vitæ non ſatisfaceret, deficiendi conſilium cepiſſe eo ſucceſſu, ut a Boſſueto benigne exceptus, penſionem 1500 librarum & diploma a Rege obtinuerit, quo creditorum actiones ad ſexennium ſiſtuntur.* His auditis Dialogiſtæ, quæ in procemio de converſionis ſuæ cauſis Brueyſius jactaverat, irrident, & qui narrantis perſonam ſumit autor, librum ejus, quo defectionem tueri voluit, refutatione indignum cenſet, cum ut ipſe fatetur, nihil ſcripſerit, quod non hauſerit ex Epiſcopi tractatu, adeoque nihil reſponderi fere poſſit, quod iſti non ſit reſponſum. Hoc ut palam fiat, præcipua libri capita percurruntur, & aliud quaſi agendo nihilominus refelluntur, quæ Brueyſius ex Epiſcopi ſcriptis repetita, ingenioſe & eleganter, ut agnoſcit Antagoniſta, elocutus fuerat. Cum vero de re ipſa tractans, ante omnia primaria fidei capita, in quibus nullus inter partes diſſenſus eſt, enumeraverit, eo fine, ut oſtenderet, ſatis gravem cauſam diſcedendi ab Eccleſia Romana, veritates illas profitenti, non fuiſſe; inverſo argumento contenditur, nec ſatis gravem cauſam eſſe, ad exagitandos & condemnandos Proteſtantes, qui præcipua illa dogmata pariter retinuerint. Ad primum vero Examinis caput, quo articuli ut putantur leviores, qui fundamentum non conſtituant, & pro quibus, ad exemplum Epiſcopi, Brueyſius non tam apologiam

quam excusationem, malæ causæ indicem, scripserit; ita respondetur: non convenire inter utramque Ecclesiam, quinam articuli ad fundamentum pertineant, & esse inter eos, quos *Examinator* pro levibus habeat, qui gravissimi sint, & vel singuli communionem impediant, v.g. *de cultu religioso soli Deo præstando, de unico sacrificio Christi satisfactorio, de autoritate sacræ Scripturæ suprema traditioni & potestati Pontificiæ præferenda.* Dum enim hæc negent Romano-Catholici, & præterea Reformatis alia credenda & servanda obtrudant, v.g. *usum linguæ Latinæ in Sacris, quinque superflua Sacramenta, purgatorium,* alia, nequaquam sibi fas esse, cum talia profitentibus, contradicente conscientia, in cœtum coire, licet ita errantes tolerent, tantoque justius petant, se quoque tolerari, magnamque querendi causam habeant, quod id non fiat. Altero Examinis sui capite tres articulos, ut dictum est, incrustandos, & a Reformatorum interpretatione vindicandos sumserat Advocatus. Ad hæc repetuntur olim regesta: frustra concilii Tridentini decretum allegari, quo cultus sanctorum non imperatur, sed permittitur; hoc enim ipsum non recte factum, & in praxi manifesto peccari, nec ad rem pertinere, quod in Gallia a moderatioribus quædam corrigenda censeantur; nihilominus enim publice indulgeri omnibus superstitionibus & abusibus, nulloq; jure Reformatos urgeri, ut ad corruptos ejusmodi cœtus aggregentur, quorum Ecclesia non ex particulari Gallorum quorundam excusatione aut correctione (quæ tamen locum non habeat) sed ex publica praxi & aliarum nationum consensu judicanda sit, ex quibus nulla Gallorum quorundam limitationibus assensum præbeat. Quæ vero de articulo justificationis speciose commentetur Brueysius, & quæ de gratia Dei & spe salutis magnifice disserat, aut non sincera, aut a Tridentinis placitis difformia esse; quod si reipsa non discrepent in hoc capite Catholici a Reformatis, iniquissimum esse quod illi hos quotidie cogant sententiam suam ut hæreticam & detestabilem abjurare. Nec magis probandum, quod tantopere invehantur in doctrinam de certitudine salutis, cum Reformati per hanc nihil aliud intelligant, quam virtutem illam Christianorum tertiam, quæ spes dicitur, & per quam homines fideles & bene mortificati, sibi persuadent impetraturos se gratiam Dei & donum perseverantiæ, atque gloriæ. De præsentia reali & sacra Eucharistia prolixe agit autor, & Lutheranos quidem ferri posse putat,

qui

qui lethaliter, ſive cum damnationis periculo, non errent, neque tamen communionem cum iis habendam; ſed Romanam Eccleſiam intolerabiliter in idololatriam labi, ſtatuta & obſervata adoratione Sacramenti, i.e. panis & vini, ex manifeſta conciliiTridentini definitione. Hanc utcunque palliantem, & adorationem ad Chriſtum reſtringentem adverſarium, pluribus refutat, ejusque ſinceritatem, fidem & honeſtatem deſiderat, qui Proteſtantes inducere velit, ut ſcientes videntesque, reclamante conſcientia, in Eccleſiam concedant, quæ vel ipſo adhortatore fatente, tolerabiliter ſaltem (ſed ex Reformatorum ſententia capitaliter) erret. Ut enim divina commiſeratio ſperari poſſit iis, qui ex ignorantia & bona quaſi fide erroribus per præoccupationem inhæreant, ita mortaliter peccare, qui errorem ſcientes & meliora edocti aſſumant. Sub finem pauca ad exordium & epilogum Brueyſii reponit. In illo Reformatoribus violentiam objecerat, quod nulla veri ſpecie fieri monet autor, cum ſatis conſtet, in Germania ſine ulla vi Lutheri doctrinam fuiſſe ſuſceptam, & a Catholicis contra Lutheranos vi actum. Idem in Gallia per annos quadraginta contra Reformatos factum, & ſatis prolixe integris libris demonſtratum eſſe, civilia Gallorum bella religioni immerito imputari. In epilogo vero, quo Proteſtantes ad unionem cum Eccleſia Romana admonentur, nihil dici ait, quod non falſo præſuppoſitum ſit, aut male illatum. Querelam tamen ejus probat, & retorquet, cum miſerandum Chriſtianiſmi ſtatum deplorat, *quod de vitiis deſerendis non cogitetur, dummodo non deſeratur religionis profeſſio; nec quæratur an quis pius ſit, & charitatem erga Deum & homines exerceat, ſed num Reformatus ſit aut Catholicus*. Adjecta eſt opuſculo *Additio*, ex epiſtola quadam Pariſiis miſſa, in qua Autori id quærenti reſpondetur, neminem ad Catholicos tranſeuntem recipi, qui ex ſententia Expoſitionis Condomenſis religionis profeſſionem facere velit, ſed abjurationem ex formula conſueta urgeri, verumque adeo eſſe, quod Jeſuita quidam dixiſſe fertur, *nihil remitti poſſe ex dogmatibus Romanis, nec unicum cereum extinctum iri, licet eo facto omnes Reformati converti poſſint*, Sed pergimus ad alterum Brueyſii adverſarium.

Digitized by Google

LE PROSELYTE ABUSÉ, OU FAUSSES vûées de Mr. Brueys, dans l'Examen de la separation des Protestans.

i. e.

Proselytus deceptus, sive Paroramata Brueysii, in examine separationis Protestantium.

AUtor, qui loco nominis literas D.L. præfationi subscripsit, juventutem suam, & quod scribente etiam contra *Brueysium Jurio*, jn arenam descenderit, excusat, sibique id potissimum propositum fuisse dicit, ut *Bossueto* Episcopo, & discipulo ejus *Brueysio Bellarminum* opponeret, sperans fore, ut cum hoc religionis suæ sane peritissimo commissi, & concilium Tridentinum contrario sensu explicantes, causam perdant, sententia Ecclesiæ Romanæ in incerto relicta, ad quam tamen amplectendam omnes movere velint, nulloque non artificio & delinimento utantur. Miratur dein quid tam subito mutaverit Brueysium, ut pro Episcopi sententia a. 1683 scriberet, quam anno præcedenti tanto studio & zelo refutaverat; & cur oblitus sit promissionis suæ, de constantia in religione reformata in celebri Reformatorum consensu, sponte, & nemine urgente eoque tempore factæ, quo jam cum Episcopo conferre cœperat. Utilitatis scilicet respectum evidenter apparere, nec aliud nunc quæri a desertoribus. Dubitat postea, an non ipse Episcopus, autor sit libri Brueysiani, verisimilius tamen videri, quod non sit: itaque salvo honore, qui Episcopo non immerito deferatur, cum Brueysio sibi negotium fore Hujus unum alterumve erratum sive parorama præliminariter ostendit, v. g. quod præsupponat, ante Lutherum totam Ecclesiam in Romana communione inclusam fuisse: cum tamen vel in Bohemia & alibi superfuerint, qui sanctum veritatis semen a Wiclefo & Husso jactum retinuerint. Dein quod ex reformatione justitiam sive iram divinam a Protestantibus, clementiam vero a Romanensibus agnosci velit, cum invertenda hæc sint, illis benignitatem Dei ob detectam veritatem laudantibus, his imminutam Pontificis potentiam & tot regna illi subtracta deplorantibus; nullum certe in historia prioris seculi vestigium reperiri, quod Rom. Catholici reformationem pro beneficio divino celebra-

Digitized by Google

celebraverint, ut nunc demum Brueyſius faciat. Porro quod quasdam ſaltem querelas ante reformationem auditas fuiſſe ſcribat, cum tamen fateatur, craſſam ignorantiam cum morum corruptione illo tempore horribiliter Eccleſiam inundaſſe: levia ſcilicet & exigua ipſi videri centum gravamina Germaniæ; levia, quæ Baptiſta Mantuanus, & Alvarus Pelagius, aliique ſcripſerint, aut quæ Epiſcopus Bitontinus & Cardinalis Lotharingus in Concilio Tridentino publice declamaverint. Turbas vero reformationem ſecutas, quas exaggerat Brueyſius, eadem facilitate Evangelio Chriſti imputari poſſe: nam ubi & quandocunque hoc hominum errores & vitia detegat, motus & perſecutiones oriri, ut Chriſtus ipſe ſatis clare prædixit, omniumque ſeculorum experientia confirmavit. Ita etiam præjudicia, quæ nunc nova calliditate reformationi præſtruuntur, Chriſtianiſmo in univerſum objici poſſe, & ſpeciatim Græcæ & Latinæ Eccleſiæ, quod probari poſſe putat, vel ex *Maimburgii* libris de *ſchismate Græco*, & de *declinatione Imperii*. Periculoſum tamen eſſe monet hoc genus diſputandi, & ad impietatem & Atheismum viam ſternere. Etiam cauſas ſchismatis fruſtra alias fingi, quam quas Proteſtantes allegaverint, idololatriam nempe & monſtroſa de Sacramentis dogmata, Sacri calicis ablationem, neglectum Scripturæ, indulgentias, purgatorium, fabulasque alias, & recuſatam eluſamque reformationem a *Curia Romana*, negatumque liberum concilium, in quo Spiritus Sanctus, ut orator Galliæ *Pibracius* dixit, non aliunde quam e cœlo expectaretur. Nec ſufficere, quod plurimi articuli puri bonique in Eccleſia Romana remanſerint; ſeparationem enim vel ob unum ſatis juſte fieri, quod conciliorum antiquiſſimorum exemplis conſtet. Et cur ait damnantur Proteſtantes, qui articulos illos non controverſos pariter retinent, niſi per præjudicium & vim id fit, & Hæretici eſſe debent, quos Roma pro talibus habet, & Regibus perſequendos offert? Alios notat articulos eſſe, qui ad nomen Chriſtianiſmi utcunque ſufficiant, quod nec Hæreticis auferri poſſit, alios, qui veritatem religionis integre conſtituunt. Dum autem ex his controverſi ſint, qui fundamentum tangunt, (quorum tamen pauciores eſſe, quam æſtu diſputantium numerantur, non negat,) non poſſe in communione perſiſti. Poſt iſta & alia, ad tria capita tractatum ſuum reducit. Examinat nempe (1.) articulos, in quibus conformitas inter utramque partem Brueyſio eſſe videtur, in

deque

deque cauſam reconciliationis exiſtere; (2) quos Brueyſius levis momenti eſſe judicat; (3) tres quos ut maxime controverſos, non minus tamen conciliabiles eſſe exiſtimavit, i. e. *de cultu Sanctorum, de juſtificatione, & de Euchariſtia.* Ita autem propoſiti ſui memor eſt, ut & monſtret, ubi mollius & aliter quam Bellarminus, Brueyſius Epiſcopum ſecutus, ſentiat aut loquatur; & quomodo Proteſtantes non verbis aut formulis, ſed reipſa, graviſſime a Romana Eccleſia diſſentiant. Quanquam vero multa ſingulari quodam modo, & cum elegantia & acumine proferantur, quæ annotatione non indigna ſunt, quædam etiam ubi de *Lutheranis* agit, animadverſionem quandam requirere videntur, vitanda tamen nobis prolixitas fuit, in materiis præſertim, de quibus jam toties actum eſt; & liber ipſe non magno temporis & laboris impendio legi poterit.

CONSIDERATIONS GENERALES SUR LE Livre de Mr. Bruejs.

id eſt,

Ad librum Brueyſii, cui titulus: *Examen rationum quæ Proteſtantes ad ſeparationem moverunt,* eaque occaſione etiam ad alios ejusdem characteris, Conſiderationes Generales. Roterodami 1684. in 12.

SAtis pugnatum eſſe putabamus adverſus Brueyſium, cum novus ei adverſarius prodit; is quoque Anonymus, & qui ut fertur, vigens fervidusque juventa & ingenio tyrocinium ſcribendi in hoc opuſculo ponere voluit, eo ut videtur cum ſucceſſu, ut faſtidium metuere non debeant, qui a lectione duorum, quos retulimus, ſcriptorum, ad hunc quoque legendum acceſſuri ſunt. Sed hoc ex contentis, quæ excerpta damus, rectius judicabitur. *In præfatione* non demit Autor adverſario laudem ingenii & ſtyli, ex converſatione, ut putat, Pariſienſi, jam expoliti, ſed a moribus ejus parum correctis & pudicis præjudicia ſumi, & documentis adſtrui poſſe exiſtimat, ob quæ de ſinceritate converſionis merito dubitandum ſit. Præteriturum tamen ſe iſta, & ea, quæ veritati Chriſtianæ convenit, modeſtia, figmenta, cavillos & acerbi-

acerbitates vitaturum eſſe promittit. Eadem ratione in *Epiſtola ad Amicum* libello præfixa, inanem eſſe laborem aſſerit, qui ad ſcribendos de conciliatione religionum libros impenditur, & *Burneti* judicium de libro *Epiſcopi Meldenſis*, & *Epiſtola Cleri Paſtorali* adducit: mereri tamen qui comiter ſcripſerint, ut eadem lenitate in reſponſionibus tractentur. Inde rem ipſam aggrediens, *conſiderationes generales* Brueyſio oppoſiturum ſe eſſe declarat, cum alii ad ſingula ejus argumenta jam reſponderint. Diviſit autem monita ſua in *quatuor capita*. *Primo* breviter id agit, ut oſtendat *Brueyſium* contra principia religionis, quam amplexus eſt, ad examen credendorum deſcendiſſe; ſecundum illa enim ſolam autoritatem Eccleſiæ clauſis oculis ſequendam, omnemque diſcuſſionem inutilem, imo ſi *Arnaldo* in notiſſimo *Præjudiciorum libro* credatur, impoſſibilem & ridiculam eſſe. Noxio itaque Romano-Catholicis exemplo examen ab eo ſuſcipi, illumque qui id faciat, periculum incurrere ut oppoſitam ſententiam præferat. *Conſid. II.* reprehendit adverſarium, quod nihil ſcripſerit, quam quæ Epiſcopus jam in libro Expoſitionis tradidit, aut ſcribenti, ut fatetur, in eundem ſenſum inſpiraverit, neque tamen quidquam ad illa replicet, quæ Epiſcopo tum ab aliis, tum a Brueyſio ipſo regeſta fuerunt. Si enim reſponſiones iſtæ ſuæ pondus habeant, non eſſe cur ab iis recedat: ſin minus, retractandas ab ipſo & emendandas fuiſſe. Frigidiſſimum nempe diſputandi genus eſſe, ſi prius dicta ſemper repetas, nec refellas objecta. Affert autem a Brueyſio, cum Reformatæ religioni addictus Expoſitionem Epiſcopi refutaret, bene & vere ſcripta, ad quæ nihil reſponſum ſit, aut ſolide reſponderi poſſit. Inprimis vero ſtabilimentum potius quam damnum, Reformatæ religioni ex Epiſcopi libro naſci oſtendit, dum conceditur, fundamenta religionis Chriſtianæ a Reformatis teneri, & negantur errores, qui Eccleſiæ Romanæ a Reformatis imputantur, vel ad ſententiam horum accommodantur; quanquam id fruſtra fiat, cum praxis incruſtatis illis interpretamentis publice repugnet. *Conſid. III* male omiſſam eſſe ait a Brueyſio narrationem ſummæ violentiæ, per quam Romano-Catholici olim Proteſtantes ex Eccleſia ejecerint, & ad ſchiſma coegerint. Hoc ipſo totam ſciſſuræ culpam in illos recidere, qui omnem reformationis & conciliationis viam obſtruxerint. Ejectos autem eſſe nullo jure, qui fatente Epiſcopo & Brueyſio, in fundamentis fidei

Digitized by Google

conſenſerint, nec aliud quam reformationem abuſuum poſtulaverint, ſatis habituri, ſi modo libertatem, Deo ſecundum inſtitutum ſuum ſerviendi, obtinuiſſent, & facile omnia circa dogmata & ritus, aliaque in quibus ſibi tantopere placet Romana Eccleſia, relicturi. Fruſtra itaque inquiri, an Reformati, priori ſeculo, ſine cauſa ſeceſſerint; neque enim ſeceſſiſſe, ſed vi exturbatos fuiſſe. De eo vero in præſens videndum eſſe, an explicatis nunc, eo quo cœptum eſt modo, dogmatibus Romanis, Proteſtantes ſalva conſcientia redire ad Eccleſiam illorum poſſint. Sed *Conſid. IV.* ſatis jam ſuperque de hac quæſtione tractatum ab illis eſſe ſcribit, qui Expoſitioni Epiſcopi reſponderunt, & id maxime urſerunt, ex praxi cultus publici, non vero ex molliori-bus dogmatum interpretationibus, de religione judicari debere. Refert inde, quemadmodum ſuperiori ſeculo, autoritate Imperatoria, *Georgius Caſſander* eandem viam conciliationis, fruſtra tamen ingreſſus fuerit, nec jam plus ſperari poſſe, poſt ſchiſma inveteratum, ac tot odiis & perſecutionibus exaſperatum. Denique omnem concordiæ ſpem abjiciendam eſſe ſtatuit, quoad usque a Romano-Catholicis autoritas Eccleſiæ, & infallibilitas Pontificia pro ſummo fidei fundamento habeatur. Allegat *Pajonii Examen prajudiciorum*, & *Molinæi* tractatum, cui titulus *Jugulum cauſæ*, cujus tamen libri exceſſus quosdam ait ſibi non probari. In Epilogo monet, conſultiſſimum eſſe, quoniam adverſarii ſemper eadem ſcribant, ut viciſſim ſemper & breviter ad priora reſponſa provocetur. Si enim ad ſingulare examen ſubinde redeatur, ad ſummam rei nihil conferri, ſed tantum injuriarum & exagitationum occaſionem naſci. Interim jure merito ab Explicatoribus illis poſtulari, ut errores abuſusque ſuæ religionis, quos excuſando agnoſcunt, ultro & ſine mora corrigendos procurent. Ita fore, ut Proteſtantes ſecure ad eos accedere queant, cum quamdiu emendatio differtur, non poſſint non oblatis & promiſſis diffidere. Addit, nihil agi, ſi quædam loca ex Concilio Tridentino, aut etiam ex Scriptura pro dogmatum excuſatione adducantur: reſpiciendum enim eſſe ad totum Concilii & Scripturarum ſyſtema, indeque ſinceram & veram ſententiam capiendam eſſe de iis, quæ particulatim dicuntur. Firmat hæc uno atque altero exemplo, notatque idem circa Confeſſionem Reformatæ Eccleſiæ, & opiniones ſive Calvini, ſive cujuscunque alius Autoris obſervandum eſſe. Nihil enim

enim in his omnibus adeo certum & infallibile habendum, quin ad normam sacrarum literarum examinari & emendari possit & debeat; has vero solas divina niti infallibilitate.

ENARRATIO QUORUNDAM EXPERIMENTORUM in aliquot congregationibus Societatis Regiæ institutorum a Friderico Slario Med. D. cum brevi applicatione ipsorum ad materiam medicam.

Ex Transactionibus Philosophicis Anglicis n. 150. 10. Aug. 1683.

Experimentum I.

Comparatio Phosphori cum Fulgure.

1. NE Phosphorus meus solidus paulatim consumeretur, sueveram hactenus ipsum ad fundum vitri aqua pleni demittere, cumque nuper complura hujusmodi vascula in mensa disposuissem, quæ lectum tenentis visui paterent, frequentes luminis radios ex aqua subinde adscendere observavi, quibus ita illustrabatur aer superior, ut terrorem incuteret spectaculum, cui simile quid antea non obvenerat. Igneum isthoc meteorum per incumbentem aquam aliquanto coarctatum transit, ut primum vero inde emerserit, latissime expanditur. Si quis hoc experimentum bene ac feliciter perficere cupiat, vitro utetur profundiori, ac cylindrico, nec ipsum ultra tres quartas aqua replebit.

Comparando has apparentias cum fulgure, inveniemus fulgur, quod ad intervalla erumpit, nubes quascunque spississimas penetrare, ac ne maximis quidem tempestatibus & cataractis aquarum extingui vel cohiberi, sed instar radiorum e Sole aut quovis igne alio emanantium libere per vitrum & aquam transire.

2. Phosphorus in hoc statu calida solum tempestate radios luminis emittit, estque, ut istiusmodi effectus emergat, certa aeris dispositione opus; hyberno enim tempore nunquam tale quid observavi.

Sic æstivus anni calor fulguri producendo maxime idoneus est.

3. Lumen illud e phosphoro emissum, corpus facillime alias ignem concipiens, nec accendit nec cremat. Cujus rei periculum feci, admovendo digitum, quem inde illæsum retraxi. Charta insu-

per, stupa, aliisque hujus generis usus sum, quæ omnia non magis conflagrarunt, quam cum radios lunares ope vitri concavi in corpora combustibilia projeci.

Hujusmodi innoxium ignem & fulgur esse, vulgariter compertum est.

4. Materia Phosphori, quamdiu in corpore magis condensato inclusa est, calore aeris solaribusque radiis facile accenditur, & tunc igne ardentissimo flagrat, non nisi summa cura adhibita restinguendo.

Sic fulgur si coarctatum aerique involutum fuerit, ut non facile per subtiliorem ætherem diffundatur, ignem ædibus arboribusque immittet, ac damna maxima inferet.

5. Nostra materia dum ardet, corrosivi cujusdam partes agit, postquam deflagravit, in menstruum abit, quo aurum, ferrum, & alia metalla solvuntur.

Sic flamma fulguris aurum, ferrum, plumbum &c. liquefacit. His experimentis maxime naturaliter referri phænomena fulguris nobis visa sunt, quæ illis multo sunt clariora, quibus præparandis nitrum, pulvis pyrius, vel aurum fulminans adhibetur. De aliis quibusdam proprietatibus ejusdem splendentis ac comburentis præparationis Chymicæ, conferantur Philosophicæ Collectiones.

Experimentum II.

Miscendo duos liquores actu frigidos rutilantia quædam & ignea corpuscula efficere, quæ non in tenebris tantum, verum etiam tempore meridiano in aere illuminato splendeant.

Hoc experimentum admiratione profecto dignissimum hoc ordine perfeci. Accepi grana decem aut viginti Phosphori solidi, ac tantum aquæ affudi, quantum ipsis obtegendis sufficiebat, (drachmam fuisse existimo,) ut liquefierent. Cum actu frigida esset hæc aqua, duabus unciis olei Vitrioli ipsam miscui, factaque agitatione primum productus est calor, deinde ignei quidam globuli emissi adscenderunt, qui stellarum instar ad latera vitri adhærentes, jucundo adstantium spectaculo aliquandiu flagrarunt.

Experimentum III.

Dictæ mixtioni oleum aliud addendo flammam excitare.

Fit

Fit hoc, si pauxillum olei Terebinthinæ immittatur; absque vasis enim agitatione, mixta corpora ignem concipient ac vehementissime flagrabunt. Et fieri quidem hoc experimentum in vase aperto, ut aeri liber aditus pateat, debet. Idem successit infuso oleo Petrolei & de lateribus; sed oleo communi & spiritu vini flammam excitare non potui.

Qui hanc flagrantem mixtionem componunt liquores, si separatim capiantur, omnes ad tactum frigidi sunt, nonnulli etiam virtute ac effectu. Sic aqua & oleum Vitrioli natura frigefaciunt; sed cum confunduntur, fervorem efficiunt, qui agilibus phosphori particulis subito ignem communicat. Atque is ubi materiam, quæ accendi possit, invenit, qualis est oleum Terebinthinæ & similia, in flammam satis conspicuam erumpit, quemadmodum in oleis, dum coquuntur, ebullientibus usu venit.

Hæc experimenta omnia inferiori loco haberentur, si illud Borrichii, relatum a Bartholino in Actis Hafniensibus, & allegatum, ut fide dignum, ab eruditissimo quodam Societatis nostræ membro, satis succederet. Titulus experimenti hic est: efficere, ut duorum liquorum alter alterum accendat, licet seorsim uterque actu frigidus sit. Jam equidem domi aliquoties iterato inutiliter tentamine, noram eventum non respondere promissis Borrichii, lubens tamen admodum ad capiendum experimentum coram tot testibus adducebar; tum quia id sua specie olim præsentes aliquos fefellerat, tum quia Viri fide digni in Germania ipso, ut indubitato, ad confirmandas hypotheses passim utebantur. Itaque quodammodo necessarium erat, de re tanti momenti decernere.

Experimentum IV.

Quod est refutatio experimenti Borrichiani de accensione.

Accepi, ut jusserat Borrichius, quatuor uncias spiritus Venetæ Terebinth. recentissimi, eisque addidi sex uncias aquæ fortis optimæ. Factam in vase vitreo mixtionem radiis solaribus exposui; quo ipso tamen nos deceptum iri quibusdam adstantibus prædixi. Post dimidiam horam liquores adeo effervescere cœperunt, ut spissisimum fumum emitterent, quem cortice subereo vas obturante coarctavi ac de-

preſſi. Condenſatus iſte fumus rubicundus, radiis ſolaribus illuſtratus, flammam exhibuit. Dum hæc ita fierent, ego interim certus eram, ſubeſſe fallaciam, & refelli hoc experimento proverbium: ubi fumus, ibi ignis. Ut quovis modo experimentum juvarem, perfeci ipſum in loco, qui radios ſolares admittebat. Sed quum hæc circumſtantia erroris fundamentum eſſet, repetere experimentum in loco obſcuriori, ubi facilius realis productio luminis diſcerneretur, annuentibus amicis volui: conſentaneum enim viſum fuit, liquores hos æque in tenebris ac in luce acturos. Reiterato igitur experimento, efferbuerunt ut antea commixti liquores. Stupam, quæ facile in flammam raperetur, fumo in vaſe admoveram. Sed tunc, qui mecum hoc experimentum obſervabant, Viri ſane acutiſſimi, non poterant ullam ignis ſcintillulã, nec quicquam lucis animadvertere, ut adeo & ſtupa illæſa extraheretur, & liquores effervescentes nec luminis, nec ignis, nec flammæ ullam ſpeciem præberent. Cavebit interim, qui hoc experimentum repetet, ne candelas mixtioni propius admoveat; fumus enim facile in ignem abibit, & liquores accendet; atque ſic, qui non ſatis accurata diligentia rem examinabit, decipietur.

Experimentum V.

Quod eſt aliud de ebullitione & incaleſcentia.

Ex illis mixtionibus, in quibus ſummi calores & efferveſcentiæ cum magna ebullitione obſervari poſſunt, hæc reliquas omnes anteit, quam in eodem conventu produxi.

Si unciæ uni Spiritus Nitri paulatim affundas duas drachmas Spiritus Vini rectificatiſſimi, calor & ebullitio ſumma erunt. Et cum in altero illo experimento ad dimidiam horam expectandum eſſet, dum efferveſcerent liquores, in hoc id e veſtigio contingit, ut adeo potior ratio mihi eſſet, in meo experimento productionem ignis & flammæ ſperandi, quam Borrichio fuerat in ſuo. Erunt fortaſſe, qui dum imitari experimentum volent, fruſtrabuntur, niſi monita nonnulla obſervent. Cujus generis errores effecerunt, ut ſe aliquando deceptos eſſe nonnulli perperam crediderint. Spiritus Nitri communis, qui primum in aquam deſtillatus fuit ac poſtmodum purificatus, aqua omni ſeparata, expectationem fallet: rubrum Nitri & rectificatiſſimum Vini ſpiritum adhiberi oportet. Deinde primum ſpiritus Nitri, liquorum gravior, in aquam immittendus eſt, ac poſt eum Spiritus Vini.

Digitized by Google

ni. Nam si ordo inversus fuerit, nulla sequetur ebullitio, id quod Philosophorum rationem haud parum obtundit. In hoc experimento (maxime si ingredientia ad eminentem perfectionis gradum deducta fuerint) Spiritus Vini instar ignei carbonis se habet; uti ignis sursum agit ac per halitus adscendere facit aquam, quæ ipsi infunditur; sic Spiritus Nitri vastam copiam Spiritus Vinosi sursum magna vi tollit, ut tota subito camera odore impleatur. Quo vero accuratius hujus rei veritatem scrutarer, partes æquales in vase vitreo miscui, applicato ipsi alio recipiente capaciori, atque hoc pacto condensato vapore, qui e corporibus commistis adscenderat, Spiritus Vini haud exiguam copiam rursus obtinuit.

Utrumque experimentum impugnandæ notioni Alcali & Acidi inservire potest, siquidem summi conflictus excitari per corpora differentis texturæ videmus, in quibus ista duo principia haud quaquam conspicua sunt. Habemus hic sane acida validissima, sed de nullo Alcali neque volatili neque fixo ulla suspicio est. Nec videtur illud Alcali, quod in Spiritu Nitri latere vulgo creditur, tanti conflictus causa esse; dubium enim est, an tale quid revera existat. Quod si Alcali fuit, perdidit sane jam vim suam, agente in ipsum acido tam forti, in cujus sinu quasi delitescit. Tam bene lignum igni admotum manet illæsum, quam hujusmodi Alcali sub acidi tam vigorosi potentia se tueri potest. Sed hoc obiter. Varii dantur liquores, qui commixti magis minusque effervescunt, facilius aut difficilius inflammantur, & ad diversos gradus caloris perveniunt, ut febrilium ardorum causæ hinc cognosci possint, perque varia experimenta obviæ fiant. Magis arduum est, de frigidis quibusdam affectibus sanguinis, aliorumque succorum corporis rationem reddere. Nam qui hysterica passione laborant, de frigore sanguinis plerumque conqueruntur, durante paroxysmo, quod ignis sat commodus, & cordialia remedia vix fugant. In his pulsus fere tardior est, cum contra in urente febricitantium paroxysmo nunquam non citior sit. Hæc clarius explicabuntur solutione salis Armoniaci, quam Nitri, in aqua.

Experimentum VI.

De frigore absque ebullitione producto, Hystericorum Paroxysmorum rationem reddens.

Quartam partem libræ Salis Armoniaci sextario fere aquæ injectam

ctam diſſolvimus, tantumque effectum frigus fuit, ut nullo opus Thermometro eſſet, quod de effectu teſtaretur.

In hoc experimento nulla liquorum ebullitio nec tumor eſt, ſed potius condenſatio, quale quid etiam in hyſtericis paſsionibus frigidis accidere poterit. Nam ſi humores intumeſcerent, amplius ſpatium poſtularent, quod quia concedi forte nequiret, ideo acceleratione pulſus compenſandum eſſet, quo humores extenſi intervallo temporis breviori transmitterentur. Verum hic caſus non hujus loci eſt, ſed poſtea occurret. Declarabo jam affectiones ſanguinis per ſolutionem Salis Armoniaci, quo (ut in experimento dixi) ſanguis illorum, qui diu ipſum contingebant, ad gradum manifeſtum moleſtumque frigoris deducebatur. Maſſa enim ſanguinis facile in ejusmodi glomos coaleſcit, qui ſali Armoniaco haud parum ſimiles ſunt. Atque hoc magis probabile videbitur, ſi cogitetur, humanum & quemvis alium ſanguinem natura ſua ſalibus urinoſis abundare, quæ in acres ac pungentes humores degenerare poſſunt, maxime cum ſalſis conditisque cibis, aut acidis liquoribus liberalius utimur. Docet enim experientia, tale acidum, quale Spiritus Salis eſt, ſi urinoſo mixtum ſit, in Sal Armoniacum converti (quod jam ſuæ volatilis naturæ plurimum perdidit.) Planiſſime de hoc conſtat, quoniam in figuras plumis ſimiles coit, quod ſali armoniaco proprium eſt. Quod autem ſanguis variis ſalium generibus abundet, dubium non eſt; quodque illius ſalis aliquid contineat, quod Salſum vulgo dicitur, & marinum eſt, non ita pridem in Societatis Regiæ conſeſſu declaravi; denique quod ſal Armoniacum inprimis magna ſalis volatilis (cujus & in ſanguine plurimum eſt,) copia, ac ſale jam memorato abundet, id vero a nemine negatur. Præſuppoſito igitur, exiſtere, quas dixi concretiones in ſanguine, proximum eſt, ut quomodo agant, conſideremus. Eſſe quasdam antecedentes ac concomitantes cauſas alias hyſtericæ paſſionis non nego; frigidiorum autem affectuum cauſam potiſſimum expendo.

Probabile admodum eſt, glandulas obſtructionibus laborare, quæ paroxyſmum antecedunt. Cui ſententiæ tanto facilius *calculum* adjicio, quoniam ægroti & priusquam patiantur, & cum laborant, ſiti ſe affligi queruntur. Hæ obſtructiones conſuetas ſecretiones lymphæ impediunt, ne cum os tum ventriculum & œſophagum humectent,

unde

unde sitis exoritur. Porro minima lymphæ quantitas per viam ordinariam secernitur, maxima pars a venis absorbetur, & salia, quæ in sanguinis massa sunt, diluit, ut in solutionem & fluorem vertantur, producendo affectui frigido idoneum. Sic sal Armoniacum poterit cum quibusdam liquoribus misceri, cum aliis non item, cum Spiritu Vini penitus fere non potest, non æque cum vino ac cum aqua, & quo limpidior hæc est, eo commodius ac citius resolvitur, efficitque, in hoc potissimum menstruo, frigidas illas operationes. Conjectura illa haud vana, de extraordinaria tum temporis effusione lymphæ in massam sanguinis, porro confirmatur per magnam urinæ quantitatem, quam ægroti reddunt, ex qua ratione nonnulli de his casibus parum instructi, diabeten metuere solent. Urina enim plerumque lurida ac limpidior est. Idem ulterius hinc confirmatur, quod cum glandulæ cuticulares ab officio transpirandi arceantur, per quodcunque ambiens frigidum ac fluidum (ut illis accidit, qui in aquam intrant,) major urinæ quantitas in homine fiat, quam pallidiorem & post secundam aut tertiam evacuationem insipidam comperi. Sed cavendum mihi est, ne tædium lectori creem.

Experimentum VII.

De frigore per insignem ebullitionem producto, ubi frigidi calidique paroxysmi febrium liquoribus quibusdam commixtis similes esse ostenduntur.

Quoties in hoc experimento usi sumus acido, sive aceti, sive omphacii, lujulæ, mali aurantii & limonii, vel mitiore aliquo; immisso in hos succos volatili sale sanguinis humani, semper insecuta est ebullitio conspicua, quæ tamen calorem ullum præter expectationem nequaquam excitavit, quod alias liquores ebullientes facere solent, sed potius thermometrum bene præparatum ita affecit, ut liquor, manifesto frigoris signo, in ipso descenderit. Inveni, quanto fortius acidum erat, tanto ebullitionem majorem fuisse, & frigus intensius, quod sane observari meretur.

Ex hac ratione aceto fortissimo usus sum, purificato per congelationem (quem parandi modum Honoratissimus Dn. Boyle docuit,) & in hac mixtione fere usque ad punctum congelationis deventum fuit. Quoniam autem molesta est hujus aceti præparatio, nec fieri nisi certo

ſi certo tempore poteſt, ideoque experimentum ope Spiritus Veneris vel æruginis, aceti ſane omnium optimi, utplurimum perfeci. Hoc adhibito frigus tactu percipitur, & in thermometro mutationes maximas efficit. Memini depreſſiſſe hanc mixtionem tempore æſtivo aquam Thermometri, ad ſextum pollicem infra temperamentum frigidioris aquæ fontanæ, ut vix ad dimidium pollicem a nota congelationis diſtaret. Dum hoc accidit, liquor tumeſcit, ampliusque ſpatium, quam antea requirit, nec breviori vaſe continetur.

Sunt circa hoc experimentum, quæ peculiarem curam merentur. Obſervatione dignum eſt, quod magna validaque motio duorum liquorum diverſæ naturæ, calorem adeo non producat, ut potius frigoris intenſioris cauſa ſit, idque inſuper cum manifeſta partium expanſione contingat. Aliam ejusdem rei confirmationem ſuppeditat aptum & æque inexpectatum experimentum, in quo effectus itidem vulgari obſervationi contrarius occurrit. Ita vero ſe habet. Si oleo vitrioli admiſceas quantitatem aquæ, calor ſenſibilis abſque liquorum expanſione fiet, cum alias communiter calor in vino, aqua & plerisque fluidis corporibus eam efficiat. Hic enim condenſatio & contractio potius accidit, ut ad oculum apparet, ſi experimentum in vitro colli longiuſculi inſtituatur, & nota protinus facta mixtione in exteriori ſuperficie fiat. Utriusque experimenti ratio difficulter ex hypotheſi Carteſiana redditur; non exiſtimo tamen, hanc ab illis prorſus deſtrui ac everti. Sed ut in experimenti enarratione pergam, cum ſpectatoribus meis ſufficienter demonſtraſſem, gradum frigoris producti admodum notabilem eſſe, paucas aliquot guttulas alterius liquoris infudi, quæ illico temperamentum frigidæ mixtionis immutabant, ac duorum triumve minutorum ſpatio ad calorem reducebant illo ambientis aeris (erat autem dies æſtivus Julii, quo Solis calor haud parum urgebat,) intenſiorem.

Jam fiat experimenti applicatio. In frigido paroxyſmo febrium ſæpius fortior ac concitatior eſt pulſus, qui ebullitionem, (effervescentiam nominare non audeo,) ac celerem motum ſanguinis arguit, & capitis aliarumque partium dolores forte ab extenſione inſueta vaſorum proveniunt, quæ expanſionem humorum ebullientium neceſſario comitatur. In hac artificiali, quamvis frigida mixtione, magna commotio, ebullitio, & expanſio liquorum videtur. In ſangui-

ſanguine aliisque ſuccis corporis, ſubinde magnam ſalis volatilis copiam reperimus, ac nonnunquam vel ab aere infecto, vel a mala vivendi ratione & a variis cauſis, ſucci acidi ad ſanguinem deferri poſſunt, qui dum in ſalia volatilia, quibus ſanguis abundat, agunt, frigus ſatis producunt ſenſibile. Non rari ſunt ægroti, qui e ventriculo ac inteſtinis (grandibus illis emunctoriis ſanguinis,) liquores acidos ejecerunt, dentes ipſos ac ſolidiores partes alias corroſuros. Sic in noſtro experimento planum eſt, acidum extraneum, ubi ſal volatile ex ſanguine collectum invenerit, effectum frigidum producere, & ſiquidem nullos liquores novi, qui præter hujus generis mixtionem tale phænomenon frigidum exhibeant, hinc non præter rationem creditur, ſimilem mixtionem frigidorum paroxyſmorum febris cauſam eſſe.

Quod incaleſcentiam attinet, quæ in mixtione noſtra contingit, dixiſſe debueram, ipſam factam fuiſſe nuda quarundam guttularum olei ſulphuris per campanam additione, qui liquor quoniam originem ſuam igni debet, forte calorificam virtutem inde etiam poſſidet, per quam calidum paroxyſmum febrium repræſentat. Obſervavi non obſtante frigidæ mixtionis actione, ipſam craſſiorem magisque viſcoſam, quam antea erat, evaſiſſe, affuſo autem oleo memorato ſive Spiritu ſulphuris factam fuiſſe clariorem magisque fluidam. Similiter agiles humani corporis ſpiritus, qui licet pro igne actuali haberi nequeant, ipſi tamen analogi ſunt, quoties in majori copia turbidam maſſam ſanguinis intrant, primum ſuo calore ſuaque actione craſſiores glomos attenuant, poſtea particulas non bene habentes ſubigunt, ipſasque in rectam texturam reducunt, expellendo heterogeneas per ſudorem, vel urinam, vel utrovis modo; quod ipſum eſt reconvaleſcentiæ victique paroxyſmi ſignum.

Unicum hoc, quod opponi mihi poterit, removebo. Videlicet non videntur acida tam fortia in humano corpore inveniri, qualibus ego in experimentis utor.

Reſpondeo, nec gradu tam ſublimi frigoris opus eſſe, ut febrim ſanguis noſter patiatur. Levis enim declinatio ab uſitata ejus temperie nobis commovendis ſufficit.

Appendix.

FAciam hic obiter mentionem propoſitionis digniſſimi cujusdam membri Societatis noſtræ, qua jubebamur experiri, annon Cortex Peruvianus febrim artificialem a liquoribus noſtris productam præveniret. Cujus rei factum quidem periculum fuit, ſed eventus exſpectationi non reſpondit. Paravimus enim infuſionem corticis in aceto communi, ac eidem injecimus quantitatem Salis memorati volatilis, ubi ſtatim liquorum ſenſibilis commotio inſecuta eſt, cum aliquo gradu frigoris, veruntamen non erat iſta adeo vehemens, ut antea, cumque opium cortici admiſceretur, nequaquam eo perveniri obſervavimus, quo prius experimentum aſcenderat. Ipſa interim aciditas in hoc caſu haud quaquam penitus extinguebatur. Quantum ad corticem attinet, non jam audeo ejus naturam hoc experimento declarare, quippe quod hac ſolum fini inſtitueramus, ut ſatisfieret deſiderio Viri doctiſſimi. Neque enim unquam exiſtimavi, febrifuga remedia alcalium, dum operantur, partes agere. Sed ſi oſtendero, alia medicamenta eſſe ad Alcalium familiam pertinentia, quæ mederi febribus certum ſit, hoc ipſo evincam, fieri id deſtructione quorundum acidorum humores & viſcera obſidentium, ut ita prohibeant ebullitionem, quam efficere hujusmodi liquores, ubi commixti fuerint, ſolent. Manifeſtum eſt corallia, oculos cancri & alia teſtacea, quæ alcalibus fixis vulgo annumerantur, imo fixa illa ſalia Abſinthii & Carduibenedicti &c. perinde ut ſalia quævis volatilia corrigere, & quam maxime immutare acidos humores, ubicunque ipſos inveniunt, ac omnino conſervare liquores, qui aceſcendo alias facile corrumpuntur ac degenerant. Ita lac & ſanguis ipſe multo diutius ſervantur, illud ne aceſcat, hic ne fermentet aut putrefiat, ſi cum ſale volatili miſceantur. Quod itidem veritati conſonum eſt, febres quamplurimas iſtiusmodi remediis fugatas fuiſſe, ſal abſinthii & ſalia volatilia febrifugis componendis maxime adhibentur. Ut ulterius hoc experimentum proſequeremur, diſſolvimus tantum calcis, quantum ab aceto optimo fieri poterat, colatumque per filtrum Spiritui rectificato ſanguinis injecimus, nullam tamen ebullitionem ſequi vidimus, nec frigoris ullum aut caloris ſenſum percepimus.

NOVA

Digitized by Google

TAB. XII.

ad A. 1684. p: 467.



NOVA METHODUS PRO MAXIMIS ET MInimis, itemque tangentibus, quæ nec fractas, nec irrationales quantitates moratur, & singulare pro illis calculi genus, per G.G. L.

SIt axis AX, & curvæ plures, ut VV, WW, YY, ZZ, quarum ordinatæ, ad axem normales, VX, WX, YX, ZX, quæ vocentur respective, *v*, vv, y, z; & ipsa AX abscissa ab axe, vocetur x. Tangentes sint VB, WC, YD, ZE axi occurrentes respective in punctis B, C, D, E. Jam recta aliqua pro arbitrio assumta vocetur dx, & recta quæ sit ad dx, ut *v* (vel vv, vel y, vel z) est ad VB (vel WC, vel YD, vel ZE) vocetur d*v* (vel d vv, vel dy vel dz) sive differentia ipsarum *v* (vel ipsarum vv, aut y, aut z) His positis calculi regulæ erunt tales: TAB. XII.

Sit a quantitas data constans, erit da æqualis o, & d $\overline{ax}$ erit æqua a dx: si sit y æqu. *v* (seu ordinata quævis curvæ YY, æqualis cuivis ordinatæ respondenti curvæ VV) erit dy æqu. d*v*. Jam *Additio & Subtractio:* si sit z -y † vv † x æqu. *v*, erit $\overline{\text{d z--y † vv † x}}$ seu d*v*, æqu. dz--dy † dvv † dx. *Multiplicatio*, $\overline{\text{d x}v}$ æqu. x d*v* † *v* dx, seu posito y æqu. x*v*, fiet d y æqu. x d *v* † *v* d x. In arbitrio enim est vel formulam, ut x*v*, vel compendio pro ea literam, ut y, adhibere. Notandum & x & dx eodem modo in hoc calculo tractari, ut y & dy, vel aliam literam indeterminatam cum sua differentiali. Notandum etiam non dari semper regressum a differentiali Æquatione, nisi cum quadam cautione, de quo alibi. Porro *Divisio*, $d\frac{v}{y}$ vel (posito z æqu. $\frac{v}{y}$) d z æqu. $\frac{\pm v\,dy \mp y\,dv}{yy}$

Quoad *Signa* hoc probe notandum, cum in calculo pro litera substituitur simpliciter ejus differentialis, servari quidem eadem signa, & pro † z scribi † dz, pro--z scribi--dz, ut ex additione & subtractione paulo ante posita apparet; sed quando ad exegesin valorum venitur, seu cum consideratur ipsius z relatio ad x, tunc apparere, an valor ipsius dz sit quantitas affirmativa, an nihilo minor seu negativa: quod posterius cum fit, tunc tangens ZE ducitur a puncto Z non versus A, sed in partes contrarias seu infra X, id est tunc cum ipsæ ordinatæ

 z decre-

z decrescunt crescentibus x. Et quia ipsæ ordinatæ v modo crescunt, modo decrescunt, erit d v modo affirmativa modo negativa quantitas, & priore casu 1 V 1 B tangens ducitur versus A; posteriore 2 V 2B in partes aversas: neutrum autem fit in medio circa M, quo momento ipsæ v neque crescunt neque decrescunt, sed in statu sunt, adeoque fit d v æqu. o, ubi nihil refert quantitas sit ne affirmativa an negativa, nam +o æqu. -- o: eoque in loco ipsa v, nempe ordinata L M, est *maxima* (vel si convexitatem Axi obverteret, *Minima*) & tangens curvæ in M neque supra X ducitur ad partes A ibique axi propinquat, neque infra X ad partes contrarias, sed est axi parallela. Si dv sit infinita respectu ipsius d x, tunc tangens est ad axem recta, seu est ipsa ordinata. Si d v & d x æquales, tangens facit angulum semirectum ad axem. Si crescentibus ordinatis v, crescunt etiam ipsa earum incrementa vel differentiæ, dv; (seu si positis d v affirmativis etiam d d v differentiæ differentiarum sunt affirmativæ, vel negativis negativæ) curva axi obvertit *concavitatem*; alias *convexitatem*: ubi vero est maximum vel minimum incrementum, vel ubi incrementa ex decrescentibus fiunt crescentia aut contra, ibi est *punctum flexus contrarii*, & concavitas atque convexitas inter se permutantur, modo non & ordinatæ ibi ex crescentibus fiant decrescentes, vel contra, tunc enim concavitas aut convexitas maneret: ut autem crementa continuent crescere aut decrescere, ordinatæ vero ex crescentibus fiant decrescentes vel contra, fieri non potest. Itaque punctum flexus contrarii locum habet, quando neque v neque d v existente o, tamen ddv est o. Unde etiam problema flexus contrarii non duas ut problema maximæ, sed tres habet radices æquales. Atque hæc omnia quidem pendent a recto usu signorum.

Interdum autem adhibenda sunt *Signa Ambigua*, ut nuper in *divisione*, antequam scilicet constet quomodo explicari debeant. Et quidem si crescentibus x, crescunt (decrescunt) $\frac{v}{y}$, debent signa ambigua in $d\frac{v}{y}$ seu in $\frac{\pm v dy \mp y dv}{yy}$ ita explicari, ut hæc fractio fiat quantitas affirmativa (negativa.) Significat autem ∓ contrarium ipsius ±, ut si hoc sit + illud sit --, vel contra. Possunt & in eodem calculo occurrere plures ambiguitates, quas distinguo parenthesibus, exempli

Digitized by Google

pli causa si esset $\frac{v}{y} + \frac{y}{z} + \frac{x}{v} = w$ foret $\frac{\pm v\,dy \mp y\,dv}{yy}$

$+ \frac{(\pm)\,y\,dz\,(\mp)\,z\,dy}{zz} + \frac{((\pm))\,x\,dv\,((\mp))\,v\,dx}{vv} = dw$; alioqui

ambiguitates ex diversis capitibus ortæ confunderentur. Ubi notandum signum ambiguum in se ipsum ductum dare +, in suum contrarium dare −, in aliud ambiguum formare novam ambiguitatem ex ambabus dependentem

Potentia $d\,x^a = a.x^{a-1}\,dx$, exempli gratia $d, x^3 = 3x^2\,dx$

$d\frac{1}{x^a} = \frac{a\,dx}{x^{a+1}}$ ex. gr. si w sit $= \frac{1}{x^3}$ fiet $dw = -\frac{3\,dx}{x^4}$.

Radices: $d\sqrt[b]{x^a} = \frac{a}{b}\,dx\sqrt[b]{x^{a-b}}$ (Hinc $d\sqrt[2]{y} = \frac{dy}{2\sqrt[2]{y}}$,

nã eo casu a est 1, & b 2; ergo $\frac{a}{b}\,dx\sqrt[b]{x^{a-b}}$ est $\frac{1}{2}\sqrt[2]{y^{-1}}$ jam y^{-1} idem

est quod $\frac{1}{y}$ ex natura exponentium progressionis Geometricæ, &

$\sqrt[2]{\frac{1}{y}}$ est $\frac{1}{\sqrt[2]{y}}$) $d\frac{1}{\sqrt[b]{x^a}} = \frac{-b\,dx}{a\sqrt[b]{x^{b-a}}}$ Suffecisset autem regula potentiæ integræ tam ad fractas quam ad radices determinandas, potentia enim fit fracta cum exponens est negativus, & mutatur in radicem cum exponens est fractus: sed malui consequentias istas ipse deducere, quam aliis deducendas relinquere, cum sint admodum generales, & crebro occurrentes, & in re per se implicita præstet facilitati consulere.

Ex cognito hoc velut *Algorithmo*, ut ita dicam, calculi hujus, quem voco *differentialem*, omnes aliæ æquationes differentiales inveniri possunt per calculum communem, maximæque & minimæ, itemque tangentes haberi, ita ut opus non sit tolli fractas aut irrationales, aut alia vincula, quod tamen faciendum fuit secundum Methodos hactenus editas. Demonstratio omnium facilis erit in his rebus versato, & hoc unum hactenus non satis expensum consideranti, ipsas dx, dy, dv, dw, dz, ut ipsarum x, y, v, vv, z (cujusque in sua serie) differentiis sive incrementis vel decrementis momentaneis proportionales haberi posse. Unde fit ut proposita quacunq; æquatione scribi possit ejus æquatio differenti-

alis, quod fit pro quolibet *membro* (id est parte, quæ sola additione vel subtractione ad æquationem constituendam concurrit) substituendo simpliciter quantitatem membri differentialem, pro alia vero quantitate, (quæ non ipsa est membrum, sed ad membrum formandum concurrit) ejus quantitatem differentialem ad formandam quantitatem differentialem ipsius membri adhibendo, non quidem simpliciter, sed secundum Algorithmum hactenus præscriptum. Editæ vero hactenus Methodi talem transitum non habent, adhibent enim plerumque rectam ut DX, vel aliam hujusmodi, non vero rectam dy quæ ipsis DX, XY, dx est quarta proportionalis, quod omnia turbat; hinc præcipiunt ut fractæ & irrationales (quas indeterminatæ ingrediuntur) prius tollantur, patet etiam methodum nostram porrigi ad lineas transcendentes, quæ ad calculum Algebraicum revocari non possunt, seu quæ nullius sunt certi gradus, idque universalissimo modo, sine ullis suppositionibus particularibus non semper succedentibus, modo teneatur in genere, *tangentem* invenire, esse rectam ducere, quæ duo curvæ puncta distantiam infinite parvam habentia, jungat, seu latus productum polygoni infinitanguli, quod nobis *curvæ* æquivalet. Distantia autem illa infinite parva semper per aliquam differentialem notam, ut dv, vel per relationem ad ipsam exprimi potest, hoc est per notam quandam tangentem. Speciatim, si esset y, quantitas transcendens exempli causa ordinata cycloeidis, eaque calculum ingrederetur, cujus ope ipsa Z ordinata alterius curvæ esset determinata, & quæreretur dz seu per eam tangens hujus curvæ posterioris, utique determinanda esset dz per dy, haberetur autem dy, quia habetur tangens cycloeidis. Ipsa autem tangens cycloeidis, si nondum haberi fingeretur, similiter calculo inveniri posset ex data proprietate tangentium circuli.

Placet autem exemplum calculi proponere, ubi notetur me divisionem hic designare hoc modo, $x : y$ quod idem est ac x divis. per y seu $\frac{x}{y}$. Sit æquatio *prima* seu data, $x : y + \overline{a + bx}\;\overline{c - xx} :$ quadrat. $\overline{ex + fxx} + ax\sqrt{\overline{gg + yy}} + yy : \sqrt{\overline{hh + lx + mxx}}$ æqu. 0. exprimens relationem inter x & y seu inter AX & XY, posito ipsas a, b, c, e, f, g, h, l, m esse datas; quæritur modus ex dato puncto Y educendi YD

YD quæ curvam tangat, seu quæritur ratio rectæ DX ad rectam datam XY. Compendii causa pro a + b x scribamus n; pro c-xx, p; pro ex + fxx, q; pro gg+yy, r; pro hh + lx + mxx, s. fiet x:y + np: qq + ax √r + yy: √s æqu. 0. Quæ sit Æquatio *Secunda*. Jam ex calculo nostro constat d, x:y esse + x dy + y dx, :yy; & similiter d, np:qq esse (±) 2npdq (∓) q n dp ± p dn,: q³ & d, ax √r esse -- axdr: 2 r√ ± adx √r; & d, yy: √s esse ((±)) yyds ((∓)) 4ysdy, : 2s √s, quæ omnes quantitates differentiales inde ab ipso d, x: y usq; ad d, yy: √s in unum additæ, facient 0, & dabunt hoc modo Æquationem *tertiam*, ita enim pro membris secundæ æquationis substituuntur quantitates eorum differentiales. Jam dn est bdx, & dp est -2xdx, & dq est edx + 2fx dx, & dr est 2y dy, & ds est l dx+2mx dx. Quibus valoribus in Æquatione tertia substitutis habebitur æquatio *quarta*, ubi quantitates differentiales quæ solæ supersunt, nempe dx, dy, semper reperiuntur extra nominatores & vincula, & unum quodque membrum afficitur vel per dx vel per dy, servata semper lege homogeneorum quoad has duas quantitates, quomodocunque implicatus sit calculus; unde semper haberi potest valor ipsius dx: dy seu rationis dx ad dy hoc est DX quæsitæ ad XY datam, quæ ratio in hoc nostro calculo (mutando æquationem quartam in Analogiam) erit ut + x: y + axy: √r ((+)) 2y: √s est ad + 1: y (+) 2npe + 2fx: q³ (+) --2nx + pb: qq + a √r ((±)) yyl + 2mx: 2s √s. Dantur autem x & y ex dato puncto Y. Dantur & valores supra scripti literarum n, p, q, r, s, per x & y. Habetur ergo quæsitum. Atque hoc exemplum satis implicatum ideo tantum ascripsimus, ut modus superioribus regulis in calculo etiam difficiliore utendi appareret. Nunc præstat usum in exemplis intellectui magis obviis ostendere.

Data sint duo puncta C & E, & recta SS in eodem cum ipsis plano, quæritur punctum F in recta SS ita sumendum, ut junctis CF, FE, sit aggregatum rectangulorum, CF in datam h. & FE in datam r, omnium possibilium minimum, hoc est si SS sit mediorum separatrix, & h repræsentet densitatem medii, ut aquæ, a parte C & r densitatem medii ut aeris, a parte E, quæritur punctum F tale, ut via a C ad E per F sit omnium possibilium facillima. Ponamus omnia ista rectangulorum aggregata possibilia, vel omnes viarum possibilium difficultates, re-

 præ-

præſentari per ipſas KV, curvæ VV ordinatas ad rectam GK normales, quas vocabimus ω, quærique minimam earum, NM. Quia dantur puncta C & E, dabuntur & perpendiculares ad SS, nempe CP (quam vocabimus c) & EQ (quam e) & præterea PQ (quam p) ipſam autem QF quæ ſit æqualis ipſi GN (vel AX) vocabimus x, & CF, f; & EF, g; fiet FP, $p - x$; f æqu. $\sqrt{cc + pp - 2px + xx}$, ſeu compendio $\sqrt{l}$, & g æq. $\sqrt{ee + xx}$ ſeu compendio $\sqrt{m}$. Habemus ergo ω æqu. $h\sqrt{l} + r\sqrt{m}$, cujus æquationis æquatio differentialis (poſito $d\omega$ eſſe 0, in caſu minimæ) eſt 0 æqu. $-h\,dl : 2\sqrt{l} - r\,dm : 2\sqrt{m}$ per regulas calculi noſtri traditas; jam dl eſt $-2\,dx\,\overline{-p + x}$, & dm eſt $2x\,dx$, ergo fit: $h\,\overline{p - x} : f$ æqu. $rx : g$. quod ſi jam hæc accommodentur ad dioptricam, & ponantur f & g, ſeu CF & EF æquales, quia eadem manet refractio in puncto F quantacunque ponatur longitudo rectæ CF, fiet $h\,\overline{p - x}$ æqu. rx, ſeu $h : r :: x : \overline{p - x}$, ſeu h ad r ut QF ad FP, hoc eſt ſinus angulorum incidentiæ & refractionis FP & QF erunt reciproce ut r & h, denſitates mediorum in quibus fit incidentia & refractio. Quæ denſitas tamen non reſpectu noſtri, ſed reſpectu reſiſtentiæ, quam radiis lucis faciunt, intelligenda eſt. Et habetur ita demonſtratio calculi, alibi a nobis in his ipſis Actis exhibiti, quando generale Opticæ, Catoptricæ & Dioptricæ fundamentum exponebamus. Cum alii doctiſſimi Viri multis ambagibus venati ſint, quæ hujus calculi peritus tribus lineis impoſterum præſtabit. Quod alio adhuc exemplo docebo. Sit curva 133 talis naturæ, ut a puncto ejus quocunque ut 3 ductæ ad ſex puncta fixa in axe poſita, 4, 5, 6, 7, 8, 9, ſex rectæ 34, 35, 36, 37, 38, 39, ſimul additæ, ſint rectæ datæ g, æquales. Sit axis T14526789, & 12 ſit abſciſſa, 23 ordinata, quæritur tangens 3T, dico fore T2 ad 23 ut $\frac{23}{34} + \frac{23}{35} + \frac{23}{36} + \frac{23}{37} + \frac{23}{38} + \frac{23}{39}$ eſt ad $-\frac{24}{34} - \frac{25}{35} + \frac{26}{36} + \frac{27}{37} + \frac{28}{38} + \frac{29}{39}$. Eademque erit regula, continuatis tantum terminis, ſi non ſex ſed decem vel plura puncta fixa ſupponerentur, qualia ſecundum methodos tangentium editas calculo præſtare ſublatis irrationalibus, tædioſiſſimæ & aliquando inſuperabilis operæ foret, ut ſi rectangula plana vel ſolida ſecundum omnes biniones vel terniones poſſibiles ex rectis illis compoſita datæ quantitati æquari deberent; in quibus omnibus, & multo implicatioribus, methodi noſtræ eadem eſt opinione multo major, rariſſimique exempli facilitas. Et hæc quidem

initia

initia sunt tantum Geometriæ cujusdam multo sublimioris, ad difficillima & pulcherrima quæque etiam mistæ Matheseos problemata pertingentis, quæ sine calculo nostro differentiali aut simili non temere quisquam pari facilitate tractabit. Appendicis loco placet adjicere solutionem Problematis, quod Cartesius a Beaunio sibi propositum, Tom 3. Epist. tentavit, sed non solvit. Lineam invenire WW talis naturæ, ut ducta ad axem tangente WC, sit XC semper æqualis eidem rectæ constanti, a. Jam XW seu w ad XC seu a, ut dw ad dx: Ergo si dx (quæ assumi potest pro arbitrio) assumatur constans sive semper eadem nempe b, seu si ipsæ x sive AX crescant uniformiter, fiet W æqu. $\frac{a}{b}dw$, quæ erunt ipsæ W ordinatæ, ipsis dw, suis incrementis sive differentiis, proportionales, hoc est si x sint progressionis arithmeticæ, erunt w progressionis Geometricæ, seu si w sint numeri, x erunt logarithmi; linea ergo WW logarithmica est.

LAURENTII STRAUSSII Med. D. hujusque & Physic. Prof. Gissens. Isagoge Physica.

Editio secunda Ulmæ, 1684, in 8.

Continet Liber integram doctrinam Physicam per theoremata & axiomata, quibus partibus singula capita constant, explicatam. In Axiomatibus controversiæ juxta hypotheses scriptorum, non solum antiquorum, sed & recentium breviter proponuntur, & additis limitationibus deciduntur. Eclecticam ergo philosophandi rationem sequitur, in qua sæpe Sperlingii opiniones præ Peripateticis placent, sæpe etiam recentissimorum Philosophorum inventa approbantur.

GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI, Med. Doct, & Prof. in Academia Julia, de Auditu Liber unus.

Lugd. Batav. apud Petrum de Graaf, anno 1684.

Auditus rationem doctissimus Vir sibi præprimis excolendam sumsit, quod neminem sciret accurato satis studio in eam inquisivisse. Primam occasionem meditationis casus suggessit. Dum enim

enim cultas Europæ regiones peragrando cum Echo confabulationem non raro institueret, in cogitationem venit, ut montium cavernis variisque anfractibus sonus capitur, captusque remittitur; ita in aure humana auditionem perfici. Quæ secum reputans Romam venit, ibique ex Kircheri Phonurgia, atque ipsius, qui eam scripsit, celeberrimi viri colloquio, in sua sententia plane confirmatus fuit. Cogitata autem sua, quæ jam tum in chartam conjicere cœperat, absolvit redux ex itinere in Academia Helmstadiensi. Opusculum in tres partes digessit; in prima de organo; in altera de objecto, sono, agit; in postrema ex his tanquam ex duabus præmissis conclusiones educit, quibus exponitur, quo pacto in aure sonus excipiatur, animæ mox inferendus; hoc est quomodo fiat auditio.

Ut Parte I. Organum felicius describeret, non solum hominum, sed & multorum brutorum temporalia ossa diffracta contemplatus est atque ut structuræ aurium, tum in hominibus tum in brutis differant, diligenter annotavit, & adjectis iconibus illustravit. Quid in aure externa notabile occurrat, proponit cap. 1, & antequam de interna agat, prius id, quod inter utramque intermedium, tanquam via regia sonum introducit, meatum scilicet auditorium considerat, quem membrana claudit, inepte tympanum vulgo dicta, rectius menynx: chordam, quam per medium ejus decurrere credant Anatomici, in plerisq; animalibus non reperiri asserit, in homine se non vidisse fatetur; interim Eustachio assentitur, novissimum scriptorem Gallum L' Amy errasse judicans, qui tendinem esse chordam hanc musculi cujusdam perhibuit, cap. 2. Hinc cap. 3. ad internam auris structuram transit, in qua præcipuum sensus instrumentum latet. Ejus primam partem concham, non modo pro generis, sed & ætatis diversitate in nonnullis animalibus variare admodum, observat; falli VVallisium, qui eandem esse ejus cavitatis in ove atque vitulo structuram scripsit. Tendinem externi musculi, quem processui mallei insertum putavit Cæcilius Folius, Auctor semper forti sed laxo ligamento petroso ossi connexum deprehendit: hoc ligamentum pro musculo male habitum a L' Amy: externum musculum perperam neglectum a VVillisio; Riolanum vero de musculis auris prorsus ineptiisse. Monet cavere errorem Bartholini in Anatomia Reformata & Riolani, aquæ ductum Fallopianum cum canali, qui ex auribus in postremum palati spatium excurrit,

rit, confundentium. Cap. 5. os petrosum cum iis quæ continet exponens, notat Aquapendentis, Casserii, L'Amy lapsus: imaginem ossis petrosi a Folio delineatam & passim libris illatam, non satis fidam agnoscit: tandem Aquæductum Fallopii, quem præ aliis Anatomicis commendat, ut in homine se habet, describit.

Parte altera initio examinat Anatomicorum de auditu sententias, quorum alii aerem internum (quem ingenitum male venditant,) alii nervum auditorium primarium auditus organum asseruerunt, ostenditque utrosque sua opinione deceptos. Post hoc examen in soni proprietates inquirit, quid scilicet is patiatur, tum in aere, tum in corporibus solidis, in quæ incidit. Quæ omnia mathematicorum more per axiomata & propositiones agit. Conclusiones in tertia libri parte inferuntur. Aliqua hic ex Kirchero mutuatus est, reliqua de suo addidit. Demonstrat igitur, sonum in aere productum cum aere ipso simul moto per ejus spatia discurrere: dari radios sonoros æque ut radios luminares, per quos auditus fiat: eos radios non esse ipsum sonum, sed ejus tantum speciem, i.e. simulacrum & quasi imaginem soni, qui ex collisione corporum exsurgebat, perinde ut in visione est simulacrum seu imago rerum, quæ cum radiis luminis in oculum ingrediuntur: vane ergo VVillisium comminisci particulas in aere soniferas. Radios sonoros non citius ferri aere, quod perhibet VVillisius, sed cum ipso æqualiter. Sonum per aerem, ex ingeniosissimi Leibnitii Consiliarii Hannoverani communicato sibi invento, docet hoc modo propagari: Aer, utpote corpus fluidum, compressum, indeque elastro præditum, ac in tremorem agi aptum, impressam semel speciem soni, una particula in aliam decurrente, totoq; aere contremente, per seipsum propagat, perinde uti solida corpora faciunt. Non secus enim ac chorda commovetur, ac reciprocis ictibus huc illuc decurrit, aer quoque commoveri totus videtur; hinc una aeris particula alteri impressam speciem communicat, donec ob reactionem particularum vis tandem ac motus omnis elanguescat, & sonus propagari desinat. Subjicit paradoxon: sonum per aerem propagatum a principio ad finem undique ferri pari velocitate, sed viribus remittere. Quibus de sono in aere libero inter cætera dictis, suscipit ostendere illius peculiarem proprietatem, cum ex aliquo receptaculo in aerem illapsus est, v.g. ex variis tubis phonicis. Nimirum sonum, qui ex aliquo canali in aerem libe-

rum profertur, non in orbem æqualiter ferri, sed potentissime in illam partem, versus quam canalis dirigitur: Sonoros radios ad aurem spectatos, non minus quam visivos ad oculum, coni formam habere; hinc uti visum, sic etiam auditum per conum fieri. Considerata ita soni propagatione per medium, nunc eum deducit ad objectum, & quid patiatur ad obstaculum allisus, ulterius scrutatur. Quandoquidem enim intra aurem durissimis ossibus est excipiendus, extra cartilagine; tum demum, quid ibi fiat, cognoscitur, si quid in similibus soleat ipsi accidere, rite perpendatur. Cum autem objecta, in quæ incidit sonus, varia sint, tum duritie & transmittendi eum facilitate, tum & figura ipsa ac superficie; primum dispicit, quid sono fiat, cum incidit de objecto tenuiore in crassius, aut in corpus tremulum & laxius concretum: resolvit quoq; problema, cur tormentum in medio maris tranquilli explosum, quam elegantissime ac perdiu resonet, non secus ac si in maximo fornice id factum esset; in turbato vero Oceano prorsus sonus absorbeatur? Deinde monstrat, ut sonus ad superficiem asperam reflectatur, ad mollem & valde porosam absorbeatur. Tertio speculatur affectiones soni in corporibus concavis, ex quibus etiam solis auris nostra componitur. Hic legas ex Kirchero transumta elegantissima; quomodo sonus per canales, tubos circulares, tubas sphæricas, per cochleas seu tubos conicos secundum lineam helicem sive spiralem contortos mirabiliter propagetur, multiplicetur, augeatur.

Parte III. sonum in aures illapsum prosequitur, & quid in singulis ejus partibus pati aptus sit, ex constructis supra regulis infert. Præmissis cap. 1. quibusdam de perceptione soni, cap. 2. tradit, quid in aure externa sono fiat, simulque de auriculæ structura curiose disserit, culpans Europæos formam aurium naturalem haud parum vitiantes, ad ossa temporum quasi alligando & admodum repressas gestando. Cap. 3. meatus auditorii usum, substantiam, figuram variam & flexuosam, quidque ipsi præstet membrana, qua tegitur, expendit. Cap. 4 de Tympano vulgo dicto, eique adhærentibus ossibus fusius cogitat, atque rejectis aliorum opinionibus, inter quas vulgata, membranulam eam malleo percussam resonare, uti tympanum militare pulsum; amplectitur eorum sententiam, qui existimant prætensam internæ cavitati menyngem, ad arcendum aerem externum & injurias imminentes. Similiter de usu ossiculorum docentes Piccolominum, Eustachium, A-

qua-

Digitized by Google

quapendentem, Casserium, Marchettum, Laurentium, Spigelium, Coiterum, Bauhinũ refellit, pronuncians ad soni perceptionem ipsa nihil conferre, interim motus alicujus causa esse facta. Cap. 5. explicat, quid sono accidat, postquam per canalem auditorium, tympanum illæsus pervasit, & nunc in primam eamque maximam auris internæ cavitatem, quam concham appellant, appulit. Conjungit considerationem binarum reliquarum cavitatum altius in osse petroso abditarum, cochleæ & labyrinthi, nervique auditorii, cum hæc omnia in uno osse, quod petrosum appellatum est, reperiantur & inter se cohæreant. Qua ratione totum de soni perceptione negotium absolvit. Cap. 6. & ultimo aliqua intacta hactenus, quæ tamen in aure etiam reperiuntur, tractat; qualia sunt aquæductus Fallopianus, canalis ex aure in os decurrens, ossiculorum officium ac motus membranæ, quæ conchæ prætenditur. Hæc cujus gratia facta sint, decidit, ne si videantur alicui auditus etiam esse gratia, tractatio antegressa imperfecta reputetur. Sententia Auctoris ingeniosa de auditu paucis hæc est. *Sonus collisione duorum corporum actus, se per aerem undique, ea tamen conditione diffundit, ut, si impingat in corpus durum, æquale ac læve, reflectatur pro superficiei illius duri corporis conditione ac modo. Hinc in auris externæ quatuor excavatas primarias partes allabentis, ac per Helicis gyrum decurrentis radii reflectuntur ac colliguntur ad unum omnes, inque soniferum canalem seu auditorium meatum immittuntur. Ibi igitur satis crescit in ingressu quidem, augetur vero notabiliter etiam dum egreditur, & ubi incidit oblique ad os petrosum, reflectuntur iterum ac colliguntur in unum dispersi radii, & in cochleam ac labyrinthum simul immittuntur, per cujus utriusque gyros decurrens in immensum iterum augetur, & quod per viam ac tot refractiones ac reflexiones radiorum amisit, hic largiter recuperat. Ultimo, cum in cochlea intima, tum labyrinthi communi cavitate tandem, vel ad nervos vel ad osseam laminam tenuissimam, post quam nervus latet, alliditur, ibique terminatur, tuncque sensio fit exactissima.* Coronidis loco tria proponit problemata doctis solvenda.

I. Quo pacto aer, ac ipse etiam tabaci herbæ fumus, ore haustus, ex aure per meatum auditorium egreditur, cum tympani menynge is exacte sit clausus, auris vero interna, præter hunc unum auditorium canalem, exitum habeat nullum?

II. Si aer cohibetur intra pectus, clausa laryngis rimula, quomodo,

do, dum nisu maximo excrementa ex alvo excludimus, in aurem ex ore irrumpit, aut quæ vis illum tunc adigit?

III. Qui fit, ut cohibito intro aere, eodem nisu, tensio quædam & ejus impulsio, per totum corpus in omnibus membris percipiatur, uti etiam in vulneribus stamina nuper ducta, sola sternutatione divellantur, sæpe vulnera recrudescant, & maxima profusio sanguinis inde immineat?

L' HVOMO E SVE PARTI FIGVRATO E SIMBOLICO, Anatomico, Rationale, Morale, Mistico, Politico, e Legale, Opera in due libri distinta, di Don Ottavio Scarlatini, Arciprete della Chiesa maggiore di Castel S. Pietro &c.

hoc est:

Homo cum suis partibus Figuratus & Symbolicus, Anatomicus, Rationalis, Moralis, Mysticus, Politicus & Legalis. Opus in duas partes distinctum D. Octavii Scarlatini, Archipresbyteri Ecclesiæ Majoris Castelli S. Petri &c.

Bononiæ, apud Jac. Monti, 1684, in fol.

Quod argumentum disertissimus Tullius sibi pertractandum aliquoties sumsit, & Lactantius Firmianus, cum istum nihil prorsus effecisse sentiret, peculiari libro explicare aggressus est, id Octavio Scarlatinus vir doctissimus, aliis omnibus, qui hanc materiam angustioribus finibus terminaverant, palmam erepturus, latissime summoque studio nunc expressit. Hominem enim operum DEI nobilissimum, cum qua membrorum corporis aptam compositionem, quæ ad naturalem Philosophiam pertinet, tum quatenus variarũ artium ac scientiarum pars est, expendit, diviso in duos libros opere, quorum prior hominis singula membra, posterior hominem integrum considerat. Refert autem inprimis, quicquid hominis cognitio in elegantiori doctrina symbolorum, hieroglyphicorum, historiarum, nũmismatum utilitatis habet, &c. & ut de Autoris instituto Lectori melius constet, exempli loco caput humanum nobis serviet, quod ipse hoc ordine descripsit. Primum quascunque

cunque illius partes physicas examinat, opera veterum Medicorum Galeni ac Hippocratis, tum Vesalii inprimis & Andreæ Laurentii, Viri Clarissimi, usus. Postea symbola & emblemata, in quibus adhibitum caput humanum fuerit, exponit. Deinde quicquid ad formandos mores capitis consideratio facere potest, colligit. Subjungit proverbia & hieroglyphica veterum Ægyptiorum. Porro prodigia, quæ in capitibus humanis accidisse memorantur, & sacrificiorum aliquos ritus, quibus olim Gentiles caput obtulerunt, ex antiqua Historia enarrat. Tum simulacra, quibus per capitis humani varios positus veteres artifices vitæ nostræ miseriam, ac vicissitudines exhibuerunt, describit. Proxima sunt numismata & monetæ; quas sequuntur capitis signaturæ, e quibus eminet Nux major, exteriore cortice suo caput humanum apprime referens. Hinc quibus Diis, & quo ritu capita olim dedicarint Ethnici, edisserit, & quicquid ad hanc partem corporis humani ex historiarum monumentis peculiariter pertinet, recenset. Tandem Physiognomiæ quasdam regulas, & alias de interpretandis somniis suppeditat. Postremo cum ex Joh. Baptista Porta retulisset, solitos olim aliquos fuisse, membrorum corporis solo tactu aliis loqui, memorat, quoties caput digito contigerint, literam e, eamque vel solam, vel aliis junctam significasse, & idcirco prolixius docet, quid literæ quædam majusculæ vocum, partim initiales, partim mediæ, priscis ex communi usu denotarint. Quod ipsum legendis numismatibus, ac quibusvis inscriptionibus antiquis non parum servit. Absolvunt hanc tractationem capitis epitheta nonnulla, quibus Oratores ac Poetæ nobilissimam humanarum partium maxime significanter descripserunt. Simili fere modo reliqua hominis membra persequitur. Nec alia methodo librum secundum complexus est, qui in duobus solis ab altero differt. Primum enim nulla hic est anatomica tractatio; deinde cum iste liber prior tot omnino capitibus vel sectionibus constet, quot diversis membris homo componitur, hunc unica sectione absolvi invenimus. Adjungitur in calce tomi secundi integra Lactantii commentatio de opificio DEI, quam Autor in vernaculam suam transtulit. Postremo quicquid Cælius Rhodiginus in opere eruditissimo ad hominis structuram pertinens habet, id omne Scarlatinus noster excerpsit, summa quæque ex diffusissimis sermonibus decerpens.

HERBARIO NUOVO DI CASTORE DURANTE, Medico e Cittadino Romano.

hoc est:

Herbarium Novum Castoris Durantis, Medici ac Civis Romani.

Venetiis apud Jacobum Herz 1684. in folio.

PRodiit jam aliquoties hic liber, nec infimum inter eos, qui de hac materia latissime patente scripti sunt, locum obtinet. Recudi ipsum nuper, cum nulla prioris impressionis exemplaria superessent, curavit Jacobus Herz, Bibliopola Venetus, atque ut *novi* titulum quodammodo defenderet, adjungere paucas lineolas voluit, quibus Arabum, & Chinensium plantæ tres describuntur. Sunt illæ Ribes Arabum, Herba The, & Caffe.

Harum & expressa sunt schemata, & explicantur radices, semina, folia, flores, cum usu, quem singulæ hominibus præstant. Addidit quædam de compositione illa, quam vulgo Cicolatam vocant, & unde constet, breviter edisserit.

REFLEXIONS NOUVELLES SUR L' ACIDE & sur l' alcali, par Mr. Bertrand Docteur en Medecine, Aggregé au College des Medecins de Marseille.

seu

Contemplationes novæ Acidi & Alcali, factæ per Dn. Bertrand, Doctorem Medicum, Collegio Medicorum Massiliensium Aggregatum.

Lugduni Gallorum apud Thomam Amaulry. 1683 in 12.

ETiamsi superioribus annis Acidum & Alcali, quando attentius in Medicorum & Chymicorum schola considerari primum incipiebant, principiorum loco, quæ mixta universa componerent, summa a plerisque veneratione exciperentur, proque talibus a Tachenio potissimum & Swalve in peculiaribus scriptis venditarentur: postea nihilominus, cum insufficientia eorum pro principiorum seu elementorum

rum

rum corporũ naturalium munere gerendo a multis deprehenderetur, eaq; inprimis hic Lipsiæ a Cl. Bohnio nostro, sicut Londini a Dn. Boyle, uno eodemque anno 1675 sufficienter detegeretur, pauciores hypotheseos hujus fautores invenire licuit, neq; ullos, qui dubiis virorum modo laudatorum solide satisfacerent. Prodierunt equidem Parisiis A. 1677 Dialogi de Acido & Alcali, Gallico sermone conscripti a Medico quodam Facultatis Cadomensis Francisco Andrea, in quibus Boylei objectiones examinare conatur; verum an hoc ita præstiterit, ut nullum amplius in Lectoris mente relinquat dubium, eo magis, Lector Benevole, ipsemet dubitabis, quo minus contemplationes præsentes, quas Acidi & Alcali ergo ab alio Autore Gallo habitas, comprehensas duabus partibus, tibi hic exhibemus, una inspicere dedignaberis. In prima siquidem meditationum harum parte Autor totus in eo est, ut natura prius, tum acidi atque alcali, tum principiorum enodata, veram principiorum denominationem duobus istis assignari minime posse, evidenter demonstret; id quod efficit thesin suam non minus stabiliendo, ac antithesin exacte refellendo. Theseos quidem fundamentum ex eo, quod principiorum proprietates in acido & alcali deficiant, adstruit, quatenus omne alcali, sive fixum, sive volatile, non tam corpus naturale, quam arte sit productum, neq; salia hæc bina in omnibus mixtis, v.g. in metallis, coralliis, perlis &c. arte ulla queant manifestari, multo minus ex hypothesi hac omniũ naturæ phænomenũ habeatur solutio. Contrariæ vero partis sententiam, partim ad plurimas ejus objectiones respondendo, aliamque rationem phænomena ejusmodi explanandi annectendo, partim Tachenii Hippocratem Chymicum multis notando animadversionibus destruit. Ast dejecisse sic acidum atque alcali de principiorum gradu non satis habet Autor, sed quis verus etiam utriusque salis in Physica pariter & Medicina sit usus, in parte altera exponere instituit. Etenim postquam in hac & rationibus, & exemplis palam fecit, in effectuum naturalium enodatione non semper ad principia esse recurrendum, quinimo in Medicina, ut principia magis composita, quæ v. g. sanguinem aliosque humores constituant, assumantur, absolutam exigere necessitatem; ostendit primo, qua ratione in scientia naturali mineralium productio, v.gr. Vitrioli, Aluminis, Nitri &c. vix clarius, quam acidi & alcali adminiculo, possit evolvi: quomodo ab acidi actione omnis

ibi coagulatio, ipſa etiam lapideſcentia, debeat derivari, quæ ab alcali oppoſito oppido impediatur, non obſtante, quod acidi hæc vis coagulatoria ſolummodo acceſſoria ipſi ſit, cum alias omne potius acidum ratione particularum acutarum corporum diſſolutionem per ſe moliatur: item monſtrat, quomodo fermentatio omnis, quam triplicem facit, ab acido & alcali, tanquam cauſis occaſionalibus, perficiatur: qua ratione acidum plantarum vegetationis exiſtat autor, non ſecus, ac acidum ſpiritus nitri argenti particulas in arborem, *Dianæ* Chymicis appellatam, efformare ſoleat: quomodo tandem acidum & alcali colorum variationi ſubminiſtrent occaſionem. Hinc in Medica quoque arte prolixe ediſſerit, acido non minus, ac reliquis ſaporibus Hippocraticis, ab acido tamẽ & alcali dependentibus, rejectis qualitatibus primis vulgaribus, variorum morborum competere originem, tam internorum, v.g febrium omnis generis, nec ipſis contagioſis exceptis, cachexiarum, Luis venereæ, Rheumatiſmorum univerſalium & particularium, affectionum Hypochondriacarum, Scorbuti, Dyſenteriæ, Choleræ, Apoplexiæ, Epilepſiæ &c. ceu quorum morborum diverſitas non tam a cauſæ, quam partis affectæ proveniat diverſitate; quam externorum, quales plurimi exiſtunt Tumores, v.g. Carbunculi, Bubones, Inflammatio, Eryſipelas, Scirrhus, Scrophulæ, & Cancer; quibus ſingulis Alcalia adpropriata adjudicat remedia, ita tamen, ut iis ſic aſſenſum haud præbeat, qui Medicinam quandam quærunt vel jactitant univerſalem; cum magnum potius diſcrimen ipſa etiam inter acida intercedere exiſtimet, uniformi remedio haud tollenda.

OBSERVATIO SOLARIS ECLIPSIS
die 12. Julii A. 1684 Bononiæ habita,
Excerpta ex literis Dominici Guilielmini ad Illuſtriſſimum Virum Antonium Maliabechium, Bononiæ excuſis.

APtatum fuerat Teleſcopium palmarum 25, ſola lente objectiva inſtructum, a qua Solis ſpecies in objecta papyro recipiebatur circulo in hac deſcripto congruens, diviſo ut moris eſt per ſex circulos concentricos in duodecim partes æquales. Horologium artificiale oſtendens ſingula quælibet minuta prima & ſecunda, horas numerabat

bat a meridie antecedente diei 12, notato in Heliometro D. Petronii, qui in Meridie ſubſequente diei 13 deficiebat 6 minutis primis ab horis 24; ideoq; tempora phaſium non nihil corrigenda fuerunt per partes proportionales; ut autem horas horologii rectificare poſſemus, paratus fuerat Sextans tripedalis radii, teleſcopio armatus, & per meridianam Solis altitudinem diei 11 optime rectificatus, pro deſumendis in ſingulas phaſes centri Solis a vertice diſtantiis.

Rebus ſic inſtructis in locum apprime idoneum convenimus, cœlo tamen hic, atque illic nubibus obducto; ſpes tamen erat, ut iisdem laceratis, & diſperſa caligine, aliqua ſaltem pars Eclipſis conſpicua foret. Apparuit tandem inter nubes Sol, ad quem directo Teleſcopio, obſervationem incepimus. Deſumebant Solis a vertice diſtantias *DD. Jo. Ludovicus Donellus, & Nicolaus Ignatius Joanettus*; Phaſibus determinandis tres aderamus *DD. Jo. Galeatius Manzius, Hercules Vanotius, & Ego.* Obſervationes ſcribebat *D. Gregorius Maliſardus*; horas vero in horologio notabat *D. Bartolomeus Ferrarius.*

Horæ horologii automati p. m. diei 12.	*Horæ erutæ ex diſtantiis obſervatis centri Solis a vertice.*	*Diſtantiæ centri Solis a vertice.*	*Phaſes.*
Hor. 3.20.			nubes ubique
3.34.0.			Inceperat Eclipſis apparente Sole inter nubes; quantitas obſcurationis dig. 2. 30. dubia
3.37. 30.			dig. 3.
3.48. 14.	3.47.47.	gr.51.31.	dig. 4.20. dubia ubique
3.52. 0.			dig. 5. optima.
3.57. 0.	3.56.2.	gr.52.58.	dig. 5.30.
4.2. 0.	4.2 29.	gr.54.10.	dig. 6.
4.4. 45.	4. 5.59.	gr.54.4.	dig. 6.30. optima
4 9. 20.	4.9.1.	gr 57.17.	dig. 7. exacta
4 14 .40.	4 15.43.	gr 56, 28.	dig. 7.
4.29. 0.			dig. 7.20 dubia

4.27.44.	4.28 42	gr.58.39.	dig.7. 20.	
4.32. 35.	4.34.20.		dig.7.	ſatis exacta
4.34.20.			dig.6.45.	
4.44.30.			dig.6.30.	
4.47.15.			dig.6.30.	
4.51.30.			dig.6.	optima
4.54.38.	4.53.53.	gr.63.16.	dig.5.30.	exacta
4.58.0.	4.57.38.	gr.63.56.	dig.5.	exacta
5. 1.55.	5.1.2.	gr.64.32.	dig.4.30.	ſatis exacta
5. 4.40.	5.5.28.	gr.65.19.	dig.4.	diligens ubique
5. 7. 0.	5.6.23.	gr.65.28.	dig.3.30.	exacta
5.10.30.	5. 9. 9.	gr.65.58.	dig.3.	exacta
5.12.35.	5.13.28.	gr.66.43.	dig.2. 30.	ſatis exacta
5.16.15.	5.16.14.	gr.67.13.	dig.2.	exacta
5.19.50.	5.20.24.	gr.67.57.	dig.1. 30.	exacta
5.22.30.	5.23.21.	gr.68.28.	dig.1.	exacta
5.25.0.	5.25 14.	gr.68.48.	dig.0. 30.	diligens
5.27.40.	5.28.7.	gr.69.18.	dig.0.	accuratiſſima.

Circa obſervationes ab initio Eclipſis uſque ad medium circiter, eas quidem præter unam, aut alteram, omnis erroris expertes eſſe non auſim affirmare; intercurrentibus enim identidem nubibus Solis ſpecies nonnihilo minor,& pallidior reddebatur, unde non omnimoda certitudo promitti poteſt; a medio autem Eclipſis ad finem usque,cum nullis nubibus Sol impediretur, obſervationes certiores ſunt, & diligentius habitæ.

Notabile fuit; cum quantitas Eclipſis fuerit dig.7.20, quod non modicam aeris offuſcationem debebat inducere, ut alias multoties in conſimilibus defectibus obſervatum eſt; nihilominus tamen vix ſenſibiliter conſuetum in Sole libero aeris ſtatum mutatum fuiſſe; unde plurimis Solem non reſpicientibus orta ſuſpicio, aut Solem non defeciſſe, aut minimum quidem. Cujus quidem rei non alia mihi videtur aſſignanda cauſa, quam ingens vis nubium a Sole maxime illuminatarum, quæ non multo ab eo diſtabant; ab his enim Solis radius per reflexionem & refractionem multiplicatus, certe intenſior redditus, deficientem aliunde ſplendorem potuit compenſare: ſic aliquando videmus præſertim occidente Sole, nubes adeo illuminatas eſſe,

Digitized by Google

eſſe, ut poſt ejus etiam occaſum vividiſſimam lucem effundant, quin imo etiam umbras non ſemel projiciant.

Promiſſas ſuperius meridianas Solis obſervationes, quæ ſunt tangentes diſtantiarum utriusque limbi Solis a vertice, habitas in Gnomone Vaſſæo hic habe.

	Die 8. Iulii 1684.	
Tang. 40000.	Tang. 41033	optima
	Die 10. ejusdem.	
Tang. 40560.	Tang. 41530.	dubia propter nubes
	Die 11.	
Tang. 40820.	Tang. 41830.	optima
	Die 12.	
Tang. 41190.	Tang. 42120.	optima
	Die 13.	
Tang. 41 95.	Tang. 42430.	optima
	Die 14.	
Tang. 41705.	Tang. 42725.	optima
	Die 15.	
Tang. 41940.	Tang. 43175.	optima

Adjectum eſt obſervationi Schema, Eclipſeos Phaſes ad ſingulos digitos exhibens, quod huc tranſcribere opus viſum non fuit: cui ſi fides habenda, Dominis Obſervatoribus Semidiameter Lunæ major Solari apparuit $\frac{1}{18}$ circiter ipſius Semidiametri Solaris, quod notandum duximus.

Eadem Eclipſis obſervata Lipſiæ.

OBſervandæ huic Eclipſi cœlum hic loci ſic ſatis annuit. Utut enim ſparſæ nubes hinc inde cœlo ſubtercurrerent; initium tamen & finis, ut & maxima obſcuratio, pluresq, aliæ phaſes commodiſſime notari potuerunt. Capta autem ſunt hæc momenta a duobus Obſervatoribus ſejunctim negotio huic intentis, beneficio duorum Tuborum, quorum unus erat decem, alter tredecim pedum, & uterque duobus vitris inſtructus. Ex phaſibns autem adnotatis palmarias hic tantum referendas duximus, in quibus etiam exactus utriusque Obſervatoris fuit conſenſus, non minus atque circa ipſam maximæ obſcurationis quantitatem. Junximus Obſervationi calculum Tabularum Kepleri & Riccioli.

Ecclipſis

Eclipsis Solis	Observat. H. ′ ″	Keplero H. ′ ″	Differ. ′ ″	Ricciolo H. ′ ″	Differ. ′ ″
Initium	3. 17. 40	3. 17. 10	0. 30. –	3. 15. 7	2. 33 –
Medium	4 20. 30	4. 20. 41	0. 11. +	4. 24. 52	4. 22 +
Finis.	5. 18. 32	5. 19. 21	0 49. +	5. 27. 28	8. 56 +
Magnitud	6 D. 30. 0	6 D. 35. 0	5. 0. +	7 D. 0. 0	30. 0. +

Tempus observationis correctum est ex captis altitudinibus Solis: Kepleri vero calculus transsumptus ex Ephemeridibus Godofredi Kirchii, qui altitudinem Nonagesimi orbitæ Lunaris in calculo Eclipsium Solarium usurpat. Semidiametri Luminarium visæ prope æquales; certe Lunæ non major Solari.

NICOLAI a SCHOENBERG, CARDINALIS ET Archiepiscopi Capuani, Orationes V. Romæ coram Julio II Pontifice & toto Cardinalium cœtu recitatæ, opera & studio L. A. Rechenbergii P. P. recusæ.

Lipsiæ prostant ap. Davidem Fleischerum 1684. in 4.

QUantam prudentiæ & eloquentiæ laudem *Autor* harum quinque orationum *illustrissimus*, apud Italos, Germanos & Gallos meruerit, id ex elogiis, quibus eum clarissimi superioris ævi scriptores passim ornarunt, judicari potest. Nam cum eruditione & rara Italorum judicio prudentia excelleret, eloquentiæ flumine omnes suo tempore, quo barbaries literarum nondum erat expulsa, superavit. Quod si alia ejus rei testimonia deficerent, vel præsentes orationes disertissimæ abunde id comprobare possent. Quas hanc ob caussam vel maxime dignas Cl. *Collega noster* censuit, quæ denuo & quidem charactere puriore imprimerentur: præsertim cum exempla primæ editionis, quæ circa seculi superioris initia Lipsiæ prodiit, rarius invenirentur. Itaq; illis novam præfationẽ, elogia, judicia & testimonia clarorum aliquot virorum præmisit, qui *eminentissimum Schœnbergium*, ex *illustri Schœnbergiorum familia equestri*, in nostra Misnia & Germania Galliaq; celeberrima, ortum, laudarunt. Argumenta orationum ardua sunt & inter Christianos sublimia, ab *Autore* laudato, quippe rerum divinarum & humanarum peritissimo, sapienter tractata. De quibus, si paucos ex corruptæ religionis persuasione nævos tollas admixtos, optimorum ac sanctissimorum Ecclesiæ Latinæ Patrum scriptis illæ æquiparari merentur.

* * *

Digitized by Google

N. XI.

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Novembris Anno M DC LXXXIV.

LUCÆ HOLSTENII NOTÆ ET CASTIGATIONES postumæ in Stephani Byzantii Ἐθνικὰ *sive de Urbibus: edita a Theodoro Ryckio.*

Lugduni Batavorum, apud Jac. Hackium, 1684 in fol.

JAmpridem clarum est per orbem & illustre LUCÆ HOLSTENII nomen, & immortalia ejusdem habentur in rem litterariam merita, dum eleganti studio rariores auctores expolivit, eorumque memoriam ab oblivione & interitu, integritatemque a corruptelis vindicavit, reconditas quoque antiquitates profanas juxta & sacras recensuit: quarum exacta cura eruditorum omnium admirationem, magnatum amorem, cumprimis autem Romæ Purpuratorum favorem sibi conciliavit, a Francisco Barberino Cardinale doctissimo, quem bibliothecæ & facultatum suarum hæredem ex asse scripserat, anno MDCLXI annos sexaginta quinque natus vita decedens, egregio sepulcrali monumento in Ecclesia Germanorum S. Mariæ de anima, quæ appellatur, posito (quod Lambecius libro I Bibl. Vind. Comment. p. 11. 12. & luculentius libro VI, p. 235. cum auctoris vera effigie ære expressum exhibet) cohonestatus. Plura autem extarent præclara eruditæ ejus industriæ monumenta, si per fata licuisset absolvere & in publicum emittere, quæ affecta habuit, a Lambecio lib. I. commentariorum de Biblioth. Cæs. Vindob. p. 111. & seqq. commemorata ingenii ac doctrinæ opera. Inter quæ haud postremo loco collocandum est *Stephano* Byzantino Grammatico quod impendit studium; e variis bibliothecis, Palatina, Vaticana, & Anglicana Regia, ut & gazophylaziis & nummariis thecis subsidia mutuatus, & plurimorum

etiam ἀνεκδότων auctorum adjumento infinita Stephani loca illustrans. Cujus insignis laboris fructus prorsus intercidisset, publicæ utilitati certe esset subtractus, nisi doctissimum virum *Theodorum Ryckium* notæ & castigationes, quas tumultuarias conscripserat, & in privatos tantum usus confusaneas congesserat Holstenius, nactæ essent editorem. Hic enim a Cardinale Barberino oblatas sibi anno M DC LXX ex bibliotheca Reginæ Christinæ, ejus cum venia, depromtas has commentationes doctissimas, cum confusæ eæ & quasi ab aliud agente in chartam conjectæ essent, nec ut ederentur dispositæ, publica tamen luce dignissimæ; nemo autem esset inventus, qui immaturo fœtui manum admoveret; ipse in ordinem redegit, expolivit, descripsit & summo cum studio editioni aptas reddidit, tandemque prælo commisit. Unde nuper processerunt, insignibus accessionibus locupletatæ. Nam & Holstenianis notis editor junxit *Francisci Guyeti* observationes, quas is Xylandrianæ editionis marginibus adscripserat, a doctissimo Ægidio Menagio suppeditatas; & iisdem subjecit *Scymni Chii* Geographi veteris Græci fragmenta, a Carolo Morono bibliothecæ Barberinæ præfecto subministrata, ab Holstenio Latine reddita; eruditissimique hujus viri *quatuor dissertationes* annexuit, antea quidem jam editas, sed a paucis visas: quarum *prima* veterem picturam in Barberinis ædibus conspicuam, quæ Nymphæum refert, illustrat; *altera* de significatione vocis latino barbaræ *pila staffilaris*, quæ in veteri instrumento basilicæ Vaticanæ legitur, disquirit; *tertia* de milliario aureo errorem popularem confutat; *quarta* boreæ sive aquilonis laudes, brevi oratione, coram aliquot Cardinalibus & in frequentissimo litteratorum auditorio recitata, enumerat.

Quæ singula cum industriæ Cl. Ryckii, has reliquias colligentis & publico bono asservantis debeamus, ejusdem ingenio ac eruditioni accepta referenda est coronidis loco subjecta doctissima *de primis Italiæ colonis & Ænea adventu* dissertatio, nec minus erudita *de Gigantibus* oratio. Dissertationis occasio nata ex Samuelis Bocharti epistola ad Reginaldum Segresium venustissimum Gallum, qui Virgilium vernaculo sermone expressit, Cadomi anno 1663 Gallice scripta, & a Joanne Scheffero anno 1672 Latine edita. In qua cum doctissimus vir post Philippum Cluverium probare instituisset, Æneam nunquam in Ita-

Digitized by Google

Italiam venisse, sed a Romanis id ita fuisse creditum nobilitati & vetustati gentis suæ adstruendæ studio, ut nimirum divina humanis miscendo primordia sua facerent antiquiora & clariora: Virgilium quoque nec errorem hunc illis eripere, nec gloriam gentis suæ intervertere, nec periculum existimationis aut vitæ subire voluisse, ac propterea potius ab Homero recessisse, & vulgari opinioni poema suum accommodasse; præsertim cum a poeta historici fides non exigatur, sed is commemoret res quæ geri potuerint, & veris sunt similes, etsi nunquam gestæ; ipse etiam primus hanc fabulam non excogitarit, sed omnes qui historiam ante ejus tempora composuerunt, originem Romanorum ita tradiderint: pro fabula autem habendum illud omne, quod proditum vulgo est de itinere Æneæ in Italiam, & progenie ipsius ad Romulum urbis Romæ conditorem: hæc & in hanc rem plura cum eruditis argumentis ostendisset Bochartus, eum *Dissertatione* hac adversus ipsum instituta, cumprimis capite XII, Ryckius impugnandum putavit, & fundamenta, quibus innixus fabulam esse tradidit quod veram historiam ipse putat, convellit, Æneamque cum Trojanis suis (quorum expugnationem & urbis excidium a nonnullis in dubium vocatum revera contigisse, nec a poetis esse confictum, capite IX demonstrat) patriæ flammis elapsum in Italiam navigasse, ibique regnum Albanum condidisse probat, & seriem temporum ac Regum exhibet. Ut vero status Italiæ, qui sub Trojanorum adventum fuit, magis elucesceret, de primis Italiæ colonis, Aboriginibus, Siculis, Umbris, Liguribus, Ausonibus, Auruncis, Opicis, Oscis, Læstrigonibus, Pelasgis, Oenotris, Peucetiis, Chaonibus, Tyrrhenis, Peloponnesiis, Messapiis, Japygibus, Salentinis; regno item Albano a Trojanis condito, ex cujus ruinis Imperium Romanum est constitutum, Jano etiam & Evandro, ex optimis auctoribus depromta haud vulgaria affert, quorum cognitio utilis & longe præstantissima habetur. Oratio *de Gigantibus* veterem & receptam de iis opinionem & fidem evertit, ac immensæ molis homines a poetis & historicis, Judæis etiam & priscis Ecclesiæ Patribus creditos traditosque, nunquam extitisse, sed ultra sex septemve pedes cubitosve nunquam homines excrevisse, quidquid supra jacitur fabulis & mythologiis accensendum esse, neque naturam quasi effœtam ac senio defectam viribusque destitutam hodie minori statura homines progenerare, evincit.

HISTOIRE CRITIQUE DE LA CREANCE ET DES coûtumes des Nations du Levant, publiée par le Sr. de Moni.

id est,

Historia Critica de religione & ritibus populorum Orientalium, edita a Dn. de Moni.

Francofurti apud Fridericum Arnaldum anno 1684 in 12.

MAlumus conjecturæ Lectoris relinquere, quam ex nostra definire, an Autor hujus tractatus sit, qui *Cap. II. pag. 58.* allegatur, ex historia Critica Bibliorum notissimus, *P. Richardus Simon.* Quanquam vero ea scribat cum libertate, quâ non facile sibi sumunt Romanam religionem professi, addictum tamen illi scriptorem hunc esse dubitari vix potest, inter alia ob ea, quæ *Cap. II.* contra *Smithum* Anglum, & contra *Claudium* Charentonensem pro Transsubstantiatione disputat, & dogma illud Græcæ Ecclesiæ cum Romana commune esse asserit. Fecerat idem *Arnaldus* Sorbonicus, in refutatione Claudii. Sed cum hic allata ab Arnaldo testimonia in dubium vocet, ab autore hoc alia in subsidium adducuntur. Speciatim vero de nova, & ad Transsubstantiationis exemplum inventa voce (*Μετουσίωσις*) adversus Claudium, (qui neminem ante *Gabrielem Philadelphiensem*, Latina Theologia Patavii superiori seculo imbutum, ea usum esse opinatur,) producit *Gennadium*, qui post captam a Turcis urbem Patriarcha Constantinopolitanus fuit, & integro seculo ante Gabrielem vixit: dein *Gregorium* Presbyterum, autorem Synopsis dogmatum Ecclesiæ Græcæ Venetiis anno 1635 editæ, & a *Georgio Coressio*, quem doctissimum Græcorum Theologum laudat, probatæ; maxime vero *Meletii Syrigi* librum, anno 1638. Confessioni *Cyrilli Lucaris* Patriarchæ CP. ad placita Reformatorum conscriptæ oppositum, ex quo, utpote nondum edito, excerpta sub finem tractatus exhibentur: porro *Agapium* monachum Græcum, cujus tractatus, Ἁμαρτωλῶν Σωτηρία, *Peccatorum Salvatio,* anno 1641, & iterum anno 1664 Venetiis prodiit: *Michaelis* item *Cortarii* Cretensis homiliam περὶ τοῦ ἀξιώματος τῆς ἱερωσύνης, de dignitate Sacerdotii, anno 1642. impressam. Præcipue provocat ad

ad decreta duarum Synodorum contra Cyrillum anno 1638 & 1642 habitarum, de quarũ fide Protestantes dubitare non posse putat, si maxime novissimam, Hierosolymis anno 1672 congregatam, suspectam facere velint, in qua Claudius, (quem Ὑφηγητὴν τῆς ἐν Χαρεντονίᾳ Καλβίνοις, Ministrum Calvinianorum Charentonensium vocant,) nominatim perstringitur. Allegari ait a Conventu hoc Hierosolymitano responsum *Jeremiæ* Patriarchæ, Wurtenbergensibus olim datum, & *Johannis Nathanaelis*, presbyteri & œconomi Ecclesiæ CPæ ἑρμηνείαν τῆς ἱερᾶς λειτουργίας. Explicationem Liturgiæ Sacræ a *Gabriele Philadelphiensi* scriptæ; item q; Confessionem Ecclesiæ Orientalis Orthodoxæ, sex vel septem annis antea editam, & postea ex decreto Synodi Moldaviensis a *Meletio Syrigo* correctam & explicatam, quam typis publicatam esse refert cura *Panagioti* Græci, viri in aula Turcica non obscuri. Addit deniq; historiam Cyrilli Lucaris: ut is in Germania & Dacia doctrinam protestantium haurire cœperit, dein per quendam *Metrophanem Critopolum*, (cujus tractatus de religione Græca Helmstadii excusus adducitur,) diligentius explorari fecerit, eandemq; in gratiam Batavorum, quorum ope & pecunia ad Patriarchatum pervenerit, publice professus sit, & pro Ecclesiæ suæ sententia, inconsultis Episcopis & Clero, venditaverit. Narrat etiam, ut insidiis Latinorum, inprimis Jesuitarum, bis terve dignitate dejectus, Batavorum vero industria subinde restitutus, tandem autem jussu Turcorum strangulatus fuerit, cum ob rigorosas exactiones pecuniæ, qua ad solvendum æs alienum apud Batavos contractum, opus habebat, in odium suorum incidisset. Cæterum non diffitetur, quosdam ex Clero sectatores Cyrillo fuisse, & nominat *Gerganum* Episcopum Artensem, qui adversus Transsubstantiationem scripserit, sed secundum sententiam Augustanæ Confessionis; & memorat, *Nathanaelem Cretensem* obtulisse Batavis, se Calvini Institutiones in Græcam linguam translaturum, ejusq; dogmata genti suæ propositurum esse, si pecunia, quam poscebat, præberetur. Ast *Meletii* Metropolitæ Ephesii responsum ad quæsita Theologorum *Leidensium*, ante annos triginta datum, & a Claudio allegatum, suspectum visum esse *P. Simoni* (hunc enim expresse, ut diximus, nominat pag. 25) notatur, & nunc cum exemplum ejus a Claudio impetratum fuerit, satis apparere dicitur, confictum id esse a Græco quodam, a Batavis corrupto, & ita judicaturos esse Autor confidit eos, qui ex-

excerpta ex illo, tractatui huic annexa, legerint. Hæc paulo fusius referre visum est, cum indicium de Autore ejusque religione faciant, & notitiam librorum quorundam non vulgarium afferant. Sed multitudo rerum memorabilium, in tractatu hoc licet admodum brevi congesta, excerpendi laborem fere superat, nec multo majori integer Latine verti posset. Syllabum tamen capitum subjungemus, & quædam insigniora Autoris loca adscribemus.

Cap. I agitur de Religione & ritibus Græcorum hodiernorum. *Cap.* II asseritur, ut jam prolixe narravimus, a Græcis Transsubstantiationis dogma recipi. *Cap.* III ostenditur, quomodo Græci Sacramentum Eucharistiæ adorent. *Cap.* IV tractat de religione *Melchitarum*. *Cap.* V & VI de *Georgianis* sive *Iberis, Colchis & Mengreliis*. *Cap.* VII de *Nestorianis*. *Cap.* VIII de *Indis* sive Christianis *S. Thomæ* vulgo dictis. *Cap.* IX de *Jacobitis*. *Cap.* X de *Coptitis*. *Cap.* XI de *Abyssinis & Æthiopibus*. *Cap.* XII de *Armeniis*. *Cap.* XIII & XIV de *Maronitis*. *Cap.* XV de *Mahometanis*. Adjectæ sunt in fine præter excerpta supra nonata, *Notitia* Ecclesiarum sub Patriarcha CP, una quam *Leo Allatius*, altera quam *Smithus* edidit; dein & Ecclesiarum Armeniæ sub *Patriarcha Egmiathino* dictata Amstelodami ab *Uscamo* Episcopo Armenio. Jam quæ notatu digniora duximus, hæc fere sunt. In præfatione scribit: *Maxima hæresium pars, perverso Missionariorum studio, operam suam exaggerantium, Orientalibus populis falso tribuitur, quod hoc tractatu ostendetur. Id hoc tempore, quo conciliandis in religione dissidiis plurimum laboris impenditur, non erit inutile. Demonstrabitur enim, quam sæpe fallantur, qui nimis promti sunt ad condemnandas fratrum suorum sententias. Cum voluptate sane a purioribus Catholicis legitur Expositio fidei, sapientissimi Episcopi. Ex ea constat, errores injuste a Protestantibus imputari Ecclesiæ, quos nunquam fovit. Curia Romana librum hunc approbans satis ostendit, sibi multa non placere a Theologis secundi ordinis tradita.* Iniquius etiam cum Ecclesiis Orientis actum esse, confirmat testimonio *Lucæ Holstenii in Dissert. de Sac. Confirm. ap. Græc. Idem*, pergit, *spiritus in plerisque Theologis hodie regnat: itaque non ad majorem illorum numerum, sed ad eruditionem & moderationem respiciendum est, & ad hanc normam de Expositione Episcopi judicandum, quamvis Protestantes eam pro parum sincera, & in qua vera Ecclesiæ Romanæ sententia dissimuletur, traducant.* Cap. I. pag. 5. *Cauci* Archiepiscopi quondam Corcyræi relatio

Digitized by Google

relatio ad *Gregorium* XIII. R.P. de erroribus Græcorum, adversus Leonis Allatii extenuationes ad *Urbanum* VIII, quibus schisma Græcum palliare voluit, defenditur. Pag. 17 & pag. 87 nimis verum esse scribit, Græcos primatum Papæ, eo qui in Occidenti viget modo, non agnoscere, sed unicum Ecclesiæ caput Christum facere: Patriarchis omnibus æqualem potestatem, nec Romano plus quam sedis prærogativam concedere, iisque qui contra sentiunt, anathema dicere. Confirmatur hoc adversus Allatium ex historia Missionis *Hieronymi Dandini* Jesuitæ, Italice scripta. Pag. 26. *Patriarchæ & Episcopi* (ita refert,) *cælibes vivunt, sed Presbyteri ante ordinationem uxores ducunt, imo apud Jacobitas, qui uxoribus suis a Sacerdotibus juvenibus metuunt, ad conjugium adiguntur: qui vero post susceptos ordines uxores ducunt, Sacerdotio quidem abdicantur, sed honorato & separato a Laicis loco, in Ecclesia habentur.* Pag 28 *Monachi nullo voto vel juramento obstricti, sed ex sola observantia ad regulas suas vivunt, neque tamen illas violant.* Pag. 33. 34. *Imagines Græci supra modum colunt, sed ita ut neque ad eas procumbant, nec illas alio gestu, quam osculo venerentur: & in Christi quidem imagine pedes, Mariæ manus, Sanctorum aliorum faciem osculantur. Crevit tamen hic cultus, quem* προσκυνεῖν *sive adorare vocant, a tempore Concilii Nicæni secundi, post condemnatos Iconoclastas; indeque historiæ Græcorum narratione miraculorum ab imaginibus editorum repleri cœperunt, & cum apud eos talia miracula observari cessassent, indagare illa Romæ & alibi laborarunt.* Pag. 36. *Græci multas lectionum & precum formulas, quæ Officia in Romana Ecclesia vocantur, sed nulla Breviaria habent, quibus privati utantur: ajunt enim preces illas publice in templis, non vero domi fieri debere. Itaque frustra fuit Franciscus Arcudius, cum breviarium ex Græcorum officiis seu ritualibus compilasset; spretus enim fuit liber iste, præterquam a Monachis S. Basilii prope Romam degentibus.* Cap. III pag. 64. 65. *Post tempora Berengarii majorem longe cultum Eucharistiæ exhibere cœpimus, sicut Græci post Iconoclastarum furores, imagines impensius venerari cœperunt. Ita quoad cultum Eucharistiæ, Orientales in veteri simplicitate perstiterunt. Si quis igitur illis imputat, quod symbola non adorent, is eo nomine etiam veteres accusat; neque enim quidquam in illorum libris aut Liturgiis reperitur, quod ad cultum externum, qui hodie exercetur, accedat.* Cap. V. p. 73. *Græci non distinguunt locum inferni & purgatorii, orantque pro omnibus defunctis,*

defunctis, quorum animas in inferno concludi, quasdam vero precibus Ecclesiæ inde liberari posse putant, & hoc modo purgatorium quoddam agnoscunt. Aliqui tamen, veluti Georgiani, liberari fidelium precibus ante judicium universale; etiam eos posse autumant, qui in mortali peccato & absque pœnitentia decedunt. Pag. 78. scribit: *quod nos hodie materiam & formam Sacramentorum vocamus, legem non debet facere aliis nationibus Christianis, quæ illa ignorant.* Cap. VII. pag. 83, & seq. pluribus exponitur, conciliationes Orientalium sive uniones cum Ecclesia Romana sinceras non fuisse, sed tantum emolumenti causa initas, & pro temporum statu sublatas, nec majorem constantiam inposterum sperari posse. Probatur id exemplo eorum qui *Nestoriani* sive *Chaldæi* dicuntur, ex historia *Petri Strozæ* anno 1617 Romæ edita, & ex Actis *Eliæ*, Patriarchæ illorum, cum *Paulo* V. Cap. VIII pag. 98 & seqq. cum ex relatione *Bruxellis* anno 1609 edita narrasset, quomodo *Alexius Meneses* Lusitanus, ordinis S. Augustini ArchiEpiscopus & Patriarcha Indiarum sive Goæ, Christianos illarum regionum, qui a S. Thoma cognominantur, & pro Nestorianis habentur, ad sacra Romana perduxerit, pag. 101 ita judicat: *Satis apparet, Nestorianis illis magnam vim religionis causa a Lusitanis illatam fuisse, & a Missionariis. Theologiæ Orientalis parum peritis, turbas excitatas, ob ceremonias nullius momenti. Quapropter violenta illa coactio exiguo tempore duravit, & isto modo conversi mox defecerunt, & ad obsequium Patriarchæ sui Babylonii redierunt, dicentes* (pag. 103) *Pontificem Romanum sicut ipsum S. Petrum particularis Ecclesiæ, suæ videlicet, caput esse, non vero Ecclesiæ S. Thomæ; neutram enim ab altera dependere.* Enarratis deinde (pag. 104 & seqq.) erroribus, quos *Meneses* Christianis illis imputavit, (pag. 108) subdit: *si ille, cæterique Missionarii antiquæ Theologiæ satis periti fuissent, tantum errorum numerum non invenissent. Sed cum omnia ad regulas Theologiæ, quæ in scholis Europæis docetur, exigerent, mirum non est, quod ad hunc modulum nationes Orientales reformare voluerint. Habebant illi, fateor, abusus correctione dignos, sed non erant ad nostrarum consuetudinum normam corrigendi.* [illegible] de cultu imaginum pag. 111. Postquam enim narrasset, [illegible] Nestorianos eandem, quam posterior Græcorum Ecclesia post [illegible] Nicænum II. exercuit, imaginum venerationem non in[illegible], dicit: *Archiepiscopus potuisset Christianos S. Thomæ in antiquitate*

quitate prisca relinquere; quicquid enim postea circa imagines statutum fuit, tantum ad disciplinam pertinet. & pag. 112: *falluntur Missionarii, quando de religione cum Orientalibus tractant; præoccupantur enim dogmatibus, quæ in scholis de materia & forma Sacramentorum didicerunt. Si itaq; vident infantes non eo statim momento, quo verba Sacerdotis pronunciantur, sed paulo post baptizari (hic enim in illa gente mos est.) baptismum pro nullo habent, nec attendunt ad ritum Orientalium, qui administrationem Sacramentorum certis quibusdam precum formulis peragi putant, nec Metaphysicæ tam periti sunt, quam Latini, magnumq; difficultatum numerum ignorant, quas Theologi nostri multa cum subtilitate tractant. Sed ideo nec minus pura, nec minus antiqua est religio illorum Nestorianorum.* Pag. 115. *Mirandum non est, quod Chaldæi* (Nestoriani) *tot Missas, quot Latini, non celebrent, quodq; plurimi Sacerdotes Episcopo celebranti assistant, & communionem ex manibus ejus sumant. Mos hic in Ecclesia antiquus est; is vero valde novus, quo in Ecclesia Latina tantus Missarum numerus invaluit. Introduxerunt illum Monachi mendicantes, ut Cardinalis Bona observavit. Alius etiam antiquissimus ritus est, quod qui Missæ assistunt, magnam ejus partem ipsi recitent, ea nempe ratione, quia Liturgia est actio publica ad populum æque ac ad Sacerdotem pertinens, ut facile vel ex ipsius Missæ Latinæ precationibus probari potest.* Pag. 117. *Inter errores, ut puto, referri non debuit obsequium, quod Nestoriani Patriarchæ suo præstant. Nam Orientales non aliter æstimant Patriarchas omnes, maxime Romanum, quam potestates jure positivo constitutas. Pro errore etiam taxari non debet, quod Curatos & Vicarios non habeant, sed quod ex Presbyteris natu maximus in conventu præsideat. Est hoc e contrario egregia res disciplinæ, & optandum foret, ut in tota Ecclesia stabiliretur, remedio plurimis abusibus circa sacerdotia futurum.* Cap X. pag. 123. ex *Sacchini historia Societ.* exemplum simulatæ & infidæ unionis Coptitarum cum Pontifice Romano refertur. Patriarcha enim Gabriel, qui honorificis verbis Papam ut patrem patrum, pastorem pastorum, & omnium Ecclesiarum magistrum in literis appellaverat, cum urgeretur illi obedientiam promittere, respondit: post Concilium Chalcedonense & stabilitos plures Patriarchas, nullum horum ab alio dependere, sed singulos suæ Ecclesiæ capita & supremos præsules esse, & si Patriarcha Romanus in errores incideret, illum a reliquis Patriarchis judicari de-

 bere

bere. Cap. XII, poſtquam de Armenis ex *Galani* relatione multa recenſuit, pag. 137. memorat, ſe cum *Uſcâmo* Epiſcopo *Uscovanchi* Armeno, anno 1664 Amſtelodami converſatum eſſe, ubi is juſſu Patriarchæ ſui, Biblia lingua Armenia imprimi curabat: mortuum illum eſſe Maſſiliæ, quo permiſſu Regis ſe contulerat, ad alios etiam libros Armenios edendos; quanquam id non ſatis placeret Congregationi Cardinalium *de propaganda fide.* Obſervavit autem (pag. 145) linguam Armeniam rudem, nec multum cognitam eſſe, & hodiernam ab antiqua differre, ut populus difficulter Liturgiam & alios libros rituales intelligat: Biblia autem Armenia ex verſione LXX Interpretum traducta eſſe tempore Joh. Chryſoſtomi, opera cujusdam *Moyſis* cognomento *Grammatici*, & *Davidis Philoſophi:* Tunc etiam characteres a *Mesropo* quodā in oppido *Balu* ad Euphratem inventos fuiſſe. Cap. XIII p. 150, 151 ſcribit: *apud Maronitas, licet Pontifici ſubditos, Monachi nullo voto obſtringuntur, nec ullam functionem Eccleſiaſticam exercent: Sacerdotes non privatim, ſed collecti Miſſam recitant, celebrante uno, & Sacramentum ſub utraq; ſpecie omnibus, etiam laicis*, (id quod apud omnes Græcos, ſectasque affines continue factum eſt, & adhuc fit,) *porrigente, quamvis Miſſionarii Pontificis quotidie communionem ſub una introducant.* Pag. 156. & ſeqq. dubitat an Maro, a quo Maronitæ nomen habent, orthodoxus fuerit; quanquam id *Beſſo* Jeſuita, tum *Gabriel Sionita* & *Abrahamus Ecchellenſis*, noviſſime vero hujus cognatus & ſucceſſor *Fauſtus Nairo*, aſſertum eant. Conſuetum eſſe ait Maronitis, aliisq; Orientalibus, criſis hiſtoricæ imperitis, tempora confundere, & ad antiquiora referre, quæ multis ſeculis recentiora ſint. Ideo nec Johannis Maronis Commentario in Liturgiam S. Jacobi plenam fidem habendam. Laudat tamen & non inutilem eſſe exiſtimat *Naironis*, quam allegavit, *diſſertationem de origine, nomine & religione Maronitarum*, Romæ anno 1679 editam, & optandum eſſe ait, ut edatur volumen *Liturgiarum Orientalium*, cujus ſpem Patriarcha Maronitarum in Epiſtola ad Naironem fecit, putans fore, ut Liturgiæ iſtæ cum Miſſa Latina concilientur. Cap. XV. pag. 165. & ſeqq. de religione Mahometana ex Judaiſmo & Chriſtianiſmo fere compoſita, peregrinantium cauſa, obſervationes non vulgares affert, & rudia atque inficeta Alcorani figmenta, ſenſu parabolico aliquando intelligi debere putat; imo doctrinam de moribus & conſcientia ſatis accuratam, ne-

que

que tam laxam esse putat, quam eam, quæ a quibusdam nostri seculi Theologis, quos *Casuistas* vocant, traditur. Hæc ex plurimis aliis selecta, Autoris eruditionem & candorem ostendunt, & quomodo in multis recedat ab iis, quæ ab Ecclesiæ suæ Doctoribus vulgo tradi solent. Ex actis vero cum Orientalibus, pro eorum cum Ecclesia Romana unione, non pauca observari merentur, ex quibus documentum capi potest, in propaganda religione & tollendo schismate, circumspecte procedendum, & a violentia pariter ac dolis abstinendum & cavendum esse.

HISTOIRE DE L' ORIGINE ET DU PROGRES des Revenus Ecclesiastiques, par Jerome a Costa &c. sive

Historia de origine & progressu Redituum Ecclesiasticorum, in qua ex veteri & novo jure tractatur, quidquid pertinet ad materiam Beneficiorum, Regalium, Investiturarum, Nominationum, & aliorum jurium, quæ Principibus attribuuntur.

Autore Hieronymo a Costa, Jur. Doctore & Protonotario Apostolico.

Francofurti apud Frid. Arnaldum, 1684. in 12.

ETsi affirmare nolimus, quod Autor hujus tractatus idem sit, qui *Historia Critica de religione Orientalium*, eandem tamen & omnigenæ eruditionis, & ingenui candoris laudem, non immerito tribuere illi possumus. Cur autem verum nomen occultaverit, haud difficulter conjicient, quibus rigor censorius in hujusmodi libros non est ignotus. Ex epistola ad Abbatem quendam præmissa apparet, Autorem jam anno 1677, rogatum scilicet ab amico isto, Notas ad libellum *Pauli Sarpii* de materia beneficiaria composuisse, simul & hunc tractatum in supplementum Paulini libri elaborasse. Distinctus is in libros & capita non est, ordine tamen commodo materiam prosequitur: ita ut ab initio usque ad pag. 155. exponat statum redituum Ecclesiasticorum in prioribus seculis, & quo usque secundum priscos Ca-

nones regimen Eccleſiæ utcunque exercitum fuit; poſtea ſecunda veluti parte referat, quæ mutata ſint ſequioribus ſeculis, & nunc uſurpentur, ſecundum jus recentius, & ex arbitrio Pontificum Romanorum, aut Regum Principumque potentia.

Incipit a conſideratione communionis bonorum in Eccleſia Hieroſolymitana, cujus ortum aut anſam a Judæis deducit, quibus lege divina incumbebat, ut pauperes ſuæ gentis & Synagogæ alerent, eamque ob cauſam, quoties Sabbathis aliisque feſtis congregabantur, ſtipem conferebant. Hoc utpote ex lege charitatis & morali obligatione debitum, Chriſtianos Apoſtolorum autoritate inductos, ab initio quidem, pro temporis neceſſitate, largiori contributione & venditis fundis exercuiſſe docet, ſed non eodem modo in alias provincias propagaſſe. Nec enim diu duravit contributio illa & diſpenſatio Hieroſolymitana, ſed alibi ſatis viſum eſt, more Synagogico in cœtibus publicis ſtipem exigere & conferre, quanta ad uſum pauperum requirebatur. Inter hos autem ſine dubio connumeratos fuiſſe ſcribit Eccleſiarum miniſtros, qui populo docendo aliisque ſacris officiis occupati, & ab alia victus quærendi ratione abſtinentes, alimenta jure maximo a fidelibus ſumebant. Tunc itaque, ut ſtatuit, extra eleemoſynas nullum erat Eccleſiarum peculium. Decimæ enim a Levitis & Sacerdotibus perceptæ poſtmodum cum ipſa Judæorum Republica interciderunt, nec aliis populis imperari poterant. Quemadmodum igitur Judæi ſub aliena ditione viventes, *Archiſynagogos, Presbyteros, & Diaconos* in cœtibus ſuis habebant, & collata ſtipe alebant, quod & hodie faciunt,) ita etiam Chriſtianorum miniſteria ab Apoſtolis, Judaicæ gentis morisque viris, ad eandem formam conſtituta eſſe aſſerit, & hac occaſione notat, Epiſcopos Chriſtianorum, ad exemplum Archiſynagogorum, inter Presbyteros non poteſtate aut jurisdictione, ſed ordine & honore primi loci eminuiſſe, nec ad illos, ſed ad conſeſſum ſive collegium omnium Presbyterorum, diſtributionem collatæ pecuniæ pertinuiſſe. Hoc ſatis quiete obſervari potuiſſe, quamdiu unus Epiſcopus & unum Presbyterium in ſingulis urbibus, unusque ad cœtum & ſacra locus eſſet. Sed cum aucta Chriſtianorum multitudine, plures ædes ſive templa ſeparatis titulis, (ut poſtea vocabantur,) inſignienda requirerentur, quibus ſinguli paſtores præponendi erant, creviſſe Epiſcoporum potentiam, ex uſu & neceſſitate rerum & temporum, ſive, ut

Hiero-

Hieronymus Comm. in Ep. ad Tit, censet, *Episcopos magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris majores factos esse.* Notat porro, ex politia Græcorum quædam ad externum Ecclesiæ regimen translata fuisse: inde *diœceses*, ipsumque *Ecclesiæ* nomen, duplici tamen modo intellectum, ut aliquando conventum seniorum & primorum populi, aliquando omnium coitionem significaret, quam *Agoraiam* vocaverint. Græcorum etiam in fingendis novis vocabulis genio deberi nomina *Metropolitarum*, *Archiepiscoporum*, *Patriarcharum*, sequentibus temporibus inventa, ad majorem honoris & exterioris jurisdictionis titulum significandum. Antea enim ignota ista fuisse, & eundem Episcopi, & Presbyteri sive senioris, ordinem ex impositione manuum dependisse, & hunc quoque ritum ab Apostolis ex Synagoga retentum. Addit Rabbinos tradere, impositionem hanc non a Præside solum, sed omnibus Presbyteris simul peragi solitam fuisse, & ex Hieronymo refert, Presbyteros Alexandrinos Episcopo ex suo collegio electo manus simul imposuisse.

Ex his constare ait, frustra de fundationibus redituum Ecclesiasticorum, istorum seculorum tempore quæri, & ante *Constantinum M.* nullos fundos in Ecclesiarum dominio fuisse; illumque Imperatorem primum omnium permisisse, ut quemadmodum Paganorum templa, ita & Christianorum, legata & donationes capere possent. Sed memorabile esse Hieronymi judicium, scribentis *in vita Malchi*: *Ab eo tempore Ecclesia potentia & divitiis quidem major, sed virtutibus minor facta est:* Et *Chrysostomum* (*hom. 86. in Matth.*) valde queri de Episcopis & Clericis, villarum suarum & litium cura distractis, & tempus consumentibus. Observatus non multo post fuit abusus, cum Episcopi fructuum maximam partem, cum damno pauperum, suis & numerosæ familiæ alimentis & commodis impenderent. Huic malo varie provisum, constitutis in oriente *Oeconomis*, qui Episcoporum expensis moderarentur. In occidenti cautum fuit, ut quarta tantum redituum pars Episcopo, tres reliquæ Clero, pauperibus, & fabricæ Ecclesiarum ex æquo assignarentur, ut constat inter alia ex constitutione *Gelasii Papæ Can. Vobis enim 23. C 12. Q. 2.* Putat tamen ex hac partitione tantum lites natas fuisse, nec præcaveri potuisse, quo minus Episcopi & Prælati bona Ecclesiastica ad privatæ possessionis titulos & modos redigerent, sub dominatu præsertim barbarorum Regum, qui occi-

occidentalis Imperii regionibus potiti erant. Nec tamen negat, etiam in Oriente divitiarum cupiditatem, captationes hæreditatum aliaque vitia, de quibus Hieronymus & alii queruntur, apud Clerum invaluiſſe. Inquirit deinde in originem Monachorum, & hos ab initio tantum vitandæ turbæ, piæque & ſobriæ vitæ cauſa, in ſolitudines ſeceſſiſſe obſervat, victum manuum labore quærentes, & laicorum numero habitos, adeoque, ut iſti, paſtorum & epiſcoporum curæ ſuppoſitos. Allectos autem poſtea optimos, maximeque induſtrios ex illis in Clerum, & variis functionibus ab Epiſcopis admotos, & horum indulgentia ex diſtributione eleemoſynarum adjutos fuiſſe; aliquando etiam ſuo auſu in urbes veniſſe, & litibus clericorum, aut factionibus populi immixtos turbas dediſſe, ut Canonum decretis ad eos coercendos opus fuerit. Serius obtinuiſſe, ut paſtorem ex ſuo ſodalitio ſibi præficerent, & ædiculas ſacras ſuis uſibus exſtruerent. Vivendi regulam ex *S. Baſilii* & *Antonii* ſcitis habuiſſe, verbis differentes, inſtituto uno, ad præceptorum Evangelicorum accuratiorem obſervantiam, & civilis vitæ ſtrepitum vitandum directo: nec aliud *S. Benedicto* monaſteriorum in occidente autori propoſitum fuiſſe, eumque ex iisdem regulis & legibus ſuam concinnaſſe.

Oſtendit deinde, quibus occaſionibus, & quo progreſſu, indulgentibus primum, deinde & invitis Epiſcopis & Clero, in alium plane ſtatum ordines Monaſtici pervenerint; dum ſingulari cultus & diſciplinæ ſpecie, populi favorem in ſe traherent, & ex donationibus, quas *pro remedio*, (ut loquebantur,) *animæ & ad Miſſas* privatim celebrandas affatim accipiebant, opibus & poſſeſſione fundorum locupletarentur; cum interea Epiſcopi regias aulas frequentarent, Clerus doctrinam & mores negligeret, & templa quæ vocant Parochialia & bona Eccleſiaſtica, potentia & injuria laicorum vaſtarentur & alienarentur. Addit, ut Monachi multis modis rem quæſiverint & auxerint: ut fundos, quos ipſi colere non poſſent, ad certa tempora & generationes, cenſum pacti elocaverint, quod *convenientiam* & *precariam* vocabant: utque etiam non parum lucrati ſint, dum ex clauſtris ſuis, in quibus communi victu utebantur, *Anachoretas* emiſerint, auſteriori vita & ſanctimonia populum attrahentes, & ex ejus liberalitate monaſteria ditantes. Notat non abſtinuiſſe eos emtione bonorum, vi & ſpoliis a laicis quæſitorum, pro quibus vile pretium ſolvebant. Acceſſiſſe

Prin

Principum privilegia, (*chartas libertatis & praecepta regalia vocabant,*) per quae immunitas a tributis concedebatur, in iis praesertim fundis, qui ex regiis donationibus acquirebantur; addita ceremonia *baculi vel annuli*, qua Abbates, vel *sceptri*, qua Episcopi, cum possessio iis traderetur, honorabantur, quod *Investitura* vocabatur. Factum hinc, ut etsi Praelati a sodalibus suis, (*Canonicis & Conventualibus,*) eligerentur, id tamen, ut ex electionum quarundam actis probatur, non fieret, nisi sciente, & electum ad possessionem fundorum, in clientela sua jacentium lubenter admissuro Principe. Nullas ait illo tempore, & ante discordias & bella cum Imperatoribus, Pontificum Romanorum partes in conferendis Praelaturis earumque bonis fuisse: sed circa *Henrici* IV & *Gregorii* VII. tempora, cum Principes aut Episcopi tuto adiri non possent, aut ob factionem, ad Pontificem extra ordinem itum, & ab eo confirmationes impetratas fuisse; quae postea in jus & debitum tractae fuerint, tantoque majorem Romanae Sedi autoritatem & potentiam acquisiverint, quanto delibiora semper Principum & Episcoporum jura, non sine ipsorum culpa fiebant. Ad diminuendam vero Episcopalem autoritatem id quoque spectasse, quod Pontifices multum ex illa ad se traherent, & inprimis monasteriorũ patrocinia susciperent, eaque ab Episcoporum jurisdictione eximerent, imo bona, si quando decimas & alios reditus Ecclesiarum ex detentione laicorum subinde recuperassent, fere Monachis tribuerent; hi enim vulgo Clericis ordinariis, (qui *seculares* vocantur, quia non ut Monachi a seculo scilicet separati, religiose vivunt,) praeferebantur, ignorantia & luxuria odiosis. Adeo vero Monachorum gratia valuit, ut maximi Episcopatus iis concrederentur, donec successibus corrupti eandem invidiam incurrerent, & ex hac non parum ad ipsos Pontifices redundaret, quod ex querela *Richardi* I Angliae Regis (seculo XII) in Chronicis *Gervasii* probat. Ploravit is in consessu Episcoporum, & *se miserum non Regem esse* dixit, *cum plerasque Regni opes in particulas innumeras distractas, Monachi albi & nigri, & ordinis diversi Canonici possiderent.* De curia Romana ita vero lamentatur: *Romani, propter debilitatem vestram, adeo nobis infesti sunt, ut nobis solummodo videantur imperare; literulas suas nobis vendunt, nec justitiam quaerunt sed litigia fovent, multiplicant appellationes, redimunt placitantes; & cum solum pecuniam appetunt, veritatem confundunt, pacemq; subvertunt.*

Sed

Sed non tantum in Anglia, verum per totam, qui Christianis Principibus subest, Europam eo ventum est, ut Papæ omnem potestatem in bona Ecclesiastica sibi supremo & proprio jure arrogarent, non ignari maximam eorum partem ex mera Principum liberalitate profectam, quam inprimis *Otto* I Imperator, & proximi successores profusissime exercuerunt, civitates, pagos, villas cum omni jurisdictione Ecclesiis donantes: quamquam etiam per vim quædam Principibus & Laicis erepta fuerint, ut *Paulus Venetus* notavit.

Examinat vero autor, quo jure Pontificia illa potestas nitatur. Cum igitur Papæ triplicem personam gerant, nempe *Episcopi Romani, Patriarchæ Occidentis, & capitis Ecclesiæ universalis*, primam illam nihil ei extra diœcesin tribuere; quoad reliquas, notorium esse ait, si ad probationes de facto respiciatur nullum privilegium extare, per quod collatio omnium beneficiorum & dignitatum Ecclesiæ in toto orbe Christiano Romæ vindicari possit. Omnes enim & singulas provincias de Ministris Ecclesiæ sibi ipsas prospexisse, nec Romam recurrisse, sed difficultates, si quæ nascebantur, in Synodis provincialibus sopitas fuisse. Neminem ante jus novum scripsisse, quod solus Episcopus Romanus, tanquam S. Petri successor, omnem jurisdictionem Ecclesiasticam habeat, & quod cæteri Episcopi tantum sint ejus Vicarii & delegati. Interim tamen hodie Pontifices prætendere, autoritatem suam in reditus & bona Ecclesiæ jure divino fundatam esse: maxime vero *Innocentium* III ex jure Primatus S. Petro concesso id asseruisse, ita ut huic juri, utpote divino, nec præscriptum fuerit, nec præscribi potuerit, etsi per aliquot secula pro temporis necessitate non exerceatur. Neque tamen ignorasse illum existimat, omne jus antiquum assertioni suæ resistere, & evidens esse, quod electiones, translationes, & depositiones Episcoporum in Synodis provincialibus, sub autoritate Regum, tractatæ & peractæ fuerint, causæ minores vero simpliciter ab arbitrio Episcoporum dependerint. Papas ne cogitaturos quidem unquam de jure hodie stabilito fuisse, nisi incidentibus de validitate electionum litibus, partes Primæ sedi decisionem detulissent. *Undecimo* etiam *seculo* exempla adhuc reperiri, quod resignati & translati Episcopatus in Conciliis Provincialibus fuerint, nullo Pontificum interventu: itaque occasione a privatis arrepta, confirmationem, quæ nunc usurpatur, Romam sibi acquisivisse. *Canonistas* quidem, qui Pontificem *Collatorem*

Colla-

gitized by Goog

Collatorum, & *Patriarcham Patriarcharum* vocare, & ex *S.Leonis & Gregorii* aliorumque etiam Patrum testimoniis monstrare, Patriarchatus Antiochiæ, Alexandriæ, & Romæ a S. Petro fundatos, & inde jus in omnes Ecclesias orbis Pontificibus quæsitum esse; sed non posse negari, incognitum fuisse hoc jus antiquis, nec nisi in libris *Decretalium* reperiri, quanquam hodie etiam isti nonnisi partem novi illius juris, multa etiam obsoleta contineant, & summum Curiæ Romanæ principium sit, Papam magistrum legum & Canonum, quibus Ecclesia gubernari debet, esse, & pro temporum, locorum & causarum statu abolere antiqua, statuere nova posse. Quod si a Principibus executioni *Brevium & Bullarum Papalium* resistatur, facile ad transactiones sive *Concordata* perveniri: sed id Romæ pro indulgentia, & spontanea atque temporaria juris stricti remissione haberi, quæ futuris temporibus & casibus minime præjudicet. Sic elidi, quæ objici solent, quasi jus Pontificium ex pactis illis oriatur; & licet speciatim in Gallia executio Bullarum, cum *Libertatibus*, quas vocant, contraria sunt, decretis regiis impediatur, Romæ tamen Bullas integras in acta referri, earumque jus alio forte tempore valiturum, saltem hoc modo integrum servari.

Pergit inde ad describendum jus illud novissime inter Regem & Pontificem disputatum, quod *Regalia* vocant (cum nempe reditus vacantium Episcopatuum & Abbatiarum, donec successori conferantur, Regio fisco vindicantur) & ab *investitura*, quæ alias eodem Regalium nomine appellari solet, distinctum est. Statuit autem, sub prima & secunda Regum familia, imo etiam sub initiū tertiæ, ignotū illud fuisse, primamque ejus mentionem *seculo XII* sub *Ludovico juniore & Philippo Augusto* fieri; antea vero fructus vacantium beneficiorum, cura Metropolitarum futuris Prælatis servatos fuisse. In Anglia tamen & Hibernia idem quod in Gallia invaluisse, contradicentibus ubique Conciliis & Episcopis: sed in Germania Constitutione *Friderici* II. vetitum. In *Concilio Lugdunensi* conventum decretumque esse, ut regi maneret, quatenus fuisset exercitum, illique regulæ Reges & curias Regni plerunque acquievisse. Sed *anno 1673* regio edicto jus istud universaliter in omnes diœceses, quatuor solummodo exceptis, assertum, & introductum esse, ut jam frustra hac de re disputetur. Agit postea de singulari *Regum Siciliæ* jure, quod *Monarchiam* vulgo vocant, suprema

 ma

Digitized by Google

ma nempe poteſtate Eccleſiaſtica, quantam & qualem Pontifex ſibi attribuit & per Legatum a Latere exercere poteſt, Regi ejusque vicario & Collegio, quod ſacrum vocant, competenti. Hoc posſident & exercent, ſive conceſſione *Urbani II*, ſive alio titulo Hiſpaniæ Reges iidemque Siciliæ Domini; quicquid contradicatur Romæ, aut quondam ſcripſerit *Baronius*. Fieri itaque poſſe, ut delata regni ſucceſſione, uti fas eſt, ad fœminam, non minus quam in Anglia ſub *Eliſabetha* cum ſumma Pontificum indignatione factum fuit, etiam fœmina caput in Sicilia evadat.

Hæc ex priori tractatus parte, cum generalia ſint, magnaque cum libertate ſcripta, nec probationibus deſtituta, prolixius cum bona, ut ſperamus, Lectorum venia excerpſimus. In ſequentibus jus novum, quod hodie circa beneficia & reditus Eccleſiarum ſub Hierarchia Romana uſurpatur, & quomodo in Gallia per *Libertates* moderationem patiatur, exponitur. Docet enim autor, quo jure Pontifex Romanus in collationibus beneficiorum utatur, ſive quid ſit *Præventio*, *Devolutio*, *Vacantia in curia*, *Menſes Papales*, *Concordata*, *Commenda*, *Uniones*: quæ circa hæc Cardinalium & Capitulorum *jura* quædam ſingularia; quid *perſonatus* ſive dignitas ſine onere. Agit etiam de juribus *Nominationum & Patronatus* Eccleſiaſtici & Laici, & quomodo id exerceatur in Gallia, quando Patronus Laicus Reformatam religionem profitetur: quid ſint *Prioratus* & *Obedientiæ*; quid obſervetur in *Abbatiis Commendatariis*, & quomodo Abbates tales a *Regularibus* differant, & quæ pacta inter illos & Monachos, aut alia jura intercedere & ſervari ſoleant. Licet autem contra ejusmodi *Commendas* multæ ſint querelæ, autor tamen judicat, & adducto ex Trithemio teſtimonio monſtrat, non minores fuiſſe de Abbatum mala adminiſtratione, antequam *Commendæ* fieri ſolerent, & nunc quoque minus periculum a Commendatariis eſſe exiſtimat, quia tertia tantum redituum pars illis tribuatur, altera Monachis, reliqua oneribus Eccleſiæ deſtinetur. Addit notabilia de *Hoſpitalibus*, & qui inde originem habuerunt, *Equitum ordinibus*: *De reſignationibus in favorem*, quas dubitat, diſpenſante licet Pontifice, a vitio *Simoniæ* abſolvi poſſe. Explicat jus *Graduatorum* quos vocant in Academiis Gallicis, quibus beneficia Eccleſiaſtica ſingularibus privilegiis tribuuntur. Quoniam vero quædam Collegia ſacra, aut Patroni nonnulli, exemtiones adverſus collationes extraordinarias

dinarias allegare solent, aliquando tamen falsas producunt, hac occasione *notas* quasdam sive κριτήρια suppeditat, per quæ vera diplomata a falsis & suppositiciis dignosci possint. Expendit denique, quæ fides habenda sit *Chartulariis*, (*libri copiales* alibi vocantur,) in quibus descripta vetera instrumenta contineri & ostendi solent.

TRAITE' DE MORALE, PAR L' AUTEUR de la Recherche de la Verite,

id est:

Tractatus Moralis, Autoris qui librum de *Inquisitione veritatis* edidit. Pars I & II.

Roterodami apud Regnerum Leers, 1684 in 12.

NOn minus constat, autorem hujus tractatus esse *Malebranchium*, Presbyterum Oratorii, quam si nomen ejus palam præscriberetur. Nemo enim ignorat, ipsum esse qui librum de *Inquisitione veritatis* scripserit, quem in titulo, & passim in tractatu pro fundamento allegat, sicut & alia quæ edidit, *Meditationes* puta *Christianas*, & *Vindicias sententiæ suæ de Ideis*, ab *Arnaldo* impugnatæ, de quibus in *Actis hujus anni mense Majo* egimus. In hoc autem *Moralis disciplinæ* libro, iisdem principiis innititur, quæ in prioribus scriptis suis stabilivit, eorumque explicandorum occasionem sæpe sumit, ne, ut circa tractatum *de Natura & Gratia* infeliciter factum queritur, male intellecta axiomata sua, adversariis denuo bilem moveant, & ipse in suspicionem hæresis, quam omnibus modis a se amolitur, & quam destruxisse se potius suis principiis confidit, incurrat. An vero etiam hic tractatus examen & censuram evitaturus sit, dies docebit. Interim ingenium viri acutissimum, & res gravissimas subtilissimasque concinne eloquendi & describendi non vulgaris industria, nemini non probabitur. Dogmata ipsa, & *terminorum* novitatem examinare, non est nostri instituti; sicut nec facile fuit, per compendium summam omnium, quæ in tractatu hoc continentur, complecti. Necesse enim, sed nimis operosum fuisset, ad libros Autoris, in quibus principia sua proposuit, subinde recurrere; neque tamen vel sic certi fuissemus, an sententiam ejus satis percipere, aut vocabula Gallica, quibus notiones suas expressit, ita Latina reddere potuissemus, ut ambiguitas

guitas & obscuritas evitaretur. Planiora forsitan omnia essent, si materiæ, non uni genti, sed plurimis usui futuræ, aut ansam certe disquirendi multiplicem daturæ, lingua literatis communi, & phrasibus atque terminis receptis proponerentur, vel hi ante omnia ab æquivocatione liberarentur: quod postremum quidem doctissimus autor ipse animadvertit, & in hoc tractatu bene multos ita explicavit, ut minori nunc difficultate intelligi posse videantur.

Duæ hujus operis partes sunt. *Prima* generalis fundamentum virtutis & adquirendæ media exhibens. *Altera* ad specialiorem officiorum enumerationem procedit. Nemo hic *Ethicam Aristotelicam* expectet, aut mere Philosophicam, sed omnia ex ratione qualem præsupponit, deducta, & ad eam omnino relata. Rationem vero humanam in principio cap. I. sic definit: *Esse Verbum aut ipsam Dei sapientiam.* Addit: *Rationem esse universalem, cum omnes creaturæ sint entia particularia. Per medium rationis societatem homini esse cum Deo, omnibusque intelligentiis; omnes enim spiritus commune nobiscum bonum habere, nempe rationem. Societatem hanc spiritualem consistere in participatione ejusdem substantiæ intelligibilis Verbi, ex qua omnes spiritus nutriantur. Contemplando hanc divinam substantiam, videri ex parte posse quædam, quæ Deus cogitat, quia Deus videt omnem veritatem, homo quasdam. Posse etiam sciri quædam, quæ Deus vult: Deum enim nihil velle, quam secundum ordinem, at ordinem non plane incognitum esse homini, &* quæ sequuntur. Quod vero de *Verbo* scribit, alibi & inprimis *cap. XXVI. part.* 2. ita clarius exprimit: *Quis nos ducet ad rationem? quis nos legibus ejus submittet? quis nos veros ejus discipulos faciet? Ipsa hoc præstabit Ratio, sed incarnata, humilis, visibilis & sensibilis facta, infirmitati nostræ accommodata. Jesus Christus videlicet, Patris sapientia, Lumen naturale & universale intelligentiarum.* Et post pauca: *Jesus Christus, illeque solus, ad rationem nos potest ducere, & unire personæ suæ divinæ per ministerium humanitatis clarificatæ. Nostra natura in ipso subsistit per rationem, & per illum ratio regnabit in spiritu & corde nostro. Nam propter rationem creati sumus, per hanc sumus intelligentiæ: secundum eam formati sumus, & secundum eandem reformari debemus. Jesus Christus crucifixus sancta nostra hostia est, & Sacrificii exemplar, quod nos quoque offerre debemus, amorem nempe proprium*

a mori

Digitized by Google

amori ordinis immolantes. Reſuſcitatus eſt & conſummatus in Deo, conſtitutus Pontifex ſecundum ordinem, cujus figura erat Melchiſedech. Ille eſt fons fœcundus cœleſtis influentiæ, quæ ſola docere nos poteſt, quomodo, ut ille, ſacrificare naturam noſtram corruptam debeamus, & ita eſſentiam plane divinam mereri, transformationem glorioſam, & incorruptibilem, & perfectam cum principio noſtro reunionem, ut unice vivamus, ex ſubſtantia intelligibili Rationis, per charitatem divinam, in pace & ſocietate æterna. De virtute vero & perfectione hominis ita ſtatuit: conſiſtere eam in amore & obſequio ordinis; ex hoc officia ſive debita fluere, quæ cum virtute ipſa, quæ non ſit niſi unica & ſola, *Amor* nempe *habitualis*, (quem vocat,) *ordinis immutabilis*, & hunc in effectu nihil differre ait a charitate, quam Chriſtus præcipit, *in qua pendet univerſa lex & Prophetæ*, Matth. XXII. 40, perperam confundantur. Amorem vero alium eſſe *unionis*, qui ſoli Deo debeatur, alium *benevolentiæ*, qui ad proximum referatur; docet etiam, quomodo amor ſui ſive proprius, purgatus & in Deum reflexus ſubſiſtere poſſit. Oportere vero amorem *liberum*, *habitualem*, *dominantem* eſſe, licet in actu quandoque deficiat. Habitus ab actibus produci, actus ab habitu: acquiri autem habitum gratia divina, non viribus liberi arbitrii: principia vero ſive qualitates, quibus modus naturalis voluntatis noſtræ determinetur, duo eſſe, *lumen* & *ſenſum*. Per lumen revelari bonum; per ſenſum ſive delectationem, quam mens percipit, oſtendi præſentiam boni. Luminis *cauſam occaſionalem*, (hoc enim termino utitur, melius ut putat expreſſurus quidquid intelligitur per cauſam *naturalem*, *inſtrumentalem*, *ſecundam*, *diſtributivam* (vid. Cap. VIII, §. 4.) eſſe *attentionem*, donum poſt lapſum rariſſimum, & ad quod per fidem perveniatur. Poſſe quidem ſimpliciores autoritati Eccleſiæ acquieſcere, ſed enitendum quantum fieri poſſit, ad attentionis perfectionem, quam deficiente magis idonea voce, nominare ſe velle ait *(Force d'Eſprit)* robur mentis ſive ſpiritus, quo objecta ſenſibus oblata evitentur, & ideæ puræ concipiantur. Obſtare huic ſcientias, quæ inflant, indeque fieri ut doctiſſimi & ingenioſiſſimi fere, & quos *Eſprits forts*, ingenia valida vocant, pietate & religione careant. Per functiones etiam in republica, quibus nimium occupamur, haud parum attentionem impediri. Regulam vero attentionis & meditationis tradit, ut nonniſi ideæ claræ, ſive ſimplices ſive comparatæ, & experimenta irrefragabilia pro

objecto habeantur, ne incerta, veluti larvas & ſpectra pro veris ſequamur. Intrandum eſſe unicuique in ſemetipſum, neque quenquam mortalium eſſe, qui id non aliquando faciat, reluctante licet phantaſia & affectuum intemperie. Sed abripi pleroſque contrario corporis niſu, quod ſe ipſum pro centro mundi habeat, imo omnia fervori affectuum poſthabeat, & quaſi immolet. Diſtinguit etiam *inſtinctum* ab *attentione*: illum aliquando bene agere, ſed eodem ardore etiam in falſa ferri, amore proprio deceptum. Huic detegendo, & per injectum pudorem & metum corrigendo, evidentem divinæ voluntatis cognitionem neceſſariam eſſe, gratiæ auxiliis per attentionem omnino quærendam. Præter hanc vero exigit etiam *libertatem*, ut loquitur, *ſpiritus* ſive animæ, qua ſuſpendatur judicium & aſſenſus, donec evidentia appareat; per hanc periculum erroris a conſuetudine, autoritate & præjudiciis vitari. Sapientiorem Ariſtotele, imo Platone & Socrate fore ait, qui vel uno anno omnia quæ audit annotet, eorumque veritatem libere ſecum expendat. Utiliſſimam enim & maxime neceſſariam eſſe cognitionem hominis in genere, & ſui ipſius individualem. Denique poſt formatum attentione & libertate judicii intellectum, *obedientiam* exigit, habitum nempe obſequii, divinis auxiliis parandum, adverſus multiplices phantaſiæ ſive imaginationis errores, & affectuum ſeu paſſionum motus. Ad hoc precibus & Sacramentorum uſu opus eſſe. His hactenus per *capita octo* deductis, parte 1. c. IX agglutinat, ſectæ ſuæ ſerviens, cultum B. Virginis & Sanctorum, tum inprimis Angelorum. Poſtea ad rem regreſſus, objecta ſenſuum omnino cavenda eſſe docet, & de horum atque ipſius animæ facultatibus ſententiam ſuam, per aphoriſmos ex prioribus libris excerptos explicat *c. X.* Perſpicua magis ſunt, & inſignem pietatem ſpirant, quæ cap. XI de mortificatione concupiſcentiæ, cap. XII de vitio ingenii acris, vividi, ſive elegantis (*bel esprit*) & cap. XIII de affectuum natura & vilitate inquirenda & detegenda commentatur. Atque hæc fere ſunt, quæ pars prima *Speciminis* hujus, (ita enim p. 236. vocat) *Moralis* complectitur; doctrina ſcilicet de *virtute*, quam conſiſtere facit præciſe *in amore ordinis immutabilis habituali & dominanti*; item de qualitatibus principalibus ad adquiſitionem virtutis neceſſariis, quas ſtatuit *robur & libertatem mentis* ſive ſpiritus; de *cauſis occaſionalibus* (aut ſi quis malit dicere *inſtrumentalibus*) *lumine* ſeu illuminatione, & *ſenſu* ſive delectatione; de cauſis

perce-

perceptionum, ſeu delectationum, quæ gratiæ adverſantur. Hæc & quæ propter illa præſupponuntur, vel inde deducuntur, Theologis & Philoſophis disquiſitionis materiam ampliſſimam præbere poſſunt.

Secunda parte non de virtutibus (quia nonniſi unam, veluti matrem & dominam agnoſcit,) ſed de *officiis* vel *debitis* virtutis præſtandis a cap. XIV ad XXIV tractat, conciſis ſententiis, quarum multæ, ut ipſe nō diffitetur, paradoxæ videri poſſunt, & accurate ad principia autoris expendi debent. Præmittit monita de facilitate lapſus hominis, etiam ſolida virtute præditi, quia non ſemper agit ſecundum *influentiam habitus dominantis*, ut loquitur, ſed ſecundum *activitatem paſſionis, actualiter excitatæ*: actionem enim omnimodo virtuoſam non procedere tantum debere ab homine virtuoſo, aut actualiter etiam moto ad amorem ordinis, ſed & in omnibus circumſtantiis ordini conformem eſſe debere, nec caſu quodam felicis determinationis, ſed vigore rationis, qua ad explenda omnia debita ducamur. Itaque non ſufficere inſtinctum, qui ſæpe ab affectibus inſpiratus indiſcreto zelo mentes impleat; quanquam apud Deum etiam excuſentur, qui ſi ſimpliciores ſunt, & affectibus validis impares, ſapientiorum & meliorum ductum ſequantur. Addit alia huc pertinentia, hortaturque omnes, ut ſtudio diligentisſimæ in ſemetipſos inquiſitionis & cognoſcendi officii ſui, ſingulis diebus aliquod tempus tribuant, idque linguarum & Matheſeos notitiæ, omnibusque occupationibus præferant; ab hoc enim pendere æternitatem. Inde diſtincte tradit *cap. XV usq;* ad *XVIII* officia erga Deum, ejus ſapientiam & amorem, triumq; perſonarum characteres. *Cap. XIX & XX* de officiis in ſocietate tractat, ex quibus potiſſima & neceſſaria maxime ſint, quæ interna vocat, & omnibus aliis, ubi diverſi reſpectus concurrunt, præferenda; ea nempe, quæ ad ſocietatem æternam, ſive ad animæ ſalutem proximo commendandam ſpectant & quodammodo procurandam. Ibidem accurate explicat, quid omnibus debeatur, etiam malis & inimicis & perſecutoribus; dein quid meritis debeatur, quæ officia vocat æſtimationis, & relativa. *Cap. XXI* de officiis agit, quæ vocat benevolentiæ & reſpectus, *Cap. XXII* quid debeatur Principibus & magiſtratibus, *Cap. XXIII* de conjugum, parentū & liberorum officiis. Cap. XXIV docet, quomodo cogi debeant externo rigore, qui rationis imperium reſpuunt. *Cap. XXV & XXVI* quid æqualis conditionis homines ſibi invicē debeant, & de natura veræ amicitiæ, & bonæ

Digitized by Google

bonæ converſationis. Tandem *c. XXVII* breviter & per ſyllabum addit, quæ ſibi quisque debeat. Ex hoc ſpeciminis loco quædam, non invito, uti confidimus, lectore adſcribemus: cætera enim niſi integra legantur, referri non poſſunt, cum ſingulæ fere periodi præcepta & monita minime protrita & vulgaria contineant. Scribit autem *d. c. XXVII. p. 216. Officia erga nos ipſos in genere hæc ſunt: aſſueſcere debemus attentioni, & per eam acquirere vigorem mentis & judicii. Aſſentiendum non eſt, niſi iis quæ ſunt evidentia, & ſervari debet libertas ſpiritus, ſive judicii. Studendum eſt ſemper cognitioni hominis generali, & ſui cujusq;, ut nos perfecte cognoſcamus. Lex divina noctu dieq; meditanda eſt, ut exacte eam ſequamur. Ordini obtemperandum cum humilitate & contemtu ſui. Juſtitiæ divinæ recordari debemus, ut eam metuamus & per illam excitemur. Mediatoris noſtri meminiſſe debemus, ut eum invocemus, & per illum conſolationem capiamus. Intuendus eſt Chriſtus, ut noſtrum exemplar; amandus ut ſalvator noſter; ſequendus ut noſtra fortitudo, noſtra ſapientia, & principium æternæ felicitatis noſtræ. Mundus per ſenſus noſtros nos decipit, mentem turbat imaginatione, raptat & præcipitat nos in extrema mala, per paſſiones & affectus noſtros. Rumpendum eſt periculoſum commercium, quod cum eo per corpus noſtrum habemus, ſi unionem augere cupimus, quam cum Deo habemus per rationem; duæ enim hæ uniones, animæ cum Deo, & animæ cum corpore ſunt incompatibiles. Uniri perfecte non poſſumus Deo, niſi corporis utilitates deſeramus; ita tamen ne id contemnamus, nec immolemus, nec perdamus; neq; enim fas eſt, illud occidere, neq; ſanitatem quidem corrumpere. Corpus non eſt noſtrum, ſed Dei, ſed patriæ, ſed familiæ, ſed amicorum. Conſervandum vero eſt in vigore ad uſum, quo nobis opus eſt. Sed non eſt conſervandum adverſus ordinem Dei, & cum damno hominum. Idem de honoribus & opibus noſtris judicium eſto. Omnia ſunt Dei & charitatis, ideoq; conſervanda, impendenda, ſacrificanda in honorem & obſequium legis divinæ ordinisq; immutabilis & neceſſarii.*

Hoc quoque monendum eſſe duximus, autoris dicta quædam ex aliis parallelis explicari debere; *v. g. cap. I. § 13.* ſcripſerat animata inanimatis præſtare, & inde infert, *qui equum ſuum pluris æſtimat, quam famulum aurigam; qui lapillum in majori pretio habet quam muſcam: non judicat ex ratione univerſali ſed particulari, non ex amore ordinis, ſed proprio.* Incidere hæc putes in argutias, quas merito exploſit *Voſſius*

l. 2. de

l. 2. de idol. c. 41. Creata enim (ait) *metienda sunt non tam ex forma quam ex fine, utpote causa independente, quæ & merito causa causarum dicitur, nec adeo desipiunt minutiarum æstimatores, quin scyphum aureum pulici, domum magnificam præferant muscæ.* Sed Noster isthæc non negat, imo *cap. 20. §. 11.* idem docet: *Omnis perfectio* (scribens) *æstimabilis quidem est in se, sed aliquando majoris æstimatur relative: adamasculice imperfectior est, sed ob usum hominum multo pluris æstimatur: perfectio naturalis prævalet acquisitæ; sed adamas impolitus pulchritudine cedit polito. Merito itaque pro stulto haberetur, qui Philosophum agere, & muscam smaragdo, silicem magnum & rudem adamanti politissimo & pretiosissimo præferre vellet.*

SPECIMEN LIBRI DE MOMENTIS GRAVIUM &c. Autore I. F. V. Lucensi.

Ad illustrissimum & Eruditissimum D. Antonium Magliabechium Sereniss. Magni Ducis Etruriæ Bibliothecarium.

Romæ ex Typographia Rev. Cam. Ap. 1684.

F*Undamenta Scientiæ de Motu uniformiter accelerato D. Alexandri Marchetti, quæ mecum liberaliter dudum communicasti, Vir Illustrissime, ansam dederunt mihi, ad falsam judicandam Propositionem illam, cujus demonstrationes, a celeberrimis Mathematicis Galileo ac Torricellio tentatas, parum solidas esse, D. Marchettus asseruerat. Hujus mei judicii rationes, unico theoremate comprehensas (quod uberius explicamus in Exegesibus nostris Physicomathematicis, de Momentis Gravium, de Vecte, ac de Motu æquabiliter accelerato, quas ad prælum tamdiu paravimus) ad Te mittere decrevi, Ornatissime Magliabechi: ut per Te, literariæ omnis generis gazæ sequestrem, quid una tecum de hac Propositione censeant, & de toto Opere, quod etiamnum premimus, quid conjiciant Homines Eruditi, facilius ac securius intelligere possim. Vale, ac Tui studiosissimum amare perge.*

I. F. V.

INsignes Mathematici, Galileus, Torricellius, Wallis, Marchettus, ac plures alii, existimant esse veram hanc Propositionem: *Momentum totale gravis, ad momentum quod habet super plano declivi, est ut*

 longi

longitudo plani declivis ad perpendiculum, cujus contradictoriam sic demonstro.

Si graue conformatum in globum, nitatur plano horizontali, radius IK, perpendicularis horizonti, est linea directionis, per quam centrum I exigit descendere perpendiculariter. Si vero idem globus nitatur duobus planis inæqualiter decliuibus XC, ZC (quæ pro hac demonstratione sint æqualis longitudinis, & faciant angulum rectum XCZ; cum perpendiculo vero XN, quod sit æquale rectæ CO parallelæ horizonti, & cum recta NC, horizonti parallela, quæ sit æqualis perpendiculo ZO, constituant triangula rectangula XNC, COZ, inuicem æqualia) radius IH, parallelus plano XC, per quem centrum I exigit descendere super XC, est linea *directionis*, *respectu* descensus super XC, ac radius IF, parallelus ad ZC, est linea directionis, respectu descensus super ZC.





Jam, sicut planum horizontale, sustinet pondus æquale momento, quo globus exigit descendere perpendiculariter; quia globus momentum suum totale censetur exercere in radio IK, planum vero horizontale, applicatum in K, ac totaliter impediens descensum perpendicularem, resistit illi momento per virtutem æqualem: Ita planum ZC, sustinet pondus æquale momento, quo idem globus exigit descendere super XC; quia momentum globi ut descendat super XC, censetur exerceri in radio IH; & planum ZC, tangens globum in H, ac totaliter impediens ejus descensum super XC, toti illi momento (quod respectu totalis est solum partiale) resistit per virtutem æqualem: Planum XC, sustinet pondus æquale momento, quo globus exigit descendere super ZC; quia momentum globi ut descendat super ZC, censetur exerceri in IF; ac planum XC, tangens globum in F, & impediens descensum super ZC, resistit momento globi per virtutem illi æqualem. Itaque momentum totale globi, sustinetur plano horizontali; momentum super plano XC, sustinetur plano ZC; momen-

mentum ſuper ZC, ſuſtinetur plano XC. Quia vero *momentum totale globi ſuper plano horizontali, æquatur momentis partialibus ſimul ſumtis ejusdem globi ſuper planis declivibus XC, ZC*; ſicut pondus globi, quo gravatur planum horizontale, æquatur partibus ponderis ejusdem globi ſimul ſumptis, quibus gravantur plana ZC, XC: Si momentum totale ad momentum ſuper plano declivi XC, ſit ut XC ad XN; ac momentum idem totale, ad momentum ſuper ZC, ſicut ZC ad ZO, nimirum ut XC ad NC (quia ex hypotheſi XC eſt æqualis ZC, & NC eſt æqualis ZO) momentum totale ad momenta partialia ſimul ſumpta, eſt ut hypotenuſa XC, ad latera XN & NC in directum poſita, ejusdem trianguli XNC. Atqui hypotenuſa XC, non eſt æqualis lateribus XN & NC, ſed eſt illis minor. Ergo ſi totale momentum ad partialia, ſit ut XC, ad XN & NC, momentum totale non æquatur, ſed eſt minus momentis partialibus ſimul ſumtis. Ergo momentum totale. ad momentum ſuper plano declivi XC, non eſt ut longitudo plani XC, ad perpendiculum XN.

Hæc demonſtratio non videtur obnoxia ulli exceptioni, quia ſi momentum totale, ac momenta partialia, conſiderentur in uno & eodem globo, vel in globis æqualibus; velocitas qua globus deſcendit perpendiculariter, ad velocitatem, qua deſcendit ſuper plano declivi XC; impulſus, quo globus conatur deprimere planum horizontale, impediens deſcenſum perpendicularem, ad impulſum quo conatur deprimere planum ZC, applicatum in linea directionis, & impediens deſcenſum ſuper XC; onus quo gravatur planum horizontale, ad onus quo gravatur planum ZC; momentum totale ad momentum ſuper XC, habent unam, & eandem rationem, quod ſufficiat indicaſſe.

Ex his aliisque principiis legitime demonſtratis, in Exegeſi de momentis gravium deprompta eſt proportio Momenti totalis ad partiale, ac ceteræ quæſtiones reſolutæ ſunt. Quum autem tum vectis communis, tum ille quem continent gravia impedita ne deſcendant ſuper planis declivibus, ſeipſos non agnoſcant in quorundam libris: idcirco utriusq; natura, in Exegeſi de vecte, nova methodo indaganda viſa eſt; ac voto exitus reſpondit. Demum in Exegeſi de Motu æquabiliter accelerato, præter motum ipſum facilius ac brevius expoſitum; propoſitiones, quæ antea nitebantur falſis principiis de Momentis gravium, emendatæ ſunt novæ nonnullæ additæ.

Ttt 2 Cum

Digitized by Google

* * *

Cum præmissi speciminis, quod ad verbum huc transcripsimus, Autor aliorum de proposito hoc Theoremate sensa experiri publicatione ejus voluisse videatur; non ægre laturum putavimus Cl. Papebrochium (*cujus humanitati copiam ejus debemus*) *si idem Viro* μαθηματικωτάτῳ, *inque hoc studiorum genere versatissimo communicaremus: cujus censuram, maturo Autoris aliorumque, quibus argumentum hoc studiose tractare visum fuerit, judicio permittimus. Sic autem laudatus Vir in literis 7. Oct. Lipsiam missis.*

Objectio Viri, ut apparet, peringeniosi, contra receptum, & mea sententia demonstratum Staticorum Theorema, non contemnenda est quidem, solvi tamen omnino potest negando momenta in planis XC & ZC in unum posse addi, ut componant momentum gravis absolutum; & fraudi Viro docto fuisse videtur, quod illa vocavit partialia, hoc totale.



Quid enim si grave sustentetur a duobus planis XC inclinato, & AC verticali? Utique momenta in ambobus planis in unum addita non possunt æquari uni ex ipsismet, totum parti; quod tamen secundum objicientis sententiam fieri deberet: momentum enim in plano verticali utique est ipsum momentum gravis absolutum.

CAMPEGI VITRINGA SS. THEOL. D. ET PROF. Ordinar. Sacrarum Observationum Liber Primus.

Franequeræ apud Johannem Gyselaar. 1683 in 4.

Juveniles hæ sunt cogitationes officio docendi publice optimo ætatis flore præfecti, a communibus sententiis aliorum magna libertate recedentes, nec acumine ingenii tamen aut eruditione destitutæ.

Cap. 1. verba Genes. XI. 6. 7. ex quibus linguarum confusio facta asseritur, interpretatur de fraterno omnium in omnibus consensu ante susceptam ædificationem turris; DEUM autem ad impediendum opus cœptum, sermonem structorum confudisse, ut instar balborum vel balbutientium loquentes, alter alterum intelligere non posset; vel

(quam

(quam alteram expositionem subjicit, si forte prior displiceat) dissensum in illos immisisse, ut ageret id quisque, quod sibi non aliis allibuerit. Hunc esse textus sacri sensum conatur probare ex phraseologia, ejusdemque reliquias putat se invenisse in Rabbinis. Huc etiam refert Hesiodi carmen, in quo a Philologo celeberrimo, qui legendum esse ἐπιχθόνιοι pro ἰσοχθόνιοι nuper censuit, dissentit. Ad illam autem expositionem se inductum profitetur cap. 2. & 3 argumentis iis, quibus constet, linguas omnes, præter Ebræam, per successum temporis natas esse, non ex confusione earum ad Babylonem. Nam (1) Chami posteri, qui maxime debebant esse obnoxii supplicio, quod Genes. XI in extructores Babylonicæ turris pronunciavit DEUS, diu post illa tempora dialectum Hebræam habuerunt intaminatam. Cui assertioni fidem facit, tum allegando argumentum *Bocharti* petitum ex Jes. XIX. 19, ubi ex confessione etiam *Aben Esra*, lingua Canaan sit Ebræa: tum ostendendo, Phœnices & esse Cananæos, & lingua Ebræa usos. (2) Canaanitarum & Chaldæorum eadem fuit lingua. Servus Abrahami Syrus Damascenus, in Abrahami educatus familia, ubi nullam audiverat nisi linguam Hebræam, in Mesopotamiam profectus homines illius regionis intellexit loquentes, ipse quoque vicissim ab ipsis fuit intellectus, Gen. XXIV. Ergo Mesopotamitæ & Canaanitæ sive potius Hebræi eadem tunc usi sunt dialecto; vel linguæ eorum adeo non variarunt, ut intelligere se invicem nequiverint. Jacobus juvenis ex Canaanitide & patria familia, ubi tantum linguam Ebræam didicerat, loquitur cum Mesopotamiis, Genes. XXIX. Quare tum temporis Chaldæorum atque Ebræorum dialectus adeo variata non fuit, ut loquentes se invicem non intellexerint. Nomina Laban, Lea, Rahel, & quæ liberis suis imposuerunt, Ruben, Simeon, Levi, Jehuda, Dan & cætera, mere sunt Hebraica. Quæ originaria esse, non a Mose secundum linguæ Hebrææ genium flexa, uti post alios *Grotius* ac *Huetius* existimarunt, multis indiciis suadet. (3) Jobus Arabs cum amicis, inter quos Eliphazus gente Idumæus, Elihu Chaldæus extitit, disseruit. Arabismos, qui in libro Jobi reperiuntur, non arguere inquit, linguam Arabicam ætate Jobi jam fuisse; esse enim a sequioris ævi homine, qui celebrem illam historiam pulchre expoliverit, variis dicendi modis insignibus exornaverit, plurimis exemplis illius ætatis illustraverit, auxerit, atque in parabolarum quasi modum, quibus adeo fœcundi se-

 quio-

quiores fuerunt Arabes, redegerit: & ita poſtmodum in Hebræum ſermonem eſſe verſam. Quam conjecturam ut ſtabiliat, evincere laborat, tempore Jobi Arabicam dialectum nondum extitiſſe. Patere id opinatur ex nominibus Jobi & filiarum ejus, Ebraiſmum non Arabiſmum ſpirantibus Et ne ſuſpiceris rurſus, ea nomina in ſermonem Hebræum eſſe tranſpoſita, partim ad diſcurſum ſupra inſtitutum remittit, partim urget nomina Ebræa amicorum Eliphazi Idumæi, & Tſopharis Arabis. Adjicit etiam, fratres Joſephi cum Arabibus mercatoribus miſcuiſſe ſermonem Ebræum. Atque hæc ſunt argumenta, quibus perſuaſus eſt Vitringa, diu poſt ædificationem turris Babylonicæ gentes omnes orientales ſemet invicem intellexiſſe loquentes, atq; unicam linguam Ebræam vel Ebrææ ſimilem, omnibus illis populis per totum orientem diſperſis fuiſſe uſitatam. Quod ſi obtinet, concludit, nullam factam fuiſſe linguarum confuſionem in exſtructione turris Babylonicæ. Occurrebat locus, hactenus aſſertam opinionem valde premens ac tantum non evertens, Geneſ. XXXI. 45.56. ubi acervum lapidum compoſitum Laban Jegar Sahadutha, Jacobus Gilead appellarunt. Quam difficultatem vero tollit dicendo, Labanem non *impoſuiſſe* nomen acervo lapidum Jegar Sahadutha, ſed id quod Ebraicum etiam uſurpavit Laban Chaldæus, ſequentibus temporibus, quibus dialectus Chaldaica & Syriaca Judæis uſitata eſſe cœpit, translatum eſſe in illud idioma, quod uſurpare Chaldæos Ebræi animadvertebant illa ætate, qua recenſionem librorum ſacrorum fecerunt. Qualem mutationem hic contigiſſe, conquiſitis exemplis aliis veriſimile conatur efficere. Tandem differit, qua ratione ſucceſſu temporis tanta linguarum ex Hebræa ultimato ortarum extiterit varietas, quantam noſtra ætate quoque animadvertimus.

Cap 4. præfatus de vera Kabbala, i. e. genuinis πατροπαραδότοις, traditionibus, quas ſub œconomia Inſtrumenti veteris obtinuiſſe ex Luc XI. 52. aſſeverat, compendium ejus Cabbalæ in decem ספירות Sephiroth ſeu numerationibus explicare aggreditur. Nomina Ebraica, quibus illæ conſtant, ſonant Latine: *Corona, Sapientia, Intelligentia, Magnificentia, Severitas, Gloria, Victoria, Majeſtas, Fundamentum, Regnum.* Quibus non, ut vulgo volunt, ſummas DEI perfectiones & virtutes in mundi creatione atque regimine hominibus patefactas ſignificari, ſed μυςήριον incarnationis futuri Meſſiæ adumbrari

brari probat, tum ex figura vocum, conſtanter in typis impreſſis juxta figuram corporis humani (uti in icone appoſita cernere eſt) diſpoſitarum, tum ex figuræ iſtius & nominum ſingulorum accommodatione ad Chriſtum facta, ductu Scripturæ, potiſſimum Apocalypſcos Johanneæ. Id ingenioſe exequendo, & plurima Scripturæ loca explicando monſtrat, Schechina aliquando Chriſtum, aliquando Spiritum S. Judæis antiquis notare, contra Buxtorfium: falſo omnes pene Scripturarum interpretes credere, ſuper Arca ſacra reſediſſe nubem cum igne, quæ ſymbola eſſent præſentiæ divinæ.

Cap. 5. varia Sanctæ Scripturæ loca promiſcue exponit & illuſtrat, partim conferendo cum dictis quibusdam in N. T. ſententias ex Pirke Avoth & Codice Sanhedrim; partim voces & locutiones ſacras aliter ac hactenus, interpretando, ut Geneſ. XXXII. 1. 2. c. XLIX. 4. II. Sam. I. 18. c. VI. 2. Jeſ. VII. 6. 9. c. XIV. 4. 8. c. XXI. 1. Zach. III. 9. Matth. V. 17. Gal. IV. 26. II. Theſſ. II. 1. I. Timoth. VI. 3. 4. II. Petr. I. 3. Act Luc. I. 27. 73. 74. aliter verba diſtinguit. Circa Pſalm. XXII. 17. criſin Grammaticam exercet, deducens qua ratione factum ſit, ut legatur in textu hodie כארי, cum ſcriptum eſſe deberet כארים Phariſæorum nomen opinatur convenientius derivari a פרס Paras, hoc eſt, mercede, quod mercedem poſt hanc vitam exſpectandam hominibus aſſeverarint adverſus Sadducæos inficiantes, quam quod communiter tradunt, a פרש ſeparare.

Adjiciuntur Indices copioſi, quibus tum loca Scripturæ aliorumque Auctorum, tum vocabula Hebræa ac Græca explicata, tum res præcipuæ indicantur.

GUILIELMI SALDENI SS. THEOL. D. OTIA Theologica ſeu exercitationum ſubciſivarum varii argumenti libri quatuor.

Amſtelod. apud Henricum & Viduam Theodori Boom. A. C. 1684. in 4.

QUod Scipionem Africanum dicere ſolitum Cato retulit, & Ambroſius in epiſtola quadam ad Sabinum imitatus eſt, *nunquam*, ajens

ajens, *minus otiosus sum, quam cum otiosus*, idem Cl. Saldeno convenire judicamus. Nunquam enim minus otiosus fuisse videtur, quam cum post scripta ascetica vernaculo idiomate elaborata, & *Concionatorem sacrum* sex abhinc annis editum, otia hæc Theologica tractaret. Certe Ultrajectinæ Academiæ Theologi laboriosa hæc Otia ubique acre Viri judicium, indefessum laborem, & multivariam lectionem spirare, publico testimonio censuerunt, eaq; ob gratam argumentorum varietatem, omnigenam eruditionem & criticæ libertatis modestiam, lectoribus in ipso limine commendant.

Universum opus in quatuor libros distributum est, quorum primus novem, secundus decem, tertius undecim, & quartus totidem exercitationes continet, fortuito magis quam exquisito ordine locatas. In primo enim libro de primo scriptore, de autore Pentateuchi, de philavtia, de salvandorum paucitate, de Præadamitis, de potu zelotypiæ, de canis pretio, de calculo albo, & de surculo in carne Pauli agitur.

Secundus complectitur exercitationes de mundi natali, de Protoplastis, de typorum V. T. usu & abusu, de creaturarum bonitate, de horto Hedenis, de fratricidio Caini, de polygamia V. Testamenti, de Juda Iscariote, de veritatis Divinæ professione, & de abnegatione fidei.

Ad tertium referuntur dissertationes de Hamane, de virga Apostolica, de Hebræorum כרת, de Angelorum creatione, de libri Estheræ divinitate, de eunuchis, de susceptoribus, de Angelorum lapsu, de Sadducæis & Pharisæis, de orationis efficacia & loco, & de arboribus Paradisi.

Quartum denique constituunt lucubrationes de jure zelotarum, de certitudine fidei divinæ, de jejuniis religiosis, de mendicantibus in Israele, de parabolis Evangelicis, de publicanis, de rationis humanæ & Spiritus S. operationibus in rebus spiritualibus, de regenitorum relapsibus, de Felice & Drusilla, de juramenti illegitimi obligatione, & de loco nativitatis Christi.

In his exercitationibus propositas materias non tam operose & diffuse Autor amplificat, quam strictim discutit, & subinde data occasione ad alia digreditur, ut & brevitate & varietate lectoris animum delectet. Quem in finem etiam antiquitates sacras & profanas, sapientum gnomas & argute dicta, exempla, adagia, aliosque oratorum & poëtarum flosculos passim inter spergit, & jucunda utilibus permiscet,

sive

ſive circa textum aliquem Biblicum, ſive circa locum aliquem communem theoreticum aut practicum verſetur. Speciminis loco, cum ſingulas enarrare non liceat, unicam *de canis pretio* e tanto exercitationum numero ſelectam paucis perluſtraſſe ſufficiat.

Nimirum peculiari lege canis pretium ſanctuario inferri ſapientiſſimus Legislator vetuit, quod edictum Deut. 23. expreſſis verbis conſignatum exercit. 7. lib. 1 explicaturus Autor, multa de canum fidelitate, vigilantia, ſagacitate aliisq; præclaris dotibus præfatur, eamq; in rem haud pauca exempla & teſtimonia e variis Autoribus adducit, eadem occaſione Græcorũ proverbio βλέπε κύνα, & comparationi Paſtorum cum mutis canibus, quæ apud Eſaiam cap. 56. legitur, lucem aliquam affundens. Deinde quantis nonnulli canes ſuos vel in deliciis habuerint vivos, vel honoribus proſecuti fuerint mortuos exponit; ubi inter alia *H. Grotii* ſententiam vellicat, qui Matth. 15. v. 26 & 27. vocem τῶν κυναρίων ad canes melitæos reſpicere in annotatis ſuis arbitratus eſt. His aliisq; præmiſſis inquirit, cur hoc animalium genus Deo usque adeo inviſum fuerit, ut ne quidem pretium eorum in ſanctuarium inferri permiſerit. Etſi enim circa legis hujus ſenſum variæ ſint interpretum ſententiæ, quæ theſ. 8. recenſentur, & ex his nonnulli, ut *Pellicanus, Coccejus*, & *Fridlibius* per canis petium quæſtum qualemcunque ex re impura & turpi redundantem; alii vero ut *Junius, Piſcator & Simeon de Muis* pueros meritorios intelligant: Saldenus tamen refutatis rationibus pro puero meritorio adductis, ad eorum ſententiam, qui verba Moſaicæ legis proprie accipiunt, accedit, & per canis pretium nihil aliud, quam canis ſive venditi ſive permutati ἀντάλλαγμα indicari cenſent. Quamvis autem hic liberrimum Dei arbitratum ſufficere, nec rationes quæ penes Deum fuerunt, cur iſta ſtatueret, nimis ſcrupuloſe inquirendas exiſtimet, non deeſſe tamen cauſas utcunque probabiles ſtatuit, quarum præcipuas in medium afferens canem animal non ſolum ex lege immundum, ſed vile etiam & contemptum eſſe, ex ritu ignominioſæ κυνοφορίας nobilibus ante capitale ſupplicium injunctæ, cujus exemplum in *Guntheri Ligurino* & *Ottone Friſingenſi* legitur, nec non ex talorum infelici jactu, qui apud *Propertium* & *Perſium* canis & canicula vocatur, item ex malo canum omine, aliisque argumentis, & ſacris pariter ac profanis teſtimoniis demonſtrat. Hinc ad canum impudentiam & obſcœnitatem progreditur

ditur, a qua & Cynicos Philoſophos nomen ſuum adeptos aſſerit, *Lomeierum* perſtringens, qui Chriſtum de canibus Lazari ulcera lingentibus locutum, ad conſolatores partim religioſos, partim civiles, h. e. oratores a Demoſthene canibus comparatos, & Philoſophos Cynicos digitum intendiſſe ſtatuit. Accedit & alia cauſa, cur ſanctiſſimum Numen impuriſſimi hujus animalis pretio ſanctuarium ſuum pollui noluerit, idololatria nempe gentilium, qui vel canes Diis ſuis mactabant, vel ipſos canes ut Deos venerabantur. Utrumque Autor ex variis gentilium ſacris prolixius deducit, & cur Anubis Ægyptiorum Deus caninum caput retulerit diſquirit, obſervans ex Maimonide, Deum in plurimarum legum ceremonialium conſtitutione ea præcipue Iſraelitis commendaſſe, quæ vicinis gentibus exoſa fuerunt, & prohibuiſſe, quæ cæteris gentibus gratiſſima fuerunt. Quam obſervationem exemplis nonnullis illuſtrat, ut cuivis pateat quid de *Spenceri*, *Marshami* aliorumque ſententia ſtatuendum ſit, qui Deum cum legem laturus eſſet, ut populum duræ cervicis & κακοζηλίας vitio nimis laborantem eo facilius in officio contineret, in pleriſque cerimoniis ſeſe ad Ægyptiorum, quorum mores Iſraelitæ imbiberant, aliarumque gentium ritus accommodaſſe tradunt. Agnoſcit tamen etiam gentiles quoſdam, & in his Lacedæmonios animal hoc averſatos fuiſſe, & apud ipſos Ægyptios canem ex parte priſtini cultus honore tandem excidiſſe. Cauſas autem repudiati pretii canini hactenus enumeratas, ad quas poſtremo loco etiam deteſtanda hujus animalis ingratitudo additur, non divellendas ſed conjungendas eſſe monet, ne quis objiciat, cur non aliorum etiam animalium haud minus impuritate aliiſque vitiis laborantium pretium ſanctuario inferri cautum fuerit? Cæterum cum hæc divina conſtitutio, quamvis ſanctuario Judaico & univerſo ejus apparatu abolito, cum reliquis cerimonialibus legibus ad vetus teſtamentum ſpectantibus ceſſaverit, nihilominus tamen quoad genus omnium bonorum Deo indignorum, qualia ſunt facultates & opes per vim aut dolum acquiſitæ, etiam ad Chriſtianos pertineat, quæſtio hic movetur: an prout bona qualiacunque illicita Deo pauperibusque offerre nefas eſt, ita etiam pauperibus ea accipere illicitum ſit? Ad quam Autor propoſita prius dubitandi ratione ſex concluſionibus ſic reſpondet, ut pauperes talia accipientes ab omni crimine penitus abſolvat. Ultimo quæritur: an tam abſolute Iſraelitis

litis

litis illicitum fuerit canis pretium ſanctuario inferre, ut nunquam impune id facere potuerint. Scrupulus hic oboritur ex Eſaiæ XXXIII, 18, ubi quæſtus Tyri meretricius Deo ſanctificandus dicitur. Eadem enim ratio videtur pretii canini, quod in lege Moſaica cum quæſtu meretricio conjungitur. Verum reſpondet Saldenus, etiam in decreto Apoſtolico abſtinentiam a ſuffocato & ſcortatione conjungi, cum tamen diſparſit utriusque ratio, nec ejusdem generis eſſe pretium ſcorto datum, quod Moſes ſanctuario inferri prohibet, & quæſtum ex mercibus injuſte comparatum, qui metaphorice apud Eſaiam meretricius appelletur, & a Tyriis non amplius impiis ſed jam converſis Deo conſecrandus prænuncietur. Tandem cum Autores nonnulli, ut jam ſupra dictum eſt, per canem puerum meritorium intelligant, de horrendo illo παιδεραστίας flagitio multa diſſerit, quod non ſolum inter gentiles, verum etiam in papatu frequenter uſurpatum prolixius oſtendit.

Ex his quæ dicta ſunt, de cæteris exercitationibus facile erit lectoris judicium. Quare nihil amplius addimus, quam exercitationem de jure Zelotarum, quæ primum libri quarti locum occupat, jam A. C. 1678, una cum Concionatore ſacro, cujus mentionem ſupra fecimus, editam eruditis viris ſalivam moviſſe, & plura hujus generis ab Autore expoſcendi occaſionem ſubminiſtraſſe, ut ipſe in præfatione Otiis his præmiſſa refert; in qua etiam exercitationem ſuam de Juda Iſcariote adverſus *Gronovium*, qui Pricæana ſententia, quam etiam Saldenus fovet rejecta, Judam non præcipitem ſed laqueo periiſſe contendit, breviter vindicat, eumque Theophylactos, Caſaubonos, Pricæos, Heinſios, Calovios, Voſſios, Grotios, Gerhardos, aliosque præſtantiſſimos viros a ſe diſſentientes, pro exiguo ſuper quo diſceptetur argumento, ſtylo nimis aculeato exagitare queritur.

QVINQVAGINTA NOMINA DEI A LEOnardo Leſſio, & totidem Divinorum Operum Erotemata a Johanne Euſebio Nierembergio, Jeſuitis, fuſius conſcripta, nunc in ſuccincto Compendio a Johann. Dubsky, ex eadem Societate,

Pragæ *edita* A. 1684 in 12.

SCio quantopere bonis artibus faveas, quantum gaudii capias, ſi Nobiles Juvenes dignum aliquid Majoribus ſuis faciant; quo feſtinantius nuntio tibi, inquit Plinius Epiſtol. L. V. 17. ad Spurinnam, poſtquam adoleſcentem verba facere coram auditoribus, non absque applauſu audiviſſet. Idem ſibi faciendum eſſe putavit Autor doctiſſimus, poſtquam non unus, ſed numero plures, inter quos eos nonnulli natalium ſplendore Illuſtres Juvenes Pragæ, jure meritoque ſuo, Magiſtri Philoſophiæ renunciati eſſent. Primus inter hos Illuſt. Dn. Dn. Antonius Johannes a Würbna, S. R. I. Comes in Würbna & Freudenthal, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Dni Dni Bernardi Ignatii, S R I. Comitis a Martinitz, Dynaſtæ in Smetzna, Slana, Horſovitz & Camarau, Equitis Aurei Velleris, S. Cæſ. Regiæque Majeſtat. Conſiliarii Intimi, Camerarii, Regii in Regno Bohemiæ Locum tenentis & Supremi Pragæ Burggravii, Herois in Toga Meritiſſimi, nepos e filia dilectisſimus, virtutum avitarum æmulus ac hæres felicisſimus. Nunciare igitur hoc feſtinanter voluit Dubskyus, & quidem Interprete hoc libello ſuo, quem laudatis Magiſtris illis, quorum Doctor hactenus fuerat, ſolenniter obtulit, publiceque dedicavit. Nec ſterilis hæc aut hiſtorica tantum nunciatio fuit, ſed fœcunda, ſed plena rerum divinarum, quas docet & pertractat. Argumentum nimirum ejus Deus ipſe, cujus quinquaginta Nomina, docte non minus quam apte a perfectionibus ejus & operationibus petita, e Lesſio primum, deinde totidem divinorum Operum Erotemata e Nierembergio nervoſe proponuntur, eleganterque declarantur. *Ne plura*, ita pergit Plinius d. l. *(quanquam libet plura, quo ſunt pulchriora de Juvene, rariora de Nobili;)* nam illa omnia Libellus ipſe Lectori exhibebit; cujus etiam examini atque judicio ea, quæ in eo ex notisſimis Romanæ Eccleſiæ hypotheſibus intermixta reperiuntur, more noſtro committimus.

THEOPHILI BONETI M. D. MEDICINA Septentrionalis collatitia.

Genevæ apud Leonh. Chouet. 1684, in fol.

QUam egregie de re Medica, tum novis inventis anatomicis, tum experimentis chymicis, morborumq; curandorum rationibus, Septen-

ptentrionis quoque gentes meritæ ſint, ac hodieque mereantur, nemo eſt qui ignoret. Certe viros doctiſſimos, quos vel hoc ſeculo ſeptentrio genuit, recenſere omnes difficile fuerit, qui indagandis naturæ arcanis ſtrenuam felicemque manum admoverunt, inventorumque ſuorum ac obſervationum participem totum orbem ſtudiis hiſce operantem reddiderunt. Proſtant publice, præter privatorum erudita opera, quibus ars medica in ſeptentrionis regionibus hactenus exculta eſt, *Regiæ in Anglia Societatis Transactiones Philoſophicæ*, *Miſcellanea Academiæ naturæ Curioſorum in Germania*, *Acta Hafnienſia a celeberrimo Bartholino congeſta ac publicata*; ex quibus palam eſt, quantum in hiſce regionibus ſaluberrima illa medendi ars, naturaliumque rerum ſcientia paucorum annorum ſpatio profecerit. Quemadmodum vero illa, ſeu a privatis, ſeu ab integris ſocietatibus profecta, ac luci publicæ expoſita ſcripta, magno hactenus uſui fuerunt: ita rem publico gratiſſimam utiliſſimamque ſe facturum exiſtimavit Cl. *Bonetus*, ſi quæ ſparſim in illis nulloque ordine exhibentur, præclariſſimarum rerum obſervationes compilaret, ac certa ſerie diſpoſitas ſuosque in locos juſtumque ordinem redactas, in unum alterumve volumen cogeret, junctimque ederet. Quod inſtitutum eo alacrius proſecutus eſt, quia cum applauſu exceptum fuerat non plane abſimilis argumenti opus, quod ſub titulo *Mercurii Compitalitii*, ſeu *Indicis Medico Practici*, anno 1682 publici juris fecit, menſe Julio illius anni in Actis noſtris pag. 217 memoratum: illud item, quod jam anno 1679 ſub titulo *Sepulchreti*, ſive *Anatomiæ Practicæ ex cadaveribus morbo denatis*, publicavit. Nempe non poteſt non gratum multis accidere, ſi cum ſcire deſiderant, quæ circa hunc illumve morbum, eorumque cauſas & curationes, a recentioribus obſervata ſunt, uno velut intuitu complecti ea poſſint, labore ac tædio tot volumina alia, in quibus illa perquirenda erant, evolvendi ſublevati. Secutus vero Bonetus in diſponendo ordine methodum Schenckianam eſt, primæque hujus, quæ hoc anno prodiit (altera enim adhuc ſub prælo eſt) partis libro primo ea tradidit, quæ ad capitis; altero, quæ ad oris, faucium, & thoracis; tertio, quæ ad infimi ventris affectus pertinent.

Digitized by Google

BELLUM LUSITANUM, EJUSQUE Regni separatio a Regno Castellensi, cum abrogatione superadjecta Alfonsi I Regis Lusitani. Authore R. P. D. Cajetano Passarelio Catansariensi, Clerico Regulari, e concionibus Caroli II Hispaniarum Regis, & in sacro Hispaniæ Inquisitionis Senatu Censore.

Lugduni apud Anissonios, Joan. Posuel, & Claud. Rigaud.
1684, in fol.

Bellum, quod anno hujus seculi quadragesimo, Hispanos inter ac Lusitanos exortum fuit, nondum quidem memoria nostra excidit; sed unde initia causæque ejus ducendæ sint, quemadmodum acciderit, quibus consiliis ac modo gestum, nemo, quod sciam, copiosius ac majori judicio exposuit *Cajetano Passarello*, viro sane prudenti ac erudito. Qui cum triginta circiter annos Mantuæ Carpetanorum in aula Catholica moratus esset, rerumque civilium ob negotia, quæ curavit externorum Principum, non vulgarem sibi comparasset notitiam; animum tandem ad historiam Lusitanicam scribendam appulit. In qua cum *primo libro* Lusitaniæ statum inde ab Henrico Lotharingo, & mutationes, quibus regnum hoc post cæsum in Africa Sebastianum, obnoxium fuit, breviter perstrinxisset: causas recenset, queis Lusitani commoti jugum Hispanicum dudum sibi grave excusserunt, Johannem Bregantiæ ducem constituentes Regem suum. In *secundo libro*, annus quadragesimus primus legationibus novis ad exteros Principes, vario illarum eventu, & internis ac externis discordiis insignis exhibetur. In *tertio* narratur, ut insequentis anni initio fortuita parvaque res Lusitanos & Castellenses celerius, quam antea soliti erant, ad tractanda arma commoverit, & qui fuerint mores ac fata Olivarii principis apud Regem Catholicum ministri. In *quarto* acriora Regis Lusitaniæ consilia memorantur, quibus hostem in sua terra prævenire potius, quam domi expectare decrevit; præsertim cum Galli terra marique frequentes Ulissipponem, stipendia sub ipso merituri, appellerent. In *quinto* historia de contentione Romæ inter Oratorem Hispanum Zirolæ comitem, & Zedofreidem Priorem Lusitanæ Ecclesiæ causam agentem orta refertur, quæ universam propemodum

modum curiam permiſcuit; dum Hiſpani milites Priorem invaderent, unum e famulis ejus confodientes, alterum lethaliter vulnerantes. Intermiſſi poſtea in Luſitania belli ad tempus cauſa multiplex enarratur, cum conjuratione adverſus Regem Catholicum ſuſcepta & mox detecta. In *ſexto* obitus & mores Regis Luſitaniæ recenſentur; item tutela regni, Aloiſiæ Guſmannæ uxori Regis per teſtamentum commiſſa: ac ut interim Hiſpani nova conſilia de bello adverſus Luſitanos redintegrando inierint, quod Dux Medinæ niſi ſtabilita cum Gallo pace diſſuadebat. Inde poſt aliquot pugnas minus feliciter commiſſas, Hiſpani cum Gallo paciſci laborarunt, ut univerſas imperii vires in Luſitaniam converterent. Congreſſus igitur inter eos apud Irunem utriusque regni confinium inſtituitur, quo pax Hiſpano-Gallica, Pyrenæa inde dicta componitur, atque nuptiis Mariæ Thereſiæ confirmatur. In *libro ſeptimo* Joannis Auſtriaci, cui a Philippo Rege Catholico ſumma armorum commiſſa fuerat, res contra Luſitanos geſtæ memorantur; quæ in *libro octavo* continuantur. At ille mox infeliciter cum Luſitanis pugnans, iram aulicorum & tandem ipſius Regis in ſe concitavit, ut hoc exauctorato, in ejus locum Marchio Carazena ſuffectus fuerit. Qui, ut *libro nono* memoratur, aut Uliſipponem recta petendam, aut prætermiſſis oppidis munitis, omnia incendio ferroque vaſtanda cenſuit. Hoc conſilium mors Philippi IV interveniens turbavit: cujus mores deſcribuntur, inſerta nova de bello hoc continuando deliberatione. Quæ accedente Regis Angliæ autoritate, poſt bellum viginti & octo annorum, pacem peperit, qua concluſa, Luſitania tandem Regi ſuo traditur. Bello igitur externo compoſito, in *libro decimo*, ut bellum quaſi civile proruperit, Autor refert, dum per nonnullorum miniſtrorum artes, ac Regis Alfonſi perverſos mores, inter matrem Regis & filium contentiones excitatæ fuerint: quæ etiam abdicante ſe imperio Aloiſia matre non potuerunt ſopiri; donec Regina princeps Nemurtia a marito ludibriis, a Caſtelmeliorio Regis unico moderatore injuriis affecta, ad Petri fratris Regis accederet partes. Quo factum, ut Alfonſus Rex non tantum imperio exutus, ſed & in inſulam Terceram tranſportatus fuerit, omnibus imperii juribus præter regios faſces & nomen in Petrum fratrem, modernum regem translatis, accepta ſimul in matrimonium, poſt ſolennem prioris reſciſſionem factam, fratris uxore, quæ non ita pridem fatis conceſſit.

HI-

Digitized by Google

HISTOIRE DE L' ETHIOPIE ORIENTALE composée en Portugais par le R. Pere Jean Dos Santos &c. & traduite en François par le R. P. Dom Gaetan Charpy &c.

id est,

Historia Æthiopiæ Orientalis, Lusitanice scripta a P. Johanne Dos Santos, Ordinis S. Dominici, Gallice versa a R. P. Dn. Cajetano Charpy, Matisconensi, Clerico Regulari Theatino.

Lutetiæ apud Gu. de Luyne, 1684. in 12.

QUanquam lectu indigna non pronunciamus, quæ in historia hac traduntur, vix tamen talia deprehendentur ab accuratis lectoribus, quæ amplitudini tituli satisfaciant. Ex vastissimo enim terrarum illarum tractu, quem *Æthiopiæ Orientalis* nomine Autor indicat, a promontorio nempe Africæ famosissimo, quod *Bonæ Spei* vocant, ad Ægypti usque confinia, pauca describuntur & memorantur: de barbaris puta, ad oram maritimam, quos *Cafres* nominant, circa *Sofalam*, & in regnis *Mozambicæ* & *Melindæ*; pauciora de insula *Madagascar*; de interioribus, aliisque longe pluribus & oris & insulis, fere nihil. Temporum etiam rationem obscuram nobis videri fatemur. Meminit enim Autor duorum tantum Regum Lusitaniæ, *Emanuelis*, qui A. 1521 obiit, & *Sebastiani*, A. 1578 in Africa misere cæsi: at quæ narrat, neque omnia in horum regum annos incidunt, & pleraque absque temporis annotatione, & neglecto aut inverso aliquando ordine recensentur. Distributus est tractatus in *libros tres*, admodum breves; singuli etiam in capita. *Libro primo* (præmissis generalibus quibusdam & fere vulgaribus) de Rege quodam, qui *Quiteva*, non a regione, sed a dignitate officii dictus fuit, sat multa affert, quæ barbariem & malitiam summam gentis illius indicant: inter alia, quod Rex hic solus incantatoris & titulum & munus gerat, capitis pœna civibus, qui idem jactent aut præstent, statuta. Eundem ait inter laudes numerare, si inter faustas acclamationes latro & sicarius,

rius, & quidquid aliud æque aut magis turpe eſt, vocetur, modo epitheton *magni* addatur: quæ fortaſſe non plane abſurda eſt ambitionis repræſentatio, quæ magna quam bona ſectari mavult. Leguntur etiam hoc libro quædam ad hiſtoriam naturalem pertinentia, quæ fidem fere ſuperant, veluti de avibus prædatricibus tantæ magnitudinis, ut elephantes in auras rapiant, & expanſis alis luci diurnæ tenebras offundant. Herbam etiam nominat, *Nicirinum*, quæ capiti impoſita dentes omnes ita confeſtim emolliat, ut uſui eſſe non poſſint; ſic experimento cognita manus hominum illini, quo facto crocodilos impune tangi, & capi poſſe, duritie dentium amiſſa. *Libro II.* expeditiones quasdam Luſitanorum in *Cafres*, regionem *Mocaranga*, *Mongaſa*, & *Inſulæ S. Laurentii* ſive *Madagaſcar* referuntur, annexis in fine quibusdam de elephantis, jam ſatis, & certioribus experimentis cognitis. *Libro III.* continuatur narratio belli cum Melindenſibus & vicinarum regionum & inſularum Regulis, ex quibus unum, in oppido Lamo regnantem, Luſitani ſervata judicii forma, ſupplicio publice affecerunt. Multa habentur de Turco quodam, ſtrenuo belli duce, Mirala; qui dum barbaris auxilia, non ſine Luſitanorum damno tulit, tandem captus, ſed benigne habitus eſt, ita ut Ulisſiponem ductus Chriſtianam poſtmodum religionem amplexus fuerit. Aſſuitur tandem extra materiæ propoſitæ fines, narratiuncula de *Indo* quodam in regione *Bengala*, qui beneficio *Franciſci*, quem Sanctum vocant, vitam ad annos 380 produxerit: is enim divus ſpecie hominis vulnerati barbaro apparens, & bene ab eo tractatus, grana quædam, quorum uſu vitam prolongaret, ei dederat, & ab illo poſtea ex imagine apud monachos ſui ordinis agnitus fuerat. Factum hoc eſt, (ſive fictum credere malimus) initio ſeculi XIV; provocatur enim ad Proregum Luſitanorum illius temporis teſtimonium.

THESAVRVS NVMISMATVM ANTIQVOrum, & Recentiorum ex Auro, Argento & Ære, ab Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dn. Petro Mauroceno, Senatore Veneto, Sereniſſ. Reip. legatus.

Venetiis apud Joh. Franciſc. Valvalenſem, 1683 in 4.

INter vetuſtiſſimas pariter atque ſplendidiſſimas Reipublicæ Venetæ familias *Maurocena*, ſi res tam ſacras, quam in toga & ſago geſtas contempleris, caput valde exeruit. Ex profeſſo (utinam æque feliciter!) oſtenſum id dedit *Antonius de Graſſis* in *Maurocena Megaloprepeia*, quam Venetiis A. 1682 editam ſuperiore anno in Actis noſtris menſe Julio p.299 recenſuimus. Nam in libro iſto *Maurocenam* domum non a *Maroniana* tantum Virgiliorum priſcorum familia arceſſit, ſed & omnes *Maurocenos*, qui in Rep. Veneta ſummis dignitatibus, iisque vel Eccleſiaſticis vel Politicis, eminuerunt, in ſcenam quaſi producit. Ex his *Maurocenis* memorandus nobis nunc venit *Petrus Maurocenus*, excellentisſimus Reipublicæ Venetæ ante hac Senator. Hic, uti Remp. Venetam, cujus membrum illuſtre erat, cum cimeliis ornamentisque innumeris aliis, tum rerum maxime antiquarum poſſeſsione antiſtare plurimas alias non ignorabat, ita & ipſe privatos intra Lares favente fortuna, ſed nec ſine ingentibus impenſis, admirabilem numiſmatum qua veterum qua recentiorum gazam ſibi comparabat, cumque extrema adeſſe ſua intelligeret, eam una cum libris numiſmatum interpretibus Sereniſſ. Reip. legabat, ea quidem lege, ut libri in ſancti Marci Bibliotheca, numiſmata vero in aula Decemvirorum aſſervarentur; ubi & hodie aſſervantur, una cum effigie Teſtatoris honorifico elogio decorata. Cujus autem ætatis, cujus item notæ ac materiæ iſta ſint numiſmata, id cognoſcere nobis licet ex beneficio nobilisſimi viri, *Caroli Patini*, qui & alias, tot Numiſmatis veterum in lucem evulgatis, de re nummaria & antiquaria ſine pari præclare fuit meritus. Is enim Reipubl. Venetæ indultu, numiſmata a *P. Mauroceno* collecta non deſcripſit tantum, ſed & juris publici fecit, doctisſimasque hinc inde notas interſperſit; quanquam in præfatione ad Lectorem ingenue profitetur, maximam operis hujus partem acceptam ferendam eſſe illuſtriſſ. & excellentiſſ. Dn. *Horatio Bembo*, cujus quippe indefeſſa diligentia velut obſtetricante hic liber tam celeriter in auram prodierit.

Numiſmatum ſeriem quod attinet, in capitum, quorum in univerſum XIV ſunt, primo exhibentur numiſmata Græca ex auro, Philippi puta, Alexandri, Lyſimachi, Cyrenæorum &c. II. numiſmata Latina ex auro, Julii, Auguſti, aliorumque Imperatorum. *III.* numiſmata recentia ex auro, Leopoldi Imp. Michaelis Regis Poloniæ, Caroli Emanuelis II Allobrogum Ducis, Urbani VIII P. R. Innocentii

centii X, Alexandri VII, Clementis IX, Clementis X, & Innocentii XI. Cap. IV. numiſmata Græca ex argento. V. numiſmata Conſularia ex argento. VI. numiſmata argentea Imp. Romanorum, & quidem ex maximo modulo, vulgo *Medaglioni*; Auguſti ſcilicet, Neronis, Veſpaſiani, Domitiani, Trajani, Hadriani &c. VII. numiſmata alia Imp. Rom. ex argento, quorum bene longus texitur catalogus. C. VIII. numiſmata recentiora ex argento, Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Illuſtrium, interque hæc duorum *Maurocenorum*, *Franciſci* & *Georgii*; e quibus Pontificalia, notante Patino, & *Claudius du Molinet* in libro Pariſiis 1679 edito, cujus titulus: *Hiſtoria ſummorum Pontificum a Martino V usque ad Innocentium XI per eorum numiſmata* exhibuit. Cap. IX. numiſmata Græca ex ære, a regibus videlicet Græcis & civitatibus Græcis cuſa, quæ pleraque omnia ab *Huberto Golzio*, *Andrea Schotto* & *Ludovico Nonnio* ſunt publicata. X. numiſmata ærea Imp. Rom. ex maximo modulo, quibus abs doctiſſimo *Patino* non ſculptura tantum (nam reliqua recitata tantum hactenus, non æri fuere inciſa) ſed & animadverſiones, quibus omnino indigent, ſunt additæ. XI. numiſmata Latina Imp. ex ære magno, mediocri & parvo, quorum non exiguus eſt numerus. XII. numiſmata Græca Imp. Rom. ex ære, quibus & ipſis notulas hinc inde *Patinus* ſubjecit. XIII. numiſmata Imp. Rom. inferioris ſeculi, III ſcilicet, IV, V & VI usque ad Mauritium. XIV. numiſmata recentiora ex ære, quorum ſex ampliſſimæ in cimeliarchio *Mauroceni* ſunt tabellæ; ſunt autem numiſmata Pontificum ſuperiorum ſeculorum, plurium Cardinalium, Patritiorum Venetorum, aliorumque illuſtrium, Profeſſorum item Patavinorum a Joh. *Cavino*, vulgo *Padavano*, affabre factorum, imo diverſæ etiam fortunæ Virorum v. g. Grimani Senatoris, Hieronymi Soranzo, Ludovici Arioſti, aliorum. Sed iſta omnia non deſcripſit *Patinus*, partim ob temporis anguſtias, partim quod multa fuſa eſſent, non cuſa.

TRAITE' CHYMIQVE DE LA VERITABLE connoiſſance des Fievres continues, pourprées & peſtilentes, par Mr. Jaques Moreau Docteur en Medecine a Chalon ſur Saone.

 Sive

sive

Tractatus Chymicus Febrium Continuarum, Pe-techialium ac Pestilentialium notitiam veram exhibens, autore Jacobo Morello Doctore Medico Cabilonensi.

Divione 1683. in 12.

Reliquas inter Febres continuæ ac malignæ quemadmodum periculosiores corpori, ita & obscuriores humano existunt intellectui.

Frustraneum eorum esse conatum, qui febres has per occultas, sicut reliquos morbos per qualitates primas, dilucidare allaborant, in Præfatione Scripto præsenti præfixa noster exponit Autor, utpote qui earundem Theoriam hic clariorem e quinque potius principiis Chymicis ipsoque motu naturæ, a generatione ad cruditatem, a cruditate ad maturitatem & ab hac demum ad putredinem progredientis, reddere studet. Tractatum vero omnem e quinque voluit contextum capitibus, in quorum duobus prioribus ea, quæ ad Theoriam, in reliquis autem tribus, quæ ad Praxin Febrium tum continuarum, tum malignarum faciunt, proponit. In primo scilicet capite febrium continuarum essentiam, ad normam fere Willisianam, a nimia sanguinis deducit effervescentia impetuosiori, quam sulphurearum particularum commotioni, velut causæ conjunctæ, refert acceptam. Ab harum siquidem motu omnem esse calorem, experimentis satis trivialibus, v. gr. fœno humido exardescente, oleo Tartari per deliquium & Spiritu Vitrioli invicem incalescentibus &c. comprobat, ostendendo juxtim, qua ratione sanguinis effervescentia Symptomatis aliis procreandis sit potis. Quod continuæ autem Febres, licet natura sua haud malignæ, epidemicæ tamen quandoque evadant, irregularibus anni temporum adscribit mutationibus; quæ ipsæ nihilominus, æque ac reliquæ causæ evidentes, de Febribus istam ludere possint tragœdiam, præexistentem in corpore requirunt aptitudinem; cum ea subjecta, quæ sanguine pariter sulphureo abundant, ac quæ vitam agunt sedentariam talem, ut laudabilia una ingerant alimenta, recipiendis febrilibus impressionibus omnium videantur aptissima. Unde omnes porro causas externas, quæ vel sanguinem ad extremum maturitatis gradum perducere valent, v. gr. alimenta nonnulla, it. regiones calidiores &c.

vel

vel quæ maturum etiam jamdum sanguinem nimis commovent, quemadmodum exercitia immoderata, febrium continuarum esse posse procatarcticas, fusius demonstrat: quoad prius vero dum naturæ motum in subsidium vocat, naturam simul nil aliud, quam ipsa quinque mixtorum principia prima esse indigitat. Malignitatem denique, in quam Febres ardentes sæpius abire solent, insequenti sanguinis putredini ita attribuit, ut ex emergentibus hinc sanguinis grumulis, iisq; in habitu externo detentis omnem petechiarum & exanthematum purpureorum deducere velit productionem. Ceterum ab eadem sanguinis totali corruptela seu putredine, febrium quoq; malignarum, pestilentialium, & contagiosarum essentiam derivat in capite secundo, ceu quarum causam fermentum ibidem asserit venenosum seu malignum, naturam quod habeat salino-sulphuream, ope cujus salinis & sulphureis mixti moleculis, tanquam reliquorum principiorum vinculis, disrumpendis maxime sit adæquatum. Et ne hoc rationibus solummodo videatur supponere, observationibus insuper multis realem ejus existentiam it stabilitum, v. gr. fructibus putridis mediante ejusmodi miasmate salino-sulphureo alios fructus adhuc integros corrumpentibus, gangræna itidem simili fermento putrido ac fœtido partem totam, quam occupat, subito destruente &c. Instar scintillularum enim magnum incendium excitantium, vel instar acidi etiam pauci universam massam farinaceam fermentantis, fermenta sese habere edisserit; rationem, cur humana solummodo corpora, neque una vegetabilium succi, aut animalia reliqua, a miasmate contagioso, ab infectis exhalante inficiantur, annectendo. Salis autem ejusmodi oleosi, cujus efficaciam ulterius Aquæ Fortis exemplo illustrat, natales vel in ipso corpore, vel extra hoc quærit; quocunque tamen modo sit genitum, aptum id deprædicat, quod sanguinis a se divellat partes, simultaneaque ejus congrumescentia varii generis exanthemata, bubones, carbunculos, aliaque generet pathemata. Prælibata sic Febrium, tum continuarum seu ardentium, tum malignarum theoria, utriusque generis Curationem aggreditur in capite quarto & quinto, ubi formatis legitime Indicationibus, in principio febrium continuarum largam sanguinis commendat missionem, e remediis alterantibus acida, inprimis vegetabilia, v. gr. omphacium, seligens præ salibus fixis, multo velut sulphure imprægnatis. Cum acidis ejusmodi in ipso

etiam incremento pergere jubet, donec in statu, quando coctionis a se enodatæ signa apparent in urina, cum sudoriferis veniant commutanda, talibus tamen, quæ omni sulphure careant, sicut v. gr. Spiritus Salis ammoniaci est, absque eo, ut venæ reiteretur sectio, nisi eo salem in casu, ubi in principio sufficiens sanguinis intermissa fuerit evacuatio. Vice versa in malignis febribus in primo statim principio eadem adhibet diaphoretica, acidis æque ac purgantibus velut nocivis, tunc repudiatis: neque venæ ibi sectionem admittit, nisi vel Plethora, vel magna sulphurearum sanguinis particularum ubertate præsentibus. Qua vero ratione bubones in specie ac carbunculi medicamentis externis sint tractandi, in fine capitis quarti exhibet. In quinto siquidem & ultimo capite media tandem a febribus malignis se præservandi, triplici e fonte, diætetico nempe, chirurgico & pharmacevtico edocet, ex horum ultimo Elixir potissimum Proprietatis universalis instar Præservativi adversus sanguinis putredinem efferendo encomiis.

IN LIBRUM JUDICUM COMMENTARIUS, IN quo præter diligentem Textus explicationem, præcipuæ quæstiones & Loci Communes, quos vocant, ad singula Capita ac sub finem appendix Chronologica, adduntur; elaboratus a Sebastiano Schmidt, *S. Theol. D. in Universitate Argentinensi Professore, Seniore, & Conventus Ecclesiastici Præside.*

Argentorati 1684 in 4.

QUamvis ex titulo præsentis libri non obscure intelligatur, quid in eodem præstiterit venerandus Autor, Theologus & Philologus seculi nostri celeberrimus, prolixius tamen paulo omnia declaranda esse judicamus. Absolvitur totius instituti ratio sequentibus. Postquam *capitis cujusque Analysin* proposuit satis exactam, adeo ut non tantum sectiones primariæ & secundariæ, verum etiam versuum singulorum argumenta patescant, *textum* ipsum explicat, fontibus & versione incisi cujusvis præmissis. In qua explicatione ita se gerit, ut vo-

ut vocum & phrasium emphasin sedulo attendat, parallelismum studiose consulat, & quæ rem concernunt, sive ad explicationem ejus, sive ad difficultatum circa illam emergentium solutionem pertineant, diligenter dilucidet. Præcipuas vero controversias, quæ in capitibus libri hujus vel moveri possunt vel moveri solent, in *quæstiones Historicas, Philologicas, & Theologicas* redigit, earumque veritate curatius inquisita, singulas rationibus adjectis decidit. Tandem ut omnibus inserviat, nec quicquam sciens prætermittat, quod lector aliquis, cujuscunque fuerit ordinis, a Commentatore bono requirere posse videtur, ex unoquoque versu *Locos communes* eruit, devincturus sibi præprimis illos, qui in cathedra Ecclesiastica explicando huic libro Biblico operam insumere suam non gravabuntur. *Prolegomenorum* loco decem propinat quæstiones, quæ instar generalis sunt Introductionis in librum Judicum. Quædam ex iis excerpta huc apponere liceat. Quærit nimirum de *ordine*, quem Judicum liber *inter libros Biblicos* sibi vendicet, & an medio inter Josuam & Judices loco Jobi liber stare debeat, statuitque consuetum hactenus post Josuam ei tribuendum esse, cum non tantum Apostolus Hebr. XI, & initium libri, verum etiam aliæ rationes hoc assertum confirment. *Autorem libri minus principalem* determinari non posse adstruit, conjicit tamen plures eam historiam congessisse, congestamque in loco sancto asservatam esse, donec tandem in unum volumen a Viris sanctis sive Hiskiæ sive aliis sit redacta, ita ut clausulæ vice historiæ supplendæ ergo adjecta sit relatio de Michæ idolo. *Statum Reipublicæ Judaicæ sub Judicibus* exponit, eundemque prorsus singularem fuisse docet, qui ad nullam Rerump. Aristotelicarum referri commode possit aut debeat, cum Deus solus Rex fuerit, eamque cura immediata conservaverit, correxerit, defenderit, auxerit, usus ope Judicum ceu Ministrorum sive Vice-Regum, ad bella gerenda & inspectionem ac visitationem tribunalium ab ipso cū auctoritate delegatorum, ita ut ad Mosis & Josuæ dignitatem accesserint proxime, quamvis aliis plus, aliis minus a Deo fuerit commissum. Attingit etiam *rationem divinam qua cum populo Dei tempore Judicum fuit actum*, & cur rigidius illa ætate fuerint habiti Israelitæ vestigat, castigationesq; divinas, quibus gentem illam affecit, examinat, *Brentium* hac de re scribentem corrigens. Nec minus cum aliis de *sanctitate & salute Judicum* sollicitus est, contra *Serrarium* non omnes fuisse sanctos

ctos probans,nec tamen ipſos finaliter incredulos & damnatos pronuncians, quia Scripturæ ſilentium potius innuere videatur, pœnitentiam ipſos ante mortem egiſſe. Idem quoque de Rege Salomone ſentiendum eſſe exiſtimat. *De utilitate libri generali* cum alii ante ipſum ſcripſerint, eorum teſtimonia repetit, & quatuor uſus nominat, quorum duos priores, videlicet per fidem juſtificantem Viros ſanctos miracula illa perpetraſſe, & Hiſtoriam ſeculorum aliquot & fata Eccleſiæ ex illo hauriri poſſe, ex Act. XIII. 20, & Hebr. XI, 32. confirmat, poſteriores de magnitudine beneficiorum Dei & converſione pœnarum in caſtigationes paternas, uti & de typis Meſſiæ variis, partim inde eliciens, partim ex Hieronymo deducens. Tandem *partitionem libri* aggrediens eum in duas partes ſecat,quarum prior res geſtas certi temporis cap. I ad XVI excluſive, poſterior res geſtas incerti temporis, ſcilicet de Idolo Michæ & de bello Gibeonitico a cap. XVI usque ad finem enarret, ita ut novas prioris ſubdiviſiones etiam adducat. *Chronologiam* vero *libri* totius ad finem Operis differt, quam, cum ipſe difficultatis plurimum continere fateatur, hic repetere ex Autore ſuperſedemus, ne intempeſtiva prolixitate lectorem moremur. Ad calcem operis adjecti conſpiciuntur *Indices tres*, quorum primus *voces Hebraicas*, alter *dicta Scripturæ* in Commentario allegata, tertius *res præcipuas* fideliter complectitur. Plura vero de eodem Auctore Venerabili habebit Lector,ſi alia ejusdem ſcripta,quæ prodierunt partim, partim ſub prælo adhuc ſudant,recenſuerimus impoſterum.

Die auff Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen gnädigſten Special Befehl durch D. Val. Alberti, P.P. zu Leipzig/ abgefaßte und ausgefertigte gründliche Widerlegung eines Päbſtiſchen Buches/ Auguſtana & Anti-Auguſtana Confeſſio genannt;

ſive,

Solida Confutatio Libri, ab Anonymo Pontificio ſub titulo *Auguſtanæ & Anti-Auguſtanæ Confeſſionis*, juſſu Leopoldi Comitis a Kollonitſch Epiſcopi Neoſtadienſis, Viennæ editi, conſcripta editaque ad ſpeciale mandatum Sereniſſimi Sax. Electoris a D. Val. Alberti, PP.

Lipſ. apud Georg. Heinric. Fromman. A. 1684 in 4.

Quod

QUod a capite Chriſtianorum Imperatorum Conſtantino M. jam olim factum fuiſſe accepimus, ut ea, quæ in formulam fidei ſemel (in Concilio Niceno) redacta eſſent, nullo modo convelli pateretur, indeque cum non quieſcerent Ægyptii, per orthodoxos Tyri congregatos obicem eis poneret, apud Euſebium L. IV. de vita ejus c. 41, 42: id & omni loco atque tempore tum alii Magiſtratus Chriſtiani, tum inprimis Sereniſſimi Saxoniæ Electores ſibi faciendum eſſe putarunt, nihil prius, nihil antiquius habentes, quam ut Auguſtanam Confeſſionem, tanquam ſuam omniumque Proteſtantium formulam, qua fidem ſolenniter coram Imperatore ac Imperio profeſſi eſſent, contra varios variorum conatus ſartam tectamque conſervarent. Factum hinc eſt, ut juſſu atque autoritate Johannis Georgii I. glorioſiſſimæ recordationis, non tantum anno hujus ſeculi XXVIII Neceſſaria, ſed & Iterata eaque Principalis Defenſio Aug. Conf. a. XXX hic Lipſiæ a conſcriptis Theologis in chartam conjiceretur publicæque luci exponeretur; quippe quod tum prodirent paſſim, qui non minus integritatem in ea, quam in nobis ipſis deſiderarent. Cumque ante triennium eodem auſu inſurgeret Viennæ anonymus quidem, cætera vero ſimillimus hoſtis, qui & Auguſtanæ Confeſſioni nobisque ei addictis bellum indiceret non absque periculo, & triumphum jamjam caneret ante victoriam; pro ea, qua eſt, vigilantia & prudentia Sereniſſimus Elector noſter, Dominus noſter Clementiſſimus, maxime reverendum Collegam noſtrum, ſcripti hujus, quod delineamus, Autorem, dignum cenſuit, cui defenſio cauſæ juſtiſſimæ publica autoritate committeretur. Qua obſequii gloria excitatus ille, maſcule quidem, modeſte tamen, hoſtem atque inſidiatorem novum aggreſſus eſt, eumq; ſic refutavit, ut tam Auguſtanæ Confeſſioni integritas ſua, quam ejus Confeſſoribus conſtantia in fide plene planeque conſtaret. Duo nimirum potiſſimum ſunt, quæ Viennenſis ſcriptor noſtris objecit: vitiatio textus, quam Auguſtana Confeſſio a nobis ſit paſſa; & apoſtaſia, in ſingulis fidei articulis per nos ab eadem commiſſa. Hinc totidem libri ſui fecit partes, & in priori de illa, in poſteriori de hac egit. Cum vero immiſtum ſit nonnihil alterius furfuris, tanquam ἀπροσδιόνυσον, tertiam Albertus in reſponſione adjecit, inque ea per octo quæſtiones id, quicquid eſt, excuſſit omne atque diſſipavit: quemadmodum & reliqua, quæ perſonam Adverſarii ejusque tam in intellectu quam voluntate vitia ſpeciatim concernunt, in præfatione

ſufficienter deſcripſit, ut in conflictu ipſo, niſi quod ad rem ipſam principaliter pertineret, nihil obvium aut reliquum haberet. Quo facto, in parte ſua prima liberat Auguſtanam Confeſſionem ab omnibus verborum corruptelis, ita quidem, ut cum Adverſarius putaverit, demonſtratas illas ſatis eſſe, modo quatuor Auguſtanæ Confeſſ. exemplaria, quæ a ſe invicem in verbis quadantenus abirent, denuo evulgaret, nulla, niſi typographi opera adhibita, & ne minima quidem diductione adjecta; contra, nervoſe Noſter atque diſtincte recenſeat primum hiſtoriam totius hujus litis, quique ſcriptores vel Auguſtanæ Confeſſioni corruptionem, vel nobis defectionem ab eadem olim aut hodie imputaverint, qua utrique methodo proceſſerint, quo fine hoc atque illud egerint, in diverſis capitibus deducat; deinde totidem modis reſpondeat, primum generaliter; ne Chriſtianorum quidem, multo minus Pontificiorum aliquem a mutatione verborum ad immutationem Confesſionis ipſius concludere poſſe, cum diverſis vocibus primi Chriſtiani Symbolum Apoſtolicum expreſſerint, Conſtantinopolitanum vero & Athanaſianum Pontificii mutaverint, imo Sixtus V & Clemens VIII Pontifices duas Vulgatæ, *quam pro Authentica* habent, editiones diverſas inter ſe atque adverſas adornarint, inque Eccleſiam invexerint; deinde ſpecialiter, præmiſſis ſex regulis, quæ revera fundamentales ſunt & dici poſſunt, quippe quod collatæ cum illis ſingulæ ſingulorum Adverſariorum objectiones corruere ſponte omnino deprehendantur; tandem ſpecialisſime, oſtendendo manifeſte, Adverſarium nec adverſus tota, quæ vocant, exemplaria, nec adverſus ullum in iisdem apicem, culpabilem aut illicitam textus mutationem demonſtraſſe. Eadem apertiſſima non minus quam aptiſſima methodo in parte ſecunda generaliter primum oſtenditur, additionem, ſi quæ in Aug. Confeſſ. facta eſſet, a nullo Chriſtianorum, nedum ab ullo Pontificio improbari poſſe, cum jam olim in primitiva Eccleſia Symbolis nonnulla fuerint inſerta, Pontificii vero tam a Pontificibus ſuis, quam ab ipſo Concilio Tridentino non raro defecerint; poſt ſpecialiter, formatis iterum regulis fundamentalibus, numero tribus, ad quas examinatæ duæ communes Pontificiorum objectiones, contra doctrinam noſtram de omnipræſentia carnis Chriſti deque Papa Anti Chriſto, mox collabi conſpiciuntur; tandemque *ſpecialisſime* ad XXIV quæſtiones, in quarum ſolutione illa omnia, quæ adverſus Præfationem Auguſtanæ Confeſſionis ejusque XXVIII Articu-

Digitized by Google

los movit monuitque Adverſarius, ſolide diſcuſſa reperiuntur. Ut vero unusquisque Auctorem ipſum audire, & quam bona fide cum ipſo actum ſit, videre poſſit, totus ejus Liber ad verbum expreſſus in fine ſubjicitur; quemadmodum etiam lectio Refutationis aut evolutio, Syllabo capitum atque quæſtionum omnium, ut & Indice rerum memorabilium juvatur atque promovetur.

MEDITATIONES
De Cognitione, Veritate, & Ideis, per G. G. L.

QUoniam hodie inter Viros egregios de veris & falſis ideis controverſiæ agitantur, eaque res magni ad veritatem cognoſcendam momenti eſt, in qua nec ipſe Carteſius usquequaque ſatisfecit; placet quid mihi de diſcriminibus atque criteriis Idearum & cognitionum ſtatuendum videatur, explicare paucis. Eſt ergo cognitio vel obſcura vel *clara*; & clara rurſus vel confuſa vel *diſtincta*; & diſtincta vel inadæquata vel *adæquata*, item vel ſymbolica vel *intuitiva*: & quidem ſi ſimul adæquata & intuitiva ſit, perfectiſſima eſt.

Obſcura eſt notio quæ non ſufficit ad rem repræſentatam agnoſcendam, veluti ſi utcunque meminerim alicujus floris aut animalis olim viſi, non tamen quantum ſatis eſt, ut oblatum recognoſcere, & ab aliquo vicino diſcernere poſſim; vel ſi conſiderem aliquem terminum in ſcholis parum explicatum, ut Entelechiam Ariſtotelis, aut cauſam prout communis eſt materiæ, formæ, efficienti & fini, aliaq; ejusmodi, de quibus nullam certam definitionem habemus: unde propoſitio quoque obſcura ſit, quam notio talis ingreditur. *Clara* ergo cognitio eſt, cum habeo unde rem repræſentatam agnoſcere poſſim, eaque rurſus eſt vel confuſa vel diſtincta. *Confuſa*, cum ſcilicet non poſſum notas ad rem ab aliis diſcernendam ſufficientes ſeparatim enumerare, licet res illa tales notas atque requiſita revera habeat, in quæ notio ejus reſolvi poſſit: ita colores, odores, ſapores aliaque peculiaria ſenſuum objecta ſatis clare quidem agnoſcimus, & a ſe invicem diſcernimus, ſed ſimplici ſenſuum teſtimonio, non vero notis enuntiabilibus; ideo nec cæco explicare poſſumus, quid ſit rubrum, nec aliis declarare talia poſſumus, niſi eos in rem præſentem ducendo, atque ut idem videant, olfaciant aut guſtent efficiendo, aut ſaltem præteritæ alicujus perceptionis ſimilis eos admonendo: licet certum ſit, notiones harum qualitatum compoſitas eſſe & reſolvi poſſe, quippe cum cauſas ſuas habeant, Similiter videmus pictores aliosque artifices probe

cognoſcere, quid recte, quid vitioſe factum ſit, at judicii ſui rationem reddere ſæpe non poſſe, & quærenti dicere, ſe in re quæ diſplicet, deſiderare *neſcio quid*. At *diſtincta notio* eſt, qualem de auro habent docimaſtæ, per notas ſcilicet & examina ſufficientia ad rem ab aliis omnibus corporibus ſimilibus diſcernendam: tales habere ſolemus circa notiones pluribus ſenſibus communes, ut numeri, magnitudinis, figuræ, item circa multos affectus animi, ut ſpem, metum, verbo, circa omnia quorum habemus *Definitionem nominalem*, quæ nihil aliud eſt, quam enumeratio notarum ſufficientium. Datur tamen & cognitio diſtincta notionis indefinibilis, quando ea eſt *primitiva* ſive nota ſui ipſius, hoc eſt cum eſt irreſolubilis ac non niſi per ſe intelligitur, atque adeo caret requiſitis. In notionibus autem compoſitis, quia rurſus notæ ſingulæ componentes interdum clare quidem, ſed tamen confuſe cognitæ ſunt, ut gravitas, color, aqua fortis, aliaque, quæ auri notas ingrediuntur, hinc talis cognitio auri licet diſtincta ſit, *inadæquata* eſt tamen. Cum vero id omne quod notitiam diſtinctam ingreditur, rurſus diſtincte cognitum eſt, ſeu cum analyſis ad finem usque producta habetur, cognitio eſt *adæquata*, cujus exemplum perfectum neſcio an homines dare poſſint; valde tamen ad eam accedit notitia numerorum. Plerumq; autem, præſertim in Analyſi longiore, non totam ſimul naturam rei intuemur, ſed rerum loco ſignis utimur, quorum explicationem in præſenti aliqua cogitatione compendii cauſa ſolemus prætermittere, ſcientes aut credentes nos eam habere in poteſtate: ita cum Chiliogonum ſeu Polygonum mille æqualium laterum cogito, non ſemper naturam lateris & æqualitatis & millenarii (ſeu cubi a denario) conſidero, ſed vocabulis iſtis, (quorum ſenſus obſcure ſaltem atque imperfecte menti obverſatur) in animo utor loco idearum quas de iis habeo, quoniam memini me ſignificationem iſtorum vocabulorum habere, explicationem autem nunc judico neceſſariam non eſſe; qualem cogitationem *cæcam* vel etiam *ſymbolicam* appellare ſoleo, qua & in Algebra & in Arithmetica utimur, imo fere ubique. Et certe cum notio valde compoſita eſt, non poſſumus omnes ingredientes eam notiones ſimul cogitare: ubi tamen hoc licet, vel ſaltem in quantum licet, cognitionem voco *intuitivam*. Notionis diſtinctæ primitivæ non alia datur cognitio, quam intuitiva, ut compoſitarum plerumque cogitatio non niſi ſymbolica eſt.

Ex

Digitized by Google

Ex his jam patet, nos eorum quoque quæ diſtincte cognoſcimus, ideas non percipere, niſi quatenus cogitatione intuitiva utimur. Et ſane contingit, ut nos ſæpe falſo credamus habere in animo *ideas* rerum, cum falſo ſupponimus aliquos terminos, quibus utimur, jam a nobis fuiſſe explicatos: nec verum aut certe ambiguitati obnoxium eſt, quod ajunt aliqui, non poſſe nos de re aliqua dicere, intelligendo quod dicimus, quin ejus habeamus ideam. Sæpe enim vocabula ſingula utcunque intelligimus, aut nos antea intellexiſſe meminimus, quia tamen hac cogitatione cæca contenti ſumus & reſolutionem notionum non ſatis perſequimur, fit ut lateat nos contradictio, quam forte notio compoſita involvit. Hæc ut conſiderarem diſtinctius, fecit olim argumentum, dudum inter Scholaſticos celebre, & a Carteſio renovatum, pro Exiſtentia DEI, quod ita habet: Quicquid ex alicujus rei idea ſive definitione ſequitur, id de re poteſt prædicari. Exiſtentia ex DEI (ſive Entis perfectiſſimi, vel quo majus cogitari non poteſt) idea ſequitur. Ens enim perfectiſſimum involvit omnes perfectiones, in quarum numero eſt etiam exiſtentia) Ergo exiſtentia de DEO poteſt prædicari. Verum ſciendum eſt, inde hoc tantum confici, ſi DEUS eſt poſſibilis, ſequitur quod exiſtat; nam definitionibus non poſſumus tuto uti ad concludendum, antequam ſciamus eas eſſe reales, aut nullam involvere contradictionem. Cujus ratio eſt, quia de notionibus contradictionem involventibus ſimul poſſent concludi oppoſita, quod abſurdum eſt. Soleo autem ad hoc declarandum uti exemplo motus celerrimi qui abſurdum implicat; ponamus enim rotam aliquam celerrimo motu rotari, quis non videt, productum aliquem rotæ radium extremo ſuo celerius motum iri, quam in rotæ circumferentia clavum; hujus ergo motus non eſt celerrimus, contra hypotheſin. Interim prima fronte videri poſſit, nos ideam motus celerrimi habere; intelligimus enim utique quid dicamus, & tamen nullam utique habemus ideam rerum impoſſibilium. Eodem igitur modo non ſufficit nos cogitare de Ente perfectiſſimo, ut aſſeramus nos ejus ideam habere, & in hac allata paulo ante demonſtratione, poſſibilitas Entis perfectiſſimi aut oſtendenda aut ſupponenda eſt, ut recte concludamus. Interim nihil verius eſt, quam & nos DEI habere ideam, & Ens perfectiſſimum eſſe poſſibile, imo neceſſarium; argumentum tamen non ſatis concludit, & jam ab Aquinate rejectum eſt.

Atque ita habemus quoque diſcrimen inter *definitiones nominales*, quæ notas tantum rei ab aliis diſcernendæ continent, & *reales*, ex quibus conſtat rem eſſe poſſibilem, & hac ratione ſatisfit Hobbio, qui veritates volebat eſſe arbitrarias, quia ex definitionibus nominalibus penderent, non conſiderans, realitatem definitionis in arbitrio non eſſe, nec quaslibet notiones inter ſe poſſe conjungi. Nec definitiones nominales ſufficiunt ad perfectam ſcientiam, niſi quando aliunde conſtat rem definitam eſſe poſſibilem. Patet etiam, quæ tandem ſit *Idea vera*, quæ *falſa*; vera ſcilicet cum notio eſt poſſibilis, falſa cum contradictionem involvit. *Poſſibilitatem* autem rei vel a priori cognoſcimus, vel a poſteriori. Et quidem a priori, cum notionem reſolvimus in ſua requiſita, ſeu in alias notiones cognitæ poſſibilitatis, nihilque in illis incompatibile eſſe ſcimus; idque fit inter alia, cum intelligimus modum, quo res poſſit produci, unde præ cæteris utiles ſunt *Definitiones cauſales*: a poſteriori vero, cum rem actu exiſtere experimur; quod enim actu exiſtit, vel extitit, id utique poſſibile eſt. Et quidem quandocunque habetur cognitio adæquata, habetur & cognitio poſſibilitatis a priori; perducta enim analyſi ad finem, ſi nulla apparet contradictio, utiq; notio poſſibilis eſt. An vero unquam ab hominibus perfecta inſtitui poſſit analyſis notionum, ſive an ad *prima poſſibilia* ac notiones irreſolubiles, ſive (quod eodem redit) ipſa abſoluta Attributa DEI, nempe cauſas primas atque ultimam rerum rationem, cogitationes ſuas reducere poſſint, nunc quidem definire non auſim. Plerumque contenti ſumus, notionum quarundam realitatem experientia didiciſſe, unde poſtea alias componimus ad exemplum naturæ.

Hinc ergo tandem puto intelligi poſſe, non ſemper tuto provocari ad ideas, & multos ſpecioſo illo titulo ad imaginationes quasdam ſuas ſtabiliendas abuti; neque enim ſtatim ideam habemus rei, de qua nos cogitare ſumus conſcii, quod exemplo maximæ velocitatis paulo ante oſtendi. Nec minus *abuti* video noſtri temporis homines jactato illo principio: *quicquid clare & diſtincte de re aliqua percipio, id eſt verum ſeu de ea enunciabile.* Sæpe enim clara & diſtincta videntur hominibus temere judicantibus, quæ obſcura & confuſa ſunt. Inutile ergo axioma eſt, niſi clari & diſtincti *criteria* adhibeantur, quæ tradidimus, & niſi conſtet de veritate idearum. De cætero non contemnenda veritatis enunciationum criteria ſunt

regu-

Digitized by Google

regulæ *communis Logicæ*, quibus & *Geometræ* utuntur, ut ſcilicet nihil admittatur pro certo, niſi accurata experientia vel firma demonſtratione probatum; firma autem demonſtratio eſt, quæ præſcriptam à Logica formam ſervat, non quaſi ſemper ordinatis ſcholarum more Syllogiſmis opus ſit (quales Chriſtianus Herlinus & Conradus Daſypodius in ſex priores Euclidis libros exhibuerunt) ſed ita ſaltem ut argumentatio concludat vi formæ, qualis *argumentationis in forma* debita conceptæ exemplum, etiam calculum aliquem legitimum eſſe dixeris; itaque nec prætermittenda eſt aliqua præmiſſa neceſſaria, & omnes præmiſſæ jam ante vel demonſtratæ eſſe debent, vel ſaltem inſtar hypotheſeos aſſumtæ; quo caſu & concluſio hypothetica eſt. Hæc qui obſervabunt diligenter, facile ab Ideis deceptricibus ſibi cavebunt. His autem ſatis congruenter ingenioſiſſimus Paſcalius in præclara diſſertatione de Ingenio Geometrico (cujus fragmentum extat in egregio libro celeberrimi Viri Antonii Arnaldi de arte bene cogitandi) Geometræ eſſe ait definire omnes terminos *parumper* obſcuros, & comprobare omnes veritates *parumper* dubias. Sed vellem definiiſſet limites, quos ultra aliqua notio aut enunciatio non amplius parumper obſcura aut dubia eſt. Veruntamen quid conveniat, ex attenta eorum quæ hic diximus conſideratione erui poteſt, nunc enim brevitati ſtudemus.

Quod ad controverſiam attinet, utrum omnia videamus in DEO, (quæ utique vetus eſt ſententia, &, ſi ſano ſenſu intelligatur, non omnino ſpernenda) an vero proprias ideas habeamus; ſciendum eſt, etſi omnia in DEO videremus, neceſſe tamen eſſe, ut habeamus & ideas proprias, id eſt non quaſi icunculas quaſdam, ſed affectiones ſive modificationes mentis noſtræ, reſpondentes ad id ipſum, quod in DEO perciperemus: utique enim aliis atque aliis cogitationibus ſubeuntibus aliqua in mente noſtra mutatio fit; rerum vero actu à nobis non cogitatarum Ideæ ſunt in mente noſtra, ut figura Herculis in rudi marmore. At in DEO non tantum neceſſe eſt actu eſſe ideam extenſionis abſolutæ atque infinitæ, ſed & cujusque figuræ, quæ nihil aliud eſt quam extenſionis abſolutæ modificatio. Cæterum cum colores aut odores percipimus, utique nullam aliam habemus quam figurarum, & motuum perceptionem, ſed tam multiplicium & exiguorum, ut mens noſtra ſingulis diſtincte conſiderandis in hoc præſenti ſuo ſtatu non ſufficiat, & proinde non animadvertat

perce-

perceptionem ſuam ex ſolis figurarum & motuum minutiſſimorum perceptionibus compoſitam eſſe; quemadmodum confuſis flavi & cærulei pulviſculis viridem colorem percipiendo, nil niſi flavum & cæruleum minutiſſime mixta ſentimus, licet non animadvertentes & potius novum aliquod ens nobis fingentes.

JANI BROUKHUSII CARMINA.
Trajecti ad Rhenum.
Apud Franciſcum Halma 1684 in 12.

NICOLAO HEINSIO, Poeta apud Batavos nulli veterum ſecundo, fatis ſuis functo, PETRUM FRANCIUM cultiſſimum hodie apud Batavos poetam eſſe, jam anno 1682, quo & carmina ejus recens edita recenſebamus, menſe Novembri p. 359 obſervavimus. Nec elogii nos noſtri pœnitet. Eſt enim is carminum illius, cujuscunque etiam generis ſint, nitor ac ſuavitas, ut literarii orbis univerſi calculo vel priſcis æquandus cenſeatur. Dicendum autem nunc nobis hunc JANUM BROUKHUSIUM, ut & conterraneum & amicum a multis annis conjunctiſſimum agnoſcit P. FRANCIUM, ita rara carminis felicitate aut æquis cum illo paſſibus ambulare, aut proxime veſtigia ejus legere. Eſt enim & hic ſuaviſſimæ fluidiſſimæque venæ, ſive Elegiaci quid ad reverendiſſimum celſiſſimumq; Principem *Ferdinandum Fürſtenbergium*, Paderbornenſem & Monaſterienſem Epiſcopum, & *Nicolaum Heinſium*, (ſed utrumque terris nunc ereptum, quorum & obitum ſub finem deploravit,) ſive ad Viros clariſſimos *Job. Georgium Grævium*, & *Petrum Francium* jam laudatum, quibuscum candida adhuc amicitia ipſi intercedit, ſive Eclogam aliquam, aut Odam, ſive eroticos luſus ad Deliam, Galateam, Neæram &c. ſive epigramma quoddam muſinetur. Quod ſane admirandum hoc magis in Broukhuſio nobis venit, quo alienius ejus a Muſarum contubernio vitæ genus eſt. Quantum enim colligere nobis, tum ex dedicatione tum ex carminibus ipſis licet, non Muſis tantum, ſed & Marti Batavorum navali ſeſe addixit. Dicit enim in dedicatione, ſe hæc carmina bonam partem *concepiſſe ſub pellibus*, aut *in ipſo tumultuoſi maris æquore*. Deinde ſe elegiam brevem, p. 10, extantem, *juxta inſulam Malatinam, fœdiſſima tempeſtate*, & Eclogam nauticam, quæ p. 13. & ſeq. habetur, *juxta Inſulam Dominicam in navi bellica*, cui inſigne *Jupiter*, compoſuiſſe; & in epiſt. ad *Job. Georg. Grævium* p. 63.

Verum inter ſtrepitusque virum ſonitusque tubarum,
Quis locus Aoniis luſibus eſſe poteſt?
Nunc, furtiva mihi cum præſtitit otia Mavors,
Phocidis ad lucos Grajaque rura feror.

Bene igitur interdum Marti cum Muſis, & his cum illo convenit; quemadmodum & *Joh Petrum Lotichium*, incomparabilem ſuperioris ſeculi Poetam, imo alterum Ovidium, cum abs Apollinis Muſarumque vexillo ad Martis caſtra ad tempus tranſiiſſet, terſisſimas inter ipſos tumultus bellicos ſcripſiſſe Elegias novimus,

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno M DC LXXXIV.

S. FULGENTII RUSPENSIS EPISCOPI OPERA quæ sunt publici Juris omnia, ad manuscriptos codices plures, nec non ad editiones antiquiores & castigatiores emendata, aucta, & in unum omnia volumen nunc primum collecta.

Parisiis apud Guillelmum Desprez, 1684 in 4.

CUm S. Fulgentii Ruspensis Episcopi eximium opus contra Faustum Rejensem, genuinam responsionem adversus Pintam, librum altercationis cum Thrasamundo, librum de Spiritu S. ad Abragilam, duos de jejunio & oratione libros ad Probam scriptos, epistolam ad Carthaginenses, pluresque epistolas & alia scripta non amplius superesse constet, quorum recuperandorum spes aut nulla aut exigua apparet, præclare de bono publico meruisse dubium non est, quorum studium & vigilantia, ne & reliqua sanctissimi & sua ætate doctissimi Antistitis monumenta intercciderent, præcavit.

In his *Bilibaldus Pirckheymerus*, qui exemplum operum B. Fulgentii miræ vetustatis, ex reliquiis bibliothecæ Trithemianæ ad se delatum, & a *Johanne Cochlæo* pro librariis operis descriptum edi curavit; *Johannes Ulimmerius*, cujus studio Fulgentii opera post editionem Moguntinam anni 1515, Noribergensem anni 1519, Coloniensem anni 1526 & alias, Antverpiæ anno 1574, una cum *Johannis Molani* prolegomenis ex officina Plantiniana prodierunt; *Henricus Justus*, qui telam a *Christiano Urstisio* cœptam pertexuit, & A. C. 1587 Fulgentii opera, addito Petri Diaconi de incarnatione & gratia libello, Basileæ, ubi etiam jam anno 1566 Fulgentius excusus fuerat, Sebastiani Henricpetri typis exprimenda dedit; *Jacobus Sirmondus*, qui A. C. 1612 Fulgentii librum

de Trinitate ad Felicem Notarium, libros tres de prædeſtinatione, librum contra ſermonem Faſtidioſi, epiſtolam ad Ferrandum de baptiſmo Æthiopis moribundi, aliaque Fulgentii opuſcula, & iterum A. C. 1643 fragmenta ex ejusdem libris contra Fabianum e tenebris protraxit; *Guilielmus Camerarius* Scotus, qui A. C. 1634 Fulgentii reſponſionem ad interrogationes Scarilæ de myſterio incarnationis, & vilium animalculorum autore publicavit; *Theophilus Raynaudus*, qui Lugduni 1633, & 1652 in heptade Præſulum, Fulgentii opera 80 ſermonibus & aliis acceſſionibus locupletavit, & *Petrus Franciſcus Chiffletius*, qui 1649 cum operibus Ferrandi ſub Fulgentii nomine librum pro fide catholica adverſus Pintam, & 1656 triginta novem excerpta ex libris Fulgentii contra Fabianum, & tredecim fragmenta ex libro Fulgentii ad quæſtiones Scarillæ, una cum Alcuini confeſſione fidei, Rabani Mauri libro adverſus Judæos, & anonymi commentariolo de damnatione Berengarii, Divione luce publica donavit.

Cum vero ea Fulgentii opera, quæ noſtro ſeculo Sirmondi, Camerarii, Raynaudi, & Chiffletii ſtudio publici juris facta ſunt, vel ſeparatim & a cæteris Fulgentii ſcriptis ſejuncta, vel, quod in heptade Præſulum paulo ante memorata, & a Pariſienſibus bibliopolis haud ſemel factum eſt, Leonis M. Chryſologi & aliorum Patrum ſcriptis adjuncta fuerint, inventi ſunt, qui Fulgentii opera ſive exilii tempore, ſive poſt duplicem ab exilio in Africam reditum, ſive incerto tempore elaborata, quotquot e bibliothecarum angulis hactenus conquiri potuerunt, ad fidem impreſſorum & manuſcriptorum codicum collata, proprio & peculiari volumine complecti operæ pretium duxerunt.

Hinc ergo nova Fulgentii editio nata, cujus autores ſe non exiguam in repurgandis mendis operam collocaſſe profitentur. Acceſſerunt variæ lectiones, & nonnunquam aliæ annotatiunculæ ad paginarum calcem & marginem pro illuſtrando Fulgentio adjectæ, cui etiam ex partitione capitum, ob confuſionem in prioribus editionibus deprehenſam aliquoties mutata, nova lux acceſſit. Totius operis poſt præfationem de ordine, occaſione & argumento ſcriptorum Fulgentii, & novæ hujus editionis inſtituto hæc eſt ſeries:

S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis vita a quodam ejus diſcipulo, qui nonnullis *Ferrandus* eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus videtur, conſcripta.

Libri

Libri tres ad Monimum unum e præcip uis Fulgentii amicis, cui ad quæstiones de duplici prædestinatione, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam, de sacrificii oblatione, de missione Spiritus S. & de supererogatione D. Pauli propositas, libris duobus prioribus respondet, tertio nonnullas Arianorum argutias refellens.

Contra Arianos liber unus ad decem objectiones, quarum miram barbariem & obscuritatem editores notant, totidem responsiones luculentas & ad Patrum superiorum doctrinam exactas continens.

Libri tres ad Trasimundum Vandalorum Regem, quibus ad ea, quæ ex subitaria libri bajulo Felice oblati, sed statim iterum extorti lectione memoriæ inhæserant, regio mandato compulsus discutit.

Epistolæ in unum corpus collectæ numero octodecim varii argumenti, quarum postremam ad Reginum comitem directam Fulgentius morte præventus Ferrando supplendam & absolvendam reliquit. Accensetur autem his Fulgentii epistolis etiam *libellus de fide ad Donatum*, quo mysterium Trinitatis & incarnationis a variis hæreticorum erroribus vindicatur. Insertæ quoque Fulgentii epistolis *epistola Victoris ad Fulgentium* ipsius preces enixe flagitantis, & *Fastidiosi Ariani sermonem*, qui Victoris epistolæ subjicitur, confutandum transmittentis; item *epistola Scarilæ*, qui duas quæstiones, unam de incarnatione Filii Dei, & alteram de vilium animalium autore, Fulgentio proponit; *duæ epistolæ Diaconi Ferrandi*, quarum una ad duas quæstiones de baptismo & salute æthiopis moribundi, altera ad quinque quæstiones diversi argumenti a Fulgentio responderi desiderat; *Epistola Datiani & aliorum in Sardinia exulum* episcoporum ad *Johannem* quendam presbyterum & archimandritam, & *Venerium* diaconum responsoria, qua doctrina de gratia & prædestinatione explicatur; *Petri Diaconi* & aliorum, qui in causa fidei ex oriente Romam se contulerant, de incarnatione & gratia Domini nostri Jesu Christi ad Fulgentium & alios Africæ episcopos libellus, eo tempore scriptus quo de phrasi, *unus e Trinitate crucifixus est*, & de *Fausti* semipelagiani scriptis gravissimæ controversiæ exortæ fuerant; & *Fulgentii* cæterorumq; Africæ episcoporum exulum *de eodem argumento liber*, quo suum de his controversiis judicium, approbata Petri Diaconi & sociorum sententia, expromunt,

Liber de Trinitate, quo Fulgentius *Felicem Notarium* ad retundendos hæreticorum insultus non satis instructum, ut desideriis ipsius satisfaciat, de hoc mysterio aliisque fidei capitibus fideliter informat.

Liber ad Victorem contra sermonem Fastidiosi, qui desertis orthodoxorum castris ad Arianos defecerat, & ex essentiali Patris, Filii & Spiritus S. unitate, Patris & Spiritus S. incarnationem sequi argutatus fuerat.

De remissione peccatorum libri duo, in quibus nec extra ecclesiam, nec extra vitæ hujus spatium. locum pœnitentiæ relinquit.

Liber ad Scarilam, quo & de incarnatione Christi, & de vilium & noxiorum animalium procreatione Fulgentius disserit, quippe cujus arbitrium elegerant, qui in convivio quodam de utroque capite diversis sententiis concertaverant.

Libri tres de veritate prædestinationis & gratia Dei ad Johannem & Venerium, quorum tertium primus integrum cum Ferrandi operibus Chiffletius edidit.

Liber de fide seu fidei regula Augustini operibus admixtus, sed Fulgentio jam pridem restitutus, *ad Petrum*, qui in aliis Fulgentii editionibus vulgo Diaconus cognominari solet; quod cognomen expungendum duxerunt, qui novæ huic editioni præfuerunt, cum ex horum sententia Petrus ille neque Diaconus, ut in titulo hujus libri hactenus dictus est, neque monachus fuerit, quod *Blondello* primum & postea *Norisio* placuit, sed vir militaris, qui Hierosolymam profecturus, fidei regulam, qua se adversus hæreticæ pravitatis insidias muniret, a Fulgentio flagitaverit.

Liber pro fide catholica adversus Pintam, quem genuinæ Fulgentii adversus Pintam responsioni suppositum, inepta & Fulgentio Græcæ linguæ non imperito indigna Homousii etymologia, & aliæ rationes arguunt.

Decem sermones, de quibus an omnes Fulgentii sint, nondum liquet, etsi plerique Fulgentio non indigni videantur.

Fragmenta XXXIX ex libris Fulgentii adversus Fabianum, item duo fragmenta ex Fulgentii quæstionibus de processione Spiritus Sancti.

Duo Fulgentii sermones, unus de circumcisione Domini, alter de purificatione Virginis Mariæ, quos hactenus ineditos *Lucas Holstenius* e Va-

e Vaticana bibliotheca quondam descripsit, & *Cardinalis Barberinus* Lutetiam transmisit. Ex his priorem quidem Fulgentio, posteriorem autem alteri cuipiam autori, qui Fulgentio junior fuerit, in admonitione præmissa Fulgentianæ hujus editionis curatores censuerunt.

Appendix operum S. Fulgentii, quæ complectitur I. *Librum de prædestinatione & gratia*, in quo Lovanienses Theologi aliique eruditi viri nihil Fulgentio dignum, imo multa Fulgentio contraria deprehenderunt, quamvis *Theophilus Raynaudus* in Censura inofficiosæ censuræ *Lovaniensium, Bellarmini, Possevini* & aliorum, ut librum hunc Fulgentio asserat, maximopere contendat. II. *Epistolam Fernandi Diaconi ad Eugyppium*, quam cum nec a Fulgentio, nec ad Fulgentium scripta sit, ab ejus operibus semotam in appendicem rejicere placuit; & III. *Sermones LXXX* Fulgentio perperam tributos.

Indices rerum in Fulgentii operibus contentarum, locorum Scripturæ ab ipso explicatorum, codicum ad quos de novo Fulgentii opera recognita sunt, variarum lectionum ex prætermissis selectarum, & postremo erratorum.

Quamvis vero qui huic Fulgentii editioni operam dederunt, nomina sua latere voluerint, de publica utilitate magis quam de fama soliciti & egregii facti conscientia contenti, neminem tamen latere voluerunt, multum se a Jesuita *Chiffletio* adjutos, qui variantes in omnia fere Fulgentii opera lectiones, quas olim ex variis codicibus bibliothecæ Carthusiæ ad Portas exscripserat, benignissime cum iis communicavit.

TOLERANCE DES RELIGIONS,

seu

De tolerandis Religionibus.

Amstelodami 1684 in 12.

BRevissimo quidem hoc, sed erudito & terso libello, proposuit sibi Autor miseram Reformatorum in Gallia conditionem denuo ob oculos ponere, & simul demonstrare, injustum pariter & inutile, imo & pudendum & indignum esse, quidquid vi & astu, ad opprimendas Reformatorum Ecclesias factum huc usque est, aut inposterum metuitur,

tuitur. Fatetur quidem nondum sanguinem fundi, quanquam Cleri ferventissima odia eo tendant, sed *Regis Christianissimi* benignam mentem ad tantam crudelitatem adigi nondum potuisse. Acerbissima tamen esse & morti comparanda, vel ea quandoq; graviora, quæ quotidie patiantur, licet velo juris & fraternæ charitatis tecta, imo ob hanc ipsam simulationem & cavillationem intolerabiliora. Quæ vero hac occasione contra primarium quendam ex Regni Prælatis, & adversus Jesuitas, persecutionum, ut ait, instigatores, tum etiam contra *Arnaldum* & socios *Jansenistas*, acerrimos nunc Reformatorum insectatores, dolore commotus vehementius effundit, non opus est excerpta hic legi, cum pleraque ex aliis scriptis jam innotuerint. Videtur tamen non omnem spem de clementia Regis deposuisse, gloriamq; ejus ex clementia, quam tot myriadibus innoxiorum civium exhibiturus esset, tanto majorem illa fore ominatur, quam ex tot victoriis & trophæis acquisivit, quanto longe vel difficilius vel felicius est *Titi Vespasiani* elogium mereri, & *delitium generis humani* appellari, quam ab armorum successu, qui multis etiam malis Principibus contigit, laudari. Neq; justius quidquam a Rege expectari posse, quam ut decreta & *pacta Majorum suorum*, pro Reformatæ religionis libertate, non sine magnis impetrantium meritis, facta & inita, sancte custodiat, nec per veteratorias Cleri artes infringi sinat: utpote quæ *Pothinum* aliquem, arcanorum dominationis ministrum potius deceant, qui jus in manu ponat, fidemque pro tempore & statu rerum servandam mutandamque doceat. Vanissimam etiam imputationem esse, & querelam exoletam, de rebellione Reformatorum, quod vel ex collatione librorum *Maimburgii* de *Calvinismo*, & *de Liga* constare possit; cujus scriptoris malam mentem fidemque, uno alteroq; argumento ostensum it. Cum vero inter alia etiam hoc objiciatur Reformatis, ac si ex mera obstinatione reconciliari cum Ecclesia Romana nolint, id omni veri specie destitutum esse dicit. Quis enim honores fortunasque omnes in periculorum missurus esset, nisi insuperabili conscientiæ dictamine permotus? Quod si falsæ & ridiculæ religiones inveniant cultores, (ut ex Mahummedanorum aliorumque exemplo constat,) qui omnia potius quam errores illos deserant, quid mirum si Reformati professionem divinæ veritatis, quam certam & indubitatam agnoscunt, constanter tueantur? Pauli exemplum, impio quidem zelo, sed bona tamen

Digitized by Google

men fide, Christianos acriter persequentis, omnes terrere debere, ne præjudicio qualicunque & inde nato fervori nimium tribuant. Non ita expositam esse & evidentem veritatem, ut semper & statim omnes ad assensum moveat: quapropter indulgendum esse humanæ imbecillitati, & Gamalielis consilium optimum habendum, ne contra Deum pugnetur, vi agendo, qua Deus ipse minime utitur, nec eam ad cogendos hominum animos exercendi cuiquam jus dedit: satius esse, leviusque peccari, si Reformati, etsi errent, tolerentur, cum nulla sit cogendi eos obligatio aut necessitas, quam ut injustitia & violentia manifesta contra fidem pactorum & legum agatur. Pastorum esse, voce & exemplo oves regere: lupos fieri, si pro pedo arma capiant. Denique non magis fieri posse, ut voluntas hominis sponte & serio probet, quæ intellectus reprobat, quam si alicui, sola contradicentium autoritate aut multitudine persuadere velis, nigrum esse, quod is suis ipse oculis album videt & judicat. Deum nempe ipsum sensibus vim non inferre. Ubi tamen obiter notamus exemplum, quo assertum hoc adstruere conatur Autor, & quod sæpe in aliis, forte ejusdem, aut aliorum suæ sectæ Doctorum scriptis allegatur, nempe *de non credenda præsentia reali corporis & sanguinis Christi in S. cœna, quia sensus repugnat*, nihil contra orthodoxiam præsentiæ realis operari. Nemo enim sensualem & palpabilem statuit, sed Sacramentalem, sive mysticam, invisibilem & sensu imperceptibilem, omnipotentia promittentis Dei nixam. Alio ad hominem argumento violentam Reformatorum exstirpationem dissuadet, quia Ecclesiæ minime expediat, ut sine hæresi & schismate sit. Exemplum Hispaniæ & Italiæ allegat, quanta ibi Cleri & populi sit ignorantia; at in Gallia Romano Catholicam religionem, in suo genere purissimam inveniri, eamque disputationibus cum Reformatis deberi. His oppressis, in veterem socordiam, & dominandi, ac sine disciplina vivendi libidinem omnes esse relapsuros, neque quidquam ex pulpitis populum auditurum, quam fabulas de *purgatorio*, & adhortationes ad *confraternitates*, ad *scapularia*, ad *peregrinationes*, ad *indulgentias* quærendas, ut externis & vanis adhærentes Laici, sed solida pietate, quæ in spiritu & veritate exercenda est, carentes, Clerum honoribus & opibus mactent: jam in tanta luce & quotidiana Reformatorum contradictione satis prodire ineptiarum. Taxat iterum *Maimburgium* in historia *de Iconoclastis* & de *declinatione*

Impe-

Digitized by Google

Imperii: abſurdiora etiam ſcribentes alios allegat, *P. Bonhours*, in *vita Ignatii*, quem non veritus ſit annos triginta ſeptem natum deſcribere, inter pueros Lutetiæ Grammaticam diſcentem, & ferulam paſſum; dein autorem theſium *de Elia Propheta*, *Carmelitarum* ſcilicet fundatore, quibus nihil putidius eſſe poſſit; *Eudonem* porro Monachum, celeberrimi viri *Mezeraii* fratrem, & *Burdinum*, quorum ille *Mariæ Vallenſis*, hic *Mariæ Vigneroniæ* cujusdam vitam ſcripſit, infrunitis narratiunculis, de apparitionibus Chriſti, ejusque ludicra & indigniſſima converſatione cum fœmellis iſtis, ut refert, repletam. Tandem ad illos ſe convertit, qui qualicunque ex cauſa reformatam religionem abjuraverint, eosque contra conſcientiæ teſtimonium feciſſe exiſtimat, utilitatis cujusdam ſpe illectos, aut animi levitate præcipitatos. Impoſſibile enim eſſe, ut veritatem, quam in Reformata religione facillime deprehenderint, in Romana perceperint, tantis difficultatibus ob traditionum & dogmatum multitudinem implicatam; neque excuſationem habituros, ex incruſtationibus & expoſitionibus (*Condomenſem* intelligit,) non magis quam ex autoritate hominum, quibus ſe ſubmiſerint. Conſtantiam itaque reliquis commendat, qua etiam perſecutores ſuos mitigare poſſint, & ad perennis gloriæ præmia pervenire.

JOHANNIS CLOPPENBURGII THEOLOGICA Opera omnia, nunc demum conjunctim edita.

Amſtelodami apud Gerh. Borſtium, 1684 in 4.

QVod junctim edita jam proſtant magni olim inter Reformatos nominis Theologi, JOHANNIS CLOPPENBURGII, anno 1652 defuncti, Opera, non pietati tantum debemus nepotis in avum (Cloppenburgii enim ex filia nepos Johannes a Marck, Theologiæ in Academia Groningenſi hoc tempore Profeſſor clariſſimus, cujus de Sibyllinis carminibus Diſputationes Academicas in Actis ſuperioris anni menſe Septembri pag. 389 recenſuimus, editionis curam habuit) ſed & auctoritati Illuſtrium Præpotentiumque Friſiæ Ordinum, qui & Eccleſiæ utile, & Academiæ ſuæ Franckeranæ, in qua Theologi Doctoris mu-

munus Cloppenburgius per annos octo ſuſtinuerat, ornamento futurum cenſuerunt, ſi hujus Viri ſcripta diligenti ſtudio conquiſita, ac in unum alterumve volumen collecta, typis denuo exſcriberentur. Non enim diſſimulandum, omnia jam olim diverſis temporibus locisque ab Auctore fuiſſe edita; præter unum de Sabbatho Chriſtiano tractatum, quem a Cloppenburgio Belgice exaratum Latine vertit Marckius, ac nunc demum publici juris fecit, alterique operum tomo (in duos enim diſtincta ſunt, quorum prior Exegetica & Didactica, alter Elenchtica continet: ſubjecit. Unde plura hic dici non attinet, niſi ut Operum ipſorum indicem benevolo lectori exhibeamus. Continentur vero tomo primo, *Sacrificiorum Patriarchalium Schola ſacra, cum Spicilegio: Epiſtola ad Ludovicum de Dieu, de die quo Jeſus Chriſtus & quo Iudæi comederint agnum Paſchalem*, & *Tractatio de Sabbatho Deuteroproto, ac ſuper utraque Collatio Epiſtolica cum Ludovico Capello, nec non Capelli* Ἐπίχειρσις: *Exercitationes juveniles*, & *Deliciæ Biblicæ Brielenſes: de fœnore & uſuris brevis inſtitutio: Syntagma exercitationum ſelectarum: Exercitationes ſuper locos communes Theologicos*, & *Aphoriſmi Theologiæ Chriſtianæ*. In altero, *Diſputationes* XV *de Canone Theologiæ, & judicio controverſiarum ſecundum canonem: Gangræna Theologiæ Anabaptiſticæ, cum Frid. Spanhemii Diatribe Hiſtorica de origine, progreſſu & ſectis Anabaptiſtarum: Diſputationes* VII *ad quinque articulos Remonſtrantium; Compendiolum Socinianiſmi confutatum: Vindiciæ pro Deitate Spiritus Sancti: Anti-Smalcius, de Divinitate Ieſu Chriſti: Res judicata, contra Antonium Deuſingium*, & quem ſupra nominavimus, *Tractatus de Sabbatho Chriſtiano*.

JOANNIS MEURSII THESEUS, SIVE DE Ejus vita rebusque geſtis liber poſthumus. Accedunt ejusdem paralipomena de Pagis Atticis, & excerpta ex Iacobi Sponii itineratio de iisdem pagis.

Ultrajecti apud Franciſcum Halmam, 1684. in 4.

DE antiquitatibus Græciæ plurima jampridem in eruditorum manibus, induſtria & eruditione præſtantisſimi viri JOANNIS

MEURSII verſantur monumenta, quæ tanti habentur, ut nulla in hoc literarum genere iis anteponantur, pauca paria putentur. Et ſane, ſi judicium ſequamur horum ſtudiorum exactiſſimi doctoris cenſoriſque Joannis Georgii Grævii, nemo hoc viro in evolvendis omnibus omnium ætatum ſcriptoribus, qui ex illætabili illa barbariei nocte ſalvi in lucem horum temporum emerſerunt, fuit diligentior, & in obſervando & conquirendo, quidquid ad veterem Græciam illuſtrandam pertinet, ſtudioſior. Hujus autem ſtudii monumenta complura ipſe, cum in Belgio Profeſſoris Lugdunenſis munere fungeretur, edidit: multa vero inedita reliquit, morte præventus, quam in Dania obiit, quo a Rege Chriſtiano IV fuerat evocatus, ut hiſtoriam ipſius regni conſcriberet, & Soranam academiam ſtudiis exornaret. Scripta porro quæ reliquerat, ſive affecta, ſive abſoluta, in Sueciam incertum quo fato translata, regiæ bibliothecæ forulos occuparunt; unde deprompta *Miſcellanea Laconica* ſive *Variarum Antiquitatum Laconicarum libros quatuor* anno 1661 emiſit in publicum Samuel Pufendorfius, ejusdemque beneficio ſibi conceſſum *Ceramicum Geminum* anno 1663 evulgavit Jo. Georgius Grævius, qui *anno 1675* inſignem Meurſii commentarium de trium celebrium & valde potentium olim mediterranei maris inſularum, *Cretæ, Cypri & Rhodi* fatis, e regia Suecorum bibliotheca obtentum publici juris fecit, aliaque inedita Meurſii opuſcula ſuo ſtudio edenda promiſit. Cumque *vitam Theſei* ſingulari libro ſe complexum eſſe & pertractaſſe ipſe Meurſius lib. III cap. 4 & 5 de Regibus Athenienſium indicarit, iſte autem libellus, æque ut Ceramicus, Cl. Pufendorfii opera ad doctiſſimum Grævium pertigerit, publico is invidendum eum haud exiſtimavit. Expoſuit autem auctor in eo XXXI diſtincto capitibus, Theſei parentes, patriam, nominis rationem, educationem, ſtudia, informatores, præclare geſta, fortitudinem, matrimonia, liberos, itinera, inſtituta, imperium, bella, amicitias, mortem, honorem poſt mortem, & alia, ex Græcis ſcriptoribus eorundemque ſcholiaſtis collecta; quorum loca quædam depravata paſſim emendat, & obſcura explicat.

Vitæ Theſei clariſſimus editor ſubjecit Meurſiana paralipomena libro *de Populis Atticæ* Lugduni Batavorum anno 1616 edito adnectenda; in quibus ea continentur, quæ auctor obſervavit & in veterum ſcriptorum monumentis annotavit, poſtquam liber ille de Populis

lis Atticæ, (quem rectius *de Pagis Attica* inſcribendum eruditi obſervarunt) eſſet evulgatus. In his & plura loca proferuntur, pagos Atticos quos jam recenſuerat illuſtrantia, & nondum obſervati, cum is liber ederetur, indicantur. Cumque in Itinerario ſuo, quod Gallico ſermone edidit *Jacobus Sponius*, plurimæ extent Inſcriptiones, pagorum Atticorum hiſtoriam quæ illuſtrant, quos peculiari tractatione idem recenſuit & CLXXIV conſignavit, ex Strabone, Euſtathio, Stephano, Harpocratione, Heſychio, Plutarcho, & Suida eorum petita enumeratione: ex iſthoc Itinerario excerpta libro huic annectere doctiſſimo editori fuit viſum. Nam plurima quæ Meurſius in ſuo libro tradiderat inde illuſtrantur, quædam corriguntur & examinantur, nonnulla adduntur, quæ nempe induſtriam Meurſii ſubterfugerant, cum commentarium ſuum ſcriberet,

AN IMPARTIAL COLLECTION OF THE great affairs of State. By John Nalſon LL. D,

h, e.

Sincera & a ſtudio Partium aliena collectio arduorum negotiorum Status, per Johannem Nalſonium LL, D,

Volumen I. Londini 1682, & II, 1683 fol.

UT maximas hoc ſeculo calamitates ex inteſtinis disſidiis Angliæ Regnum accepit, ita partium disſidentium utraque amoliri a ſe crimen concitatorum motuum per ſcriptores judicio & omni doctrinæ copia præſtantisſimos ſedulo annisſa eſt. Clara ſunt in orbe literato nomina Miltoni & Salmaſii, qui antehac de juſtitia cauſæ non minori contentione ſcriptis inter ſe, quam regiæ cohortes cum populari exercitu armis decertarunt. Exceperunt hos poſtea plures, quorum aliqui aperte ſe oppugnant & ingenue agunt, alii tectius parti, quam defendendam ſuſceperunt, favent, Hi quidem tanto apud exteros & eos, qui rerum geſtarum gnari non ſunt, plus efficiunt, quanto ſe ab omni partium ſtudio alienos eſſe ſanctius teſtantur. Simulant enim

tabularum publicarum fide, quicquid aſſerunt niti, nec alio fine ſcribere videri volunt, quam ut poſteros non ficta rerum narratione inſtruant. Inter eos, ſi *Nalſonio*, memorati jam operis Autori, credimus, referendus eſt *Johannes Rushworth*, qui ante hos quatuor fere annos *Hiſtoricarum*, ut vocare placuit, *Collectionum tomum alterum* vulgavit. Quantumvis enim in epiſtola, quam olim primo operis tomo præmiſit, ſolennibus verbis aliquoties teſtatus fuerit, ſe non aliam hiſtoriæ ſuæ laudem quæſiturum, quam veritatis; tamen ejus propoſiti adeo poſtea non fuit memor, ut plurima in ipſius libris ſint, quæ probent, parum aberraſſe *Nalſonium*, cum ſcriberet, *Rushworthium boni potius advocati, quam hiſtorici partes expleviſſe*. Sed iſta legentium ulteriori examini commiſſa ſunto. *Rushworthius* civilis belli originem altius repetens, ab anno 16 *Jacobi*, *Gratiæ* 1618 auſpicatus, hiſtoriam ſuam ad annum usque 1640, 16 *Caroli*, duobus tomis perduxit, quibus tertii loco addi poſſit liber, quem de damnatione *Straffordii*, juſſu Parliamenti anno 1641 capite truncati, compoſuit. *Nalſonius* vero, uti annum 38, quo latens hactenus ſcintilla ſeditionis in flammam apertam erupit, & Scoti in Regem arma primum *ſumſerunt*, narrationum ſuarum principium ſtatuit, ita easdem ad Caroli parricidium usque continuare ſe velle ſignificavit. Jamque duo hujus operis volumina proximis duobus annis edidit, quibus, ſi e materia dicendi, quæ reſtat, & ratione, qua hactenus Autor uſus eſt, æſtimare liceat, quatuor vel quinque fortaſſis æque vaſta adjicientur. Subiit hunc tantum laborem *Nalſonius*, ut vel e titulo Librorum conſtat, juſſu ac mandato Regis, cujus intereſſe videbatur, vindicari optimi Patris memoriam ab injuriis, quibus ipſam adſperſerant variarum relationum compilatores. Hinc Autor cum in univerſo opere paſſim, tum potiſſimum in præfatione, quam ſub initium primi voluminis legimus, *Rushworthii* ſcripta ad Hiſtoriæ leges examinat, & quantum falſi habeant admiſtum, quantum veri diſſimulent, oſtendit. Volumine altero, ubi ad anni 41 menſem Octobrem ventum eſt, *Borlaſii* cujusdam ſeditionis Hibernicæ hiſtoriam refellit, & illuſtriſſimi Martyris famam, ab hoc viro impetitam, tuetur. Cæterum hunc ordinem in conſignandis rebus obſervat, ut quid ſingulis diebus acciderit, exponat. In quo publicorum monumentorum, & relationum impreſſarum, jamque multorum annorum ſilentio comprobatarum autori-

tate

Digitized by Google

tate uſus collegit, quicquid literarum potuit, quicquid declamationum in concionibus Parliamenti habitarum invenire. Quod vero ipſemet neutiquam diſſimulat, non ita ſemper in factorum nuda commemoratione ſubſiſtit, quin aliquando, expenſis probe circumſtantiis, judicium ferat, & magnos quosdam Viros immerito tunc paſſos eſſe evincat, quos poſt fata iniquiſſimis ſatyris toties iterum velut trucidari, pio zelo indignatur.

MEMORIALS OF THE ENGLISH AFFAIRS, or an hiſtorical account of vvhat paſſed from the beginning of de reign of King Charles I, to King Charles II his happy Reſtauration.

h. e.

Monumenta Rerum Anglicarum, ſive hiſtorica relatio omnium, quæ ab initio Regni Caroli I, usque ad Reſtaurationem Caroli II evenerunt.

Londini apud Nathan. Ponder, 1682. fol.

QUi ſuprema Reipublicæ munia obeunt, & ardua cum belli tum pacis negotia moderantur, ſolent inprimis diligenter annotare, & in diaria ſua quotidie referre, quicquid aut in illis regionibus, quibus præſunt, aut in aliis agitur, quas communis utilitatis cura cum iſtis conjungit. Nam cum memoriæ, etiam tenaciſſimæ, tanta vis non ſit, ut plurium annorum caſus & eventa ſatis expedite reddat, eſt viro ſapienti his commentariis opus, in quos, quoties ante acta cum præſentibus conferri debuerint, regrediatur. Qualium quidem exempla ephemeridum in omni gente noſtri orbis, maxime inter Gallos extant, quas privato uſui magnorum virorum adornatas, contigit poſt ipſorum fata in publicam prodire lucem. Ac ſolet vulgo his rerum geſtarum Breviariis fides ideo adhiberi, quod eos animo vulgandi nemo fere conſignet, ſed quisque in ipſis, velut ſecum agens, veritatem nudam exhibeat. Utcunque enim partis ſuæ ſtudio quis ducatur, res tamen aliter, ac geſtas eſſe novit, haud quaquam animo revolvit ac expendit, licet de eo, quod ſuis ex voto ſucceſſit, gaudeat,

de eo, quod ſecus accidit, doleat & conqueratur. Hanc fidei ac veritatis laudem iis, quorum mentionem fecimus, *Monumentis rerum Angliæ* aſſerere nititur *Editor*, dum lectorem ſub libri principium alloquitur. Teſtatur enim ea, ut in ſcriniis Autoris reperta ſint, exhiberi, non additum eſſe quicquam, non demtum, non temere immutatum. Satis interim undique apparet, cujus Autor horum Commentariorum partis fuerit, quoniam vix ullum Parliamenti erratum memorat, quod non excuſet, & ſingulis ejus actis & conſiliis innuit DEI providentiam affuiſſe. Reticet ipſius nomen Libri titulus. Sed niſi omnia nos fallunt, *Whitlockio* hunc laborem debemus, qui toties in ſcena civilium motuum ſpectatus eſt, ut quam optime in ipſum quadret Virgilianus ille verſus, fronti hujus operis inſcriptus:

Quæque ipſe miſerrima vidi,
& quorum pars magni fui.

Legimus enim relatum, quos in privatis congreſſibus ſermones *Oliverius*, antequam protectoris ille honores ac titulum ſumſiſſet, & *Whitlockius* inter ſe habuerint, qui ſane vix poterant nobis, niſi per *Whitlockium* ipſum, innoteſcere. Obſervare tum porro licet *Whitlockium*, quoties criminis ullius a malevolis incuſatur, diligentius defendi, & cum de negotiis ab ipſo geſtis ſermo eſt, ſingularis in ſcribendo modeſtia comparet. Ut taceamus, nomen ejus creberrime nullo titulo honoris addito referri.

THEODORI JANSSONII AB ALMELOVEEN Inventa Nov-Antiqua, ejusdemque Rerum inventarum Onomaſticon.

Amſtelædami apud Janſonio-Waesbergios 1684. in 8.

AGit Autor in primo tractatu ex profeſſo rem Veterum Medicorum contra Recentiores, in puncto Anatomicorum ac Phyſiologicorum inventorum, quibus tanquam ſuo labore acquiſitis ſpoliis, ſummo cum coætaneorum applauſu, hactenus triumpharunt. Nimirum demonſtrare nititur, vix unum eſſe e tanto numero inventorum, quæ noſtro ævo pro novis jactitantur, cujus veſtigia, vel potius mani-

Digitized by Google

manifeſtiſſima documenta, non reperiantur in veterum libris. Quo vero felicius evincat Lectorem, teſtes producit fide dignos, hoc eſt, ipſa loca e Medicorum priſcorum ſcriptis, eaque ne forſan cuipiam ſuſpecta fiant, verbotenus, & quidem in propria, prout exarata ſunt, vel Græca, vel Latina lingua apponit. Hæc antequam ſpecialius tradat, quædam concernentia naturam, ortum, progreſſum & incrementum Medicinæ præmittit, rationesque ſubjungit, quamobrem ars hæc, jamjam olim ab Hippocrate & aliis antiquiſſimis ad ſummum perfectionis faſtigium elata, nunc adeo manca ac imperfecta deprehendatur, ut & quotidianam reparationem per nova inventa requirat. Injicit poſtea mentionem priſtinæ autoritatis Medicorum, honorum, privilegiorum, ſectarum, & tandem de diviſione Medicinæ, ejus fine, item de philoſophici ſtudii pariter ac antiquorum codicum lectionis utilitate, verba facit. His abſolutis aggreditur promiſſam ſpecialem demonſtrationem, quemadmodum nominare ſolet, falſo novorum inventorum, oſtendendo, haud latuiſſe, ſubſtantiam teſtium virilium tubuloſam Theophilum, Ovaria mulierum Hippocratem, Ariſtotelem, Macrobium & Veſalium, tubas Fallopianas uterinas Ruffum Epheſium. Ductus ſalivales a palatinis ac faucium glandulis oriundos, una cum ſuperioribus Stenonianis eruit ex Galeno, perinde ac inferiores Warthonianos ex Avicenna, & Alſabaravo. De glandulis ſtomachicis, fibris circularibus ac longitudinalibus ventriculi & inteſtinorum, Williſio huc usque adſcriptis, ductu pancreatico Wirſungii, glandulis inteſtinalibus Peyeri, motu inteſtinorum periſtaltico vaſisque lacteis Aſellii, citat Galenum, de fermento vero ventriculi Hippocratem, de fermentatione ciborum ope ſalivæ Avicennam, de fermentatione chyli per bilis & ſucci pancreatici affuſionem, Nemeſium. Ulterius, Hieronymum Fabricium valvulas conniventes inteſtinorum, ante Kergringium, & Bartholomæum Euſtachium ductum thoracicum Pequetti accuratiſſime deſcripſiſſe refert. Et ne forſan tantillum Neotericis remaneat gloriæ, Harvæi quoque de Circulatione ſanguinis inventum, Hippocrati, Nemeſio, Andreæ Cæſalpino, Paulo Servitæ, pulſumque aeris in reſpiratione Platoni innotuiſſe affirmat.

Onomaſticon quod huic annexum eſt, promiſcue juxta ſeriem alphabeti, quævis inventa œconomica, politica, bellica, phyſica, grammatica,

matica, musica, aliaque curiosa memorat, brevissimis tamen, ita ut saltim ex scriptis antiquorum loca quædam annotarit autor, ubi hujusmodi materiæ vetusta reperiuntur testimonia.

FRIDERICI LOSSII HEIDELBERGENSIS Palatini Præstantissimi Medici Consiliorum sive de Morborum curationibus liber posthumus.

Londini, apud Avvnsham Churchill, 1684, in 8.

PRo viribus allaborasse Autorem, ut suum quoque ad exornandam vel illustrandam Medicam Artem, Dorchestriæ quam olim exercebat, conferret, Observationes Medicinales A. 1672 Londini in lucem ab eodem emissæ, non minus ac præsens liber posthumus, luculenter testantur. Exhibet autem hic sexaginta quinque Consiliorum fasciculum, in morborum potissimum chronicorum, e. g. Cachexiæ, Melancholiæ, Asthmatis, Scorbuti, &c. medelam ab Autore quondam ad alios exaratorum; ex quibus, cum singula nimis longum foret in præsenti ordine recensere, potiora saltem nunc annotasse nobis sufficiat. Theoria equidem Autoris vix omnium arridebit palato, utpote primarum qualitatum quaternione suffulta, & legibus quoque circulatorii sanguinis motus hinc inde contraria; practica tamen ejus monita a paucioribus contemtui habebuntur. Consil. I. Martem, cujus magnam penetrandi vim deprædicat, non in substantia, sed syrupi, liquoris aut vini forma porrigendum suadet; propterea vini cujusdam chalybeati, a magni nominis Medico sibi communicati longoque usu comprobati, subnectit compositionem. Consil. 4. multum celebrat in Arthritide vaga D. Jordani Diaphoreticum, ex Regulo Martiato & Jove Anglicano, adjecto Mercurio sublimato, confectum; velut quo nobilem quendam, cum alia præsidia nil quicquam profecissent, intra paucos dies viderit curatum. Consil. 5. aquas minerales vitriolatas in arenulis bibendi modum proponit. Consil. 6. facta prius mentione cujusdam pueri, in quo Duodenum a Terete observavit perforatum, cujusque historiam observationum suarum libro 3. observatione 33. jamdum retulit, remedium quoddam externum, quo vermes mirifice ad inferiores fugentur partes, describit. Consil. 8. purgantia in morbis

bis pectoris a catarrho ortis parum aut nihil prodeſſe, ſed noxia potius eſſe dictitat. Conſil. 20. licet cum aliis non absque ratione dubitet, an remediis ullis intra corpus aſſumtis calculus queat frangi, aquam nihilominus quandam deſtillatam contra calculum laudat, tanquam in multis cum fructu a ſe uſurpatam. Conſ. 34. ſatius eſſe putat, a Fonticulis, Veſicatoriis & Scarificationibus in Tumore pedum œdematoſo prorſus abſtinere, quam eosdem quidem in uſum trahere. Attamen commendat Conſil. 36. Cauteria & Fonticulos in Scorbuto, plerisque alias Medicis de iisdem hic ſilentibus. Conſil. 39. aquæ imperat potum in ventriculi corrigenda aciditate, ita tamen, ut frigiditatem ejus admiſtione prius temperandam præcipiat vini Hiſpanici, velut quod ex liquoribus fermenteſcibilibus ſolum aceſcere nunquam ſoleat. Conſ. 42. poſtquam viperinorum medicamentorum in Impetigine aliisque affectibus ſubcutaneis internum uſum mire reddidit ſuſpectum, unguentum aliquod delineat de Chryſocolla, in puncto quaſi adurens Lichenem. Conſil. 44. multis quartanariis myrrham ex vino albo ante paroxyſmum ſeſe magno ſucceſſu propinaſſe ſignificat, externe quoque Cantharides, telæ aranearum involutas, & quartanariis ſuſpenſas, haud paucos liberaſſe affirmans. Conſil. 55. remedia cuidam præſcribit Viro, a quo vermiculi criniti & atro-vireſcentes non ſine animi ſtupore, cum urina fuerant excreti, adeo quidem vivaces, ut vitæ fuga conſulturi e matula repſerint. Conſil. 56. eorum explodit judicium, qui herbam Nicotianam omnibus morbis tollendis idoneam jactant & pro Panacæa venditant, non negans interim virtutes ineſſe huic plantæ admirandas, modo rite in uſum adhibeatur medicum. Conſil. 60. Aluminis in tuſſi uſum ex Hordeaceo addito ſaccharo roſato multis extollit nominibus. Conſil. 61 Myopiam non aliter quam ex ſitu humoris cryſtallini profundiore fieri, adeoque affectum connaturalem exiſtere, neque remediis aut arte ſuperabilem, ex opticis deducit principiis. Conſil. 64 multa de Thermis diſſerit, finem demum Conſil. 75. de proba victus ratione inſtituenda imponens.

OBSERVATIONES IN POEMATA HOMERI ET Virgilii e Gallico Latine reddita,

Trajecti ad Rhenum apud Franciſcum Halma. A. 1684, in 12.

QUi obſervationes haſce concinnavit Autor, exquiſitiſſimæ doctrinæ eſt, & in veterum autorum lectione mirum quantum exercitatus. Licet enim ex hoc veluti veſtigio Herculem totum cognoſcere. Scripſit autem hunc librum Gallice, neque hunc tantum, ſed & quinque alios, teſte libri hujuſce præfatione, ad utramque eloquentiam tum ſolutam tum ligatam, ad dignoſcendas item maximorum in utroque genere ſcriptorum virtutes, ut & ad cognitionem tam antiquæ, quam hodiernæ Philoſophiæ perquam conducibiles. Neque ſuæ haut dubie Autori non fuerunt rationes, cur vernacule, non Latine ſcripſerit. Bonum interea factum, quod hic obſervationum libellus, qui eruditæ antiquitatis melligine totus ſcatet, ex Gallico in Latialem ſermonem tralatus fuerit. Argumentum autem hujus quod attinet, is nihil aliud, quam accuratam & judicioſam duorum principum Poetarum *Homeri* & *Virgilii* comparationem in ſe complectitur. Comparationem equidem parallelam Homeri ac Virgilii, etiam ſuperiorum ætatum eruditi, Macrobius puta, Julius Scaliger & Fulvius Urſinus confecere. Sed illos exteriora tantum, & ſuperficiem quaſi tantummodo delibaſſe, neque ad *fundum usque penetraſſe* Autor ait; atque uti æqua mente perferre non potuit, quod quidam præjudicio quodam occœcati Homerum Virgilio antepoſuerint, ita aliud quid in hiſce obſervationibus, neque infeliciter, oſtenſum ivit. Largitur quidem in anteceſſum, Homerum longe diffuſiorem in multis atque opulentiorem eſſe Virgilio; at in eſſentialibus tamen Epici carminis, quod perfectiſſimum omnium eſt, partibus præcellere omnino Virgilium, toto hoc opuſculo contendit. Quam ſententiam ſuam ut in menſa quaſi Solis exponat, præmittit definitionem Epopœæ ſeu carminis Epici ex Ariſtotele, quod nimirum ſit imitatio actionis illuſtris, nec non partes ejus, quæ ſecundum eundem ſunt, Fabula, Mores, Sententiæ & Elocutio. His præſtructis committit inter ſe Homerum ac Virgilium primo quoad *Fabulam*, atque breviter utraq; expoſita oſtendit, felicius finiri Æneida Virgilii, quam Iliada Homeri, & actionem Æneæ eſſe Heroicam ac ſupra hominem, Achillis ne rationalem quidem atque adeo infra hominem; materiam item Maroniani operis non feliciorem tantum, ſed & Latio ipſique autoriglorioſiorem, cum Homerus furioſum Achillem deſcribens dedecorarit hoc ipſo cives ſuos, Virgilius vero Romanos Deorum ſanguine oriundos fecerit, & præci-

pue

pue Augusto Imperium æternum promiserit. Deinde comparationem Autor inter duos Heroas, Achillem nempe Homeri & Æneam Virgilii, instituit. Atque hic dicit Homerum non descripsisse ideam perfecti principis, neque aliam suo tempore ante se ideam habuisse, quam Thesei & Herculis, aut cujusvis alius priorum temporum, propter corporis robur atque audaciam celebrati; Virgilium vero ante oculos sibi statuisse non Heroes tantum abs Homero descriptos, sed & Heroes Græcos ac Romanos sua tempora antegressos, atque ex his ideam longe perfectiorem concepisse. Et vero Achilles ab Homero describitur non tantum ut fortis atque animosus, sed etiam ut crudelis, vindictæ cupidus, avarus ac levis, ut epitome omnis imperfectionis videri possit. Æneas e contrario a Virgilio religiosus, pius erga patrem, amicus erga suos, æquus & justus erga omnes, audax in subeundis periculis, laborum patiens, animosus ac fortis in armis, in rebus gerendis prudens, bonus ubique, pacificus, liberalis, disertus, pulcher, popularis, decora majestate conspicuus, & ne quid ad perfectionem desit, felix repræsentatur; & quamvis Achilles longe fortior ac bellicosior Ænea videri possit, Æneas tamen nihil eorum, quæ fortis ac magnanimi Viri sunt, id quod fuse Autor demonstrat, temere intermisit. Cæterum cum Fabula nascatur ex tribus, (1) ex naturali connexione actionis principalis, & justa partium illam componentium proportione; (2) ex justo verisimilium & admirabilium temperamento; (3) ex apta episodiorum congruentia cum actione principali: etiam in tribus his omnibus carere vitio Æneida præ Iliade & Odyssea, ostendit Observator. Iliadis enim & Odysseæ actionem esse imperfectam (quod & ipsum mox declarat); Homerum præterea parcum esse in verisimilibus, sed prodigum in admirabilibus, & semper Deos, etiam præter necessitatem, inducere; episodia denique ejus justo grandiora esse, coacta, & nimium frequentia. Æneida vero habere perfectam actionem, partiumque omnium proportionem ac convenientiam; deinde verisimilia in eo multa, sed rara Deorum ministeria, & majore quidem cum judicio, repræsentari; episodia etiam omnia cum argumento apprime convenire; quæ omnia clarissimis ubique exemplis abs Autore evincuntur. Has comparationes sequitur alia quoad *Mores*, qui secundum Epici carminis locum occupant; intellige mores non tam poetarum, quam personarum, e quibus consistit actio.

 Atque

Atque hic maxima sese diversitas exerit inter Heroes ab utroque descriptos, quam & scite non minus, ac prolixe doctissimus Observator exposuit. Mores excipiunt *Sententiæ*, tertia poematis epici pars. Heic ineptitudinis in multis accusatur Homerus; Virgilius vero semper serius, semper Heroici characteris servantissimus, neque unquam ad ineptias descendisse dicitur; quanquam & hoc non abs re ab Autore additur, multa non tam Homeri, quam seculi esse vitia, ut quod majoris elegantiæ tum capax non fuerit. Restat *Elocutio* sive dictio, tanquam epici carminis pars ultima. Hic diffiteri non potest Autor, Homerum eminere ac triumphare præ Virgilio ob sublimitatem, elegantiam ac dicendi opulentiam, unde & totius antiquitatis admirationem promeruerit. Subjicit tamen & hoc, in Homero transitiones ferme ubique easdem, comparationes plurimas valde frigidas, & descriptiones nimis crebras esse atque affectatas; & quamvis in epithetis quoque & adverbiis Homerus excellat præ Virgilio, multa tamen nimis simplicia esse ac vulgaria, v. g. *nix alba, ardens ignis, lac dulce*, & si hæc veluti vestis vel pompa Homero adimatur, eum reliquo poetarum gregi fore similem. De *epithetis dum agit* Observator, velut in transitu, recentes scriptores quosdam (quos barbare *Inscriptionistas* dixeris,) reprehendit, qui non alia venari solent epitheta, quam quæ simul contradictionem involvunt ejus verbi, cum quo junguntur, ut per hanc oppositionem plus splendoris ex oratione elucescat; longe meliora esse innuens epitheta communissima, & rerum naturam commodissime exprimentia, quam tam longe petita, & quendam mysteriorum horrorem præ se ferentia. De cætero uti certi quid statuatur de incomparabili hoc poetarum pari, characterem cuique suum tribuit observator, dicitque Homerum loquendi esse studiosum, sed Virgilium verborum parcum ac taciturnum, quique nihil dicat, nisi quod dici debeat; quapropter & divinæ ei laudes ab Autore tribuuntur. Concedit tandem idem Autor, Iliada & Odysseam, quantum ad unitatem temporis, præferri debere Æneidi (nam actio Odysseæ XL dies non excedit, Ilias IIX vel IX ad summum menses; Æneidis vero annum integrum, & quod excurrit) at actionem tamen Æneidis, si recte consideretur, longe perfectiorem esse, quam Iliadis, cum post mortem Hectoris, quæ actionem finire debebat, duo adhuc libri restent, XXIII & XXIV; Æneis vero finiatur in morte Turni, quæ

ni, quæ actionem terminet. Deinde & Virgilii expressiones multo magis esse vivas, quod cum exemplis aliis, tum descriptione maxime amoris Æneæ & Didus clarum redditur; Homero interim majorem verborum esse copiam, ut & inventiones longe fœcundiores atque opulentiores; quanquam & hoc observatur insimul, Homero non integram inventionis deberi laudem, quin & ei a multis œconomiam & dispositionem utriusque operis eripi, sed quibus calculum suum observator non adjicit. His ita dissertatis tandem Autor exordia poëmatum Homeri ac Virgilii inter se comparat, ostensoque, hac quoque in parte palmam præ Homero reportare Virgilium, non præter rem eos, qui Homerum unicum, ejusque magnificentiam ævo omni præ Virgilio sunt admirati, salse perstringit, neque idoneos eos agnoscit judices, ut qui exteriora tantum cum Grammaticis admirati, virtutes carminis epici essentiales nunquam cognoverint. Tandem, ut tribus quasi verbis decidat, quid in toto hoc opusculo profiteatur, non inconcinne rem sic dividit; *Homerum plus habere ingenii; Virgilium plus judicii ac delectus.*

CHRISTIANI HUGENII ASTROSCOPIA COMpendiaria Tubi optici molimine liberata.

Hagæ Comitum, apud Arnoldum Leers, 1684 in 4.

POst eximia cætera in orbem literarium merita, quibus hactenus inclaruit, vir celeberrimus Christianus Hugenius, prodit ab ipso luculentum hoc siderum observandorum compendium, quod tanto pluris Astrorum consultos æstimare omnino convenit, quanto, quæ hucusque in hanc rem prodita sunt ab aliis studii hujus subsidia, operæ fuere difficilioris, minusque ad vota & expectationem curiosorum.

Postquam enim ab inventis Tubospecillis in immensum crevit, uti visus in remotiora intentio, sic & studium proferendi hujus artificii, usibus oculorum tam proficui; nihilque post tot tantasque accessiones jam superesse videbatur excogitandum, quam ratio, qua subveniretur molestæ versationi Tuborum longiorum, mole sua citra machinarum nixum minime, earum vero adjumento difficulter admo-

du[...]tractabilium, ingratum hunc obicem, unaque ingens illud tædium ex continuo illius objectu observatoribus subnatum, levi veluti brachio ingeniosissimus Autor sustulit, & ne porro intentis siderum scrutatoribus incommodo esset, inventi adeo præclari publicatione efficere annisus est. Ejus autem in eo posita est præstantia, quod citra tuborum usum telescopiorum quantæcunque magnitudinis lentes ad spectacula cœlestia adhibere facillime, magnoque temporis, operæ, & sumtuum compendio doceat; eo quem Clarissimus Autor exposuit modo, quemque ex edito schediasmate huc transcripsimus.

Loco patente & undique aperto malus *a b* in terram defigitur, ad perpendiculum erectus, nec multo infra telescopii, cui lentes quibus utendum est, aptandæ alias forent, longitudinem productus. Hujus, priusquam erigatur, latus unum dolabra complanatur, atque ibi regulæ binæ affiguntur inter se parallelæ, ac sesquipollice distantes, itaque canalem efficientes, interius paulo latiorem, qui a summo malo ad imum fere pertingat, reliquis tantum pedibus tribus vacuis. Præterea in ipso mali cacumine, orbiculus *a imponitur, circum axem* mobilis, inque eum funis *gg* ducitur dupla mali longitudine, crassitudine minimi digiti dimidia. Utque eo, si forte opus sit, ascendi possit, triangula lignea æqualibus spatiis defiguntur, quibus scandentis pedes insistant. Ita demum paratus malus erigitur, parte ea, qua terra tegendus, illita pice, circundataque arena, quo minus putredine corrumpatur. Usus mali est, ut lens major ejus opera in altum tollatur quousque opus est; quod fit hoc modo.

Asserculus bipedalis *c d* uno latere ita inciditur, ut intra canalem, quem diximus, liberrime moveri queat. Hujus medio affigitur brachium *e* itidem ligneum, pedem unum a malo exstans, cujus in extremo aliud sesquipedale *ff*, media item sui parte, conjungitur rectis angulis. Utrumque vero horizonti parallelum extenditur. Huic transverso brachio lens imponitur, ea qua dicemus ratione, atque omnia sursum adducuntur, adnexis asserculi extremis ad funem ante demonstratum; qui ab imo malo ad summum adscendens, ac super orbiculum transiens, inde descendit rursus, ac priusquam terram attingat, in sui ipsius caput alterum innectitur. Habet autem *funis* is adjectum plumbum *h*, pondere æquali quantum est brachii mobilis

cum

TAB:XIII.
A: 1684. p

Digitized by Google

Digitized by Google

cum lente impoſita; eoque loco deligatum, ut ad ſummum malum pertingat, cum lens in imo conſiſtit. Ita hæc facillime ad eam quæ requiritur altitudinem erigitur, & omiſſo fune, ſponte ibi ſuſpenſa manet. Forma plumbi parte utraque in coni apicem deſinit, ne obhæreat ad triangula, quæ per malum defixa diximus.

Cæterum lens hæc teleſcopii major collocatur aptaturque hoc modo. Primum in annulum ſeu cylindrum cavum, e ferri bractea fabricatum *i*, ipſa includitur, longum digitos quaternos. Huic cylindro, ſive alteri potius in quem hic inſeritur, bacillus pedalis *kl*, digiti craſſitudine, extrinſecus ſecundum latus affigitur, totus in partem unam prominens. Hæc omnia globulo æneo *m* inſiſtunt, avellanæ nucis magnitudine, qui bacillo cohæret, inque ſubjecto ſui moduli cavo libertime volvitur; ita tamen ut excidere nequeat. Cavum partibus duabus conſtat, quæ, ſuper pediculo tereti, cochlea junguntur adſtringunturque, ſed ita ut globulum nihil prorſus premant. Lens igitur, cum bacillo ſibi adfixo, hoc modo mobilis efficitur. Quæ porro ut æqualiter librata conſiſtat, pondus unius libræ *n* circiter infra bacillum appenditur, filo æneo craſſiore ſemipedali conjunctum atque infixum. Cujus flexu facile ita pondus temperatur, ut centrum commune, ſuæ lentisque gravitatis, cum centro ſphærulæ conveniat, atque hoc pacto quocunque poſitu lens ſuſpenſa maneat, attactuque leviſſimo moveatur. Qua in re potiſſima verſatur inventi pars. Pede enim globuli in foramen transverſi brachii, quod ſupra deſignavimus, immiſſo, (duo autem vel plura ejusmodi foramina fiunt, ut in omnem cæli partem commode lens obverti poſſit) filum vel funiculus tenuiſſimus *lu* bacillo, ſive caudæ extremæ illigatur; juncturus nempe lentem majorem cum ea quæ oculo proxima ponitur, ac proinde futuri teleſcopii longitudinem æquans, vel potius paulo excedens. Hinc, ubi ſublata ad malum fuerit lens, quocunque id filum, manu leviter tractum, circumferetur, lentem una movebit, eamque hoc modo ad aſtrum quodcunque recta opponet. Quod certe absque hoc libramento fieri non poſſet. Cæterum ut extento filo cauda ſeu bacillus, quem lenti adpoſuimus, parallelus fiat, quod omnino neceſſe eſt, infigitur parti ejus extremæ ſtylus æreus *l* digiti longitudine, cui deorſum flexo, donec cuſpide ſua tantundem ac centrum globuli infra bacillum deſcendat, ita demum filum, quod

quod diximus, annectitur. Cur autem stylo flexili hic utamur, postea dicetur.

Jam vero & de oculari lente explicandum, quomodo cum priore componatur; quod multis verbis non indiget, siquidem eadem fere omnia, quæ in majori lente, observanda sunt. Similiter enim tubo, seu cylindro brevi *o*, hæc quoque includitur; item bacillo seu caudæ *p* conjungitur; quæ porro globulum suum cui innitatur habet. Sed hujus loco axiculus transversus *q* adhiberi potest. Infra bacillum vero pondus exiguum *s* rursus appenditur, quanto opus est ad faciendum libramentum. Porro capulus *r* globulum vel axiculum ferens, manu observatoris apprehenditur; bacillus versus lentem, majorem sublime positam, directus est, filo eidem, quod inde descendit, illigatus. Adducta vero manu, contentoque leviter filo, parallelas inter se fieri lentes perspicuum est. At non eodem modo, bacilli hujus extrema parte, filum adnectitur, ac superiori illi, qui lentem majorem dirigit; sed per foramen *u* trajectum, inde verticillo *t* involvitur, cujusmodi sunt quibus testudinum chordas intendunt; qui verticillus medio bacillo a latere *infixus est*. *Hujus* conversione, inter observandum, fili longitudo producitur contrahiturve, donec intervallum inter lentem utramque, oculo spectatoris exacte conveniat, postquam antea prope verum fuerit repertum, quod est facillimum.

Cæterum, quo possit observator immotam detinere lentem sibi proximam, quod apprime necesse est, fulcrum quoddam *x* præsto est e levi materia compactum, duobus pedibus insistens, ac superiori parte transversum habens baculum, cui brachia utraque, sive stantis sive sedentis, innitantur; dum altera manu, quomodo diximus, lentem sustinet. Multoque expeditior est hæc ratio, atque ad usum accomodatior, quam si tertius pes fulcro accedat, inque ipsum lens ocularis imponatur.

Ut vero noctu, atque in tenebris, stellæ quævis telescopio nostro facile reperiantur, lumine utimur laternæ *y* incluso, quales jam vulgo notæ sunt, vitri convexi vel speculi opera longe lucem projicientes. Hujus radiis ad malum lentemque in eo hærentem directis, ubi circulus ipsam continens conspectus fuerit, facile eo transfertur *visus*, ut stella ipsi media lente tegatur, simulque admota lente *minori*, per

utram-

utramque ſe ſpectandam præbeat. Ac ſane multo citius hoc peragitur, quam factum fuit hactenus teleſcopiis tubo inſtructis. Adeo ut hoc quoque nomine longe præſtet nova hæc obſervandi ratio. Lunam vero contemplari volentibus, lucerna nihil opus eſt, quod ipſius aſtri luce lens conſpici poſſit. Sed hic ob diſci Lunaris amplitudinem (ne partem quampiam intuenti, ab alia parte lux, aliaque via quam per majorem lentem, ad oculum accidat) circulus papyraceus lenti huic circumponitur, paulo majore quam dupla diametro, ad eum quo tota Luna tegeretur. Quod niſi fiat, dilutiores apparent umbræ tractusque ii, qui cæteris obſcuriores, in ejus globo conſpici ſolent. Atque ita jam teleſcopii noſtri aerii rationem omnem & apparatum explicuimus, non ſane operoſum; filoque illo, velut Ariadnæo, unde hactenus inventus non erat, exitum reperimus. Tab. XIII.

Verentibus autem, ne ſubſidente filo, quod inter utramque lentem porrigitur, flexus ejus, utut exiguus, in magnis tamen 100 aut 200 pedum longitudinibus poſitum earum parallelum impediat: primo leviſſimi fili bombycini pondus objicit, quod in pedes 50 ſemidrachmam non ſuperet, libraſque ſeptem appenſas ſuſtineat priusquam rumpatur, cujusque adeo flexus nec in hac nec multo majori diſtantia (quod calculo geometrico inito & appoſito comprobat) quicquam officiat, etſi nonniſi modica vi, duabus tribusve libris æquipollente trahatur: utique cum paralleliſmus lentium geometricus hic non requiratur. Deinde, ut omnem cauſandi locum præcidat, ſequentem correctionem adhibet, qua quidem, una opera, omnem aliam lentis declinationem reſtituit. Nempe lente, ut dictum eſt, librata atque ad oculi altitudinem defixa, filum caudæ adnexum manu altera capi, eaque oculo admota, altera lucernam juxta teneri præcipit. Tum paulatim recedendo, extentumque filum producendo, obſervare jubet, an duplex flammæ imago circa mediam lentem appareat, ab utraque nimirum ſuperficie ejus reflexa. Id ſi contingat, ubi jam tota fili longitudo exierit, quanta nimirum futuro teleſcopio debetur, indicio eſſe rectiſſime lentem ad oculum converti: Quod ſi altera tantum flammæ reflexio conſpiciatur, male collocatam, ſi neutra, pejus pronunciat. Hic vero jam remedium adhibendum, ubi cognitum fuerit, in quam partem lens declinet. Stylum enim æneum extremæ caudæ adjectum, filumque innexum habentem, in partem

eandem parumper flectendum; ac rursus, ut ante, lucernæ reflexionem tentandam; idque ita repetitis vicibus faciendum, quoad utraque flammulæ imago in unum convenire conspiciatur. Tensione autem fili utendum mediocri, qualem supra definiverit, duarum aut trium librarum vim referente, eique quatenus licet adsuescendum. Hoc modo correctam semel lentis positionem ad omnes observationes valere.

In magnis etiam (puta 200 aut amplius) pedum *intervallis*, ubi vix tantum luminis lens a lucerna, etiam convexo vitro adjuta, accipere possit, ut ab observatore cernatur; idem lumen amplius intendendum esse, vel aucto lucernæ ellychnio, vel adhibita lente latiori, leniusque convexa, quæ lucem transmissam minus diffundat, longiusque proinde ejaculetur.

Quantum porro ad mali altitudinem attinet, parandæ ejus plures quidem modos suppetere: posse vero statuto uno, alium ejus opera duplo altiorem juxta attolli, ac simul firmiorem reddi, transversis fibulis utrumque conserendo. Ac firmissimam futuram compagem hujusmodi, si duo mali humiliores, cum *tertio duplæ altitudinis*, binis ternisve pedibus inter se distent, in triangulum dispositi, dictoque modo religati; eaque ratione facile ad centum pedum altitudinem perveniri: ad multo majores vero, vel validiori malorum ac trabium substructione utendo, vel ad turrim aut ædificii altioris angulum inferiora ligna applicando; ita ut nihil tamen obstet, quo minus, ab imo ad summum, lens primaria adducatur, per continuum canaliculum ascendens. Sed & super turri aut domus culmine erigi malum posse, ut ibi adstet is cui funis cura demandata est, ad evehendam demittendamve lentem.

Cæterum ut positum suum servaret ocularis lens, minusque assueti telescopicis observationibus citra difficultatem hoc invento uti possent, auctarii loco Autor machinæ exiguæ descriptionem adjecit, quæ fulcro bipedi supra memorato affixa id operæ præstaret. In ea est *bb* rhombus plicatilis ex ære, binis lateribus ad duplam longitudinem inferius productis. Hunc rhombum transversarii medio applicitum tenet cochlea ferrea *f*, supposita æris vel ferri particula *g*, ac præterea orbiculo ex ære tenui, leniter convexo, cujus pressu lentus æquabilisque efficitur motus rhombi ac diductio. Porro ex angulo ejus

ejus ſuperiore, axis ſeu columella prominet *c*, perpendiculariter inſiſtens, longitudine ſesqui pollicis. Cujus capite altero lamella mobilis adhæret, 4 pollices longa, dimidium lata; quæ hic conſpici nequit, quippe tacta capulo ligneo *d*, paris longitudinis, cui conſerta eſt. Huic demum capulo, plano ac parte anteriori leviter inciſo, inſeritur lamella altera ænea *e*, quæ ſuper axiculo mobili bacillum ſuſtinet, cum affixa oculari lente, tubulo ſuo incluſa. Ut autem rhombus cum impoſito onere æqualiter libretur ſuper axe *f*, adjiciuntur in productis lateribus extremis pondera paria *bb*, quantis ad hoc opus eſt.

Quibus ita ſe habentibus, quocunque perducta fuerit obſervantis manu lens ocularis, capulo *d* ſemper deorſum converſo, ibi ſponte ſua conſiſtit: atque ita, invento ſidere, facile imperitior ſpectator in prioris locum ſuccedit, eodemque fruitur ſpectaculo. Facit enim funiculus utramque lentem conjungens, ut poſitum ſuum fulcrum ſervet, ſpectatorem verſus reclinans, etſi duobus tantum pedibus inſiſtat; ſimulque fulcri pondere, eorumque quæ ipſi impoſita ſunt, idem funiculus intenditur; adeo ut nihil aptius commodiusve hac in re optari queat.

Altitudo fulcri eſt pedum 4, poll 9. Gravitas ejus librarum 2¼. Lentis ocularis, cum tubulo & bacillo, gravitas libra dimidia. Rhombi cum ponderibus *bb*, libræ 2¼: ab autore propterea adſcripta, ut conſtructionem ſuam, experientia comprobatam, eo facilius cuivis imitari liceat.

Cum etiam obſervationibus exquiſitioribus ſiderum minutiorum lucem quandam tenuem ab aere ad oculum manantem, eamque non per lentem majorem advenientem, ſed extrinſecus circum latera præterlabentem, officere deprehendiſſet: excludendæ huic importunæ luculæ, perforatam laminam oppoſuit, cujus interpoſitu pupilla oculi, per tenebras alioqui late patens, arctaretur. Et ne reducta hoc modo pupilla difficilius, ac cum tota patet, propoſitum ſidus inveſtigaretur, orbiculum illum perforatum, ac ſemipollicem latum, & brachiolo quodam deltoidi *k*, mobili flexilique hærentem, ita tubuli fundo, per quem lens ocularis inſpicitur, quique latiori foramine pervius eſt, conjungit, ut non prius, quam per hoc latius foramen ſidus detectum ſit, alterum illud anguſtius ſuperinducatur. Vult

autem diametri exigui hujus foraminis ad diametrum aperturæ lentis majoris eam rationem eſſe, quæ eſt focorum utriusque diſtantiæ; ut teleſcopio ejusmodi æque clare omnia cernantur, ac oculo libero & aperto relicto: imo latitudinem hanc duplicandam, vel paulo amplius augendam, quo facilior ſit objecti inquiſitio, diuturniorque aſpectus. Idem foramen vero a lente oculari beneficio flexus in brachio deltoide ad foci hujus lentis diſtantiam removet, ut tanto amplius ſpatium uno obtutu poſſit comprehendi.

Denique diametrum circuli, lenti magnæ circumpoſiti, quadrageſimam quintam partem conſtituit longitudinis ipſius teleſcopii. Cumque circuli hujus objectu impeditior reddatur aſtri inveſtigatio, bacillo lentis ocularis ſtylum *m*, perpendiculariter erectum, imponit; cujus apex tantum ſupra axem lentium attollitur, quanta eſt circuli hujus ſemidiameter: ut oculo cum ſummo margine circuli & ſtella in una recta collocato, tumque apprehenſo capulo *d*, & mota lente oculari cum adjuncto bacillo, donec in eandem quoq; rectam quadret extremum ſtyli *m*, ſtella eadem viſum in hoc ſitu ad tubulum ocularem referenti, per teleſcopium ſeſe præbeat conſpiciendam, aut certe parum abſit.

DANIELIS GEORGII MORHOFII DE PATAVINITATE LIVIANA Liber. Ubi de Urbanitate & Peregrinitate Sermonis Latini univerſe agitur.

Kilonii apud Joach. Renman. Acad. Typogr. 1684 in 4.

DE ſermonis Romani, qui Conſulum, qui Patriciorum, qui Equitum erat, nitore, quam Urbanitatem dixere, docte graviterque diſſerere: ætatis aureæ Scriptores ab iniquis obtrectantium cenſuris; Livium præſertim Hiſtoricorum Romanorum principem, & ipſum Equitem, adverſus Aſinium Pollionem Patavinitatis inſimulantem acriter defendere, ſic ut in animo legentis ſuſpicio impolitæ dictionis ne minima relinquatur, illuſtris non minus eſt ingenii, quam artis exquiſitæ. Quod cum in præſenti Scripto egregie, uti propoſuerat, Clariſſimus Autor præſtiterit, non eſt dubium, quin de bonis ille literis

Digitized by Google

teris tanto præclarius mereatur, quanto majori illis ſolent eſſe detrimento, quorum pravum detrahendi ſtudium id agit, ut quacunque ratione Scriptores Claſſicos erudito ſeculo ſuſpectos reddat, primamque adeo dicendi regulam corruptam: non alio, ut opinamur, conſilio, quam ut ipſi, deturbatis, tanquam ſenibus aliquibus depontanis, de gradu ſuo veteribus Sapientibus, quos tot anteactorum ſeculorum autoritas comprobavit, tot doctiſſimorum virorum judicium confirmavit, vacuam eorum poſſeſſionem occupent. Quanto rectius & fecit, & præcepit Autor diſertiſſimus? *Tueamur nonnunquam*, inquiens, *Veterum Autorum ſententias, adverſus oculorum noſtrorum fidem, adverſus Dialectices & Grammatices noſtra dubia, ita ut vel nullos in illis errores, vel pulchros eſſe oſtendamus, & potius velut virtutes imperfectas veneremur, quam ut vitia damnemus.* Quanto ſapientius Quintilianus? *Modeſte & circumſpecto judicio de magnis Autoribus pronunciandum eſt: ne quod plerumque accidit damnent, quod non intelligunt. Ac ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere quam diſplicere maluerim.* Neque judicii leve argumentum ſtatuas, quod nitidum adeo, ac profundioris doctrinæ plenum opus Illuſtri SECKENDORFIO inſcribendum duxerit. Siquidem is omnes, qua eſt animi ſolertia, hujus argumenti receſſus, omneque Scriptorum genus jamdudum ſic excuſſit, eaque judicandi dexteritate & acrimonia pollet, ut cui totum ejus rei arbitrium potuiſſet felicius permitti, neminem videamus.

Eo autem ordine in delenda Patavinitatis nota Vir doctus verſatur, ut alienas de hoc vitii genere ſententias probe examinet ante & removeat, quam quid de ejus qualitate, origine, & veritate ſibi videatur exponit. Cum enim Patavinitatem Hiſtorico impactam alius de Pompejanarum partium ſtudio; nonnulli de Gallicæ nationis odio; viciſſim alii de patriarum laudum affectatione, quaſi Patavinorum res geſtas aliorum rebus adeo prætuliſſet Livius; quidam de Orthographiæ peregrinitate, & *ſibe, quaſe*, v. g. pro *ſibi, quaſi* ſcribendi ratione, interpretarentur: neque defuerint, qui in pronunciatione verborum incondita, vel in ſermonis etiam ubertate & abundantia, vel in ornatu nimio, vel denique in grandi dictionis charactere, quærendum id ſcommatis putaverunt; opiniones ſingulas cum Autoribus ſuis ſub cenſuram, licet non uno in loco, vocat, & rationibus idoneis redarguit, ex

antiquitate & hiſtoria depromtis. Quo impedimentorum genere ſublato, ad rem ipſam propriamque ſententiam explicandam accedit propius, & in oratione ac dictione ipſa vitium hoc poſitum a Pollione fuiſſe ſtatuit, motus Quintiliani locis, quæ capite quarto curatius expenduntur, deſcripta inſimul ingenii aſperitate & ſupercilio, nec non invidia, meledicentia, & obtrectandi ſtudio, quibus moroſus hic æqualium ſuorum cenſor (nam nec Ciceroni, nec Salluſtio, nec Virgilio, nec Attejo pepercit) laboraſſe, virtutesque ſuas obnubilaſſe legitur. Non paucos porro in ſcenam ubi produxiſſet: Benium, Sturmium, Picum, Bibliandrum; Rhodiginum quoque, Eraſmum, Lipſium, & alios, autoritate Pollionis ad ſiniſtra de Livii latinitate judicia abreptos, oſtendiſſetque, occaſionem huic convitio illam potiſſimum dediſſe ſermonis diſcrepantiam, quæ notata olim Romanos inter & Oppidanos fuerat; in quonam Urbanitas & Peregrinitas Latinæ Linguæ conſiſtat maxime, quiſve proprius & nativus utriusque color in genere ſit, diſquirendum ſibi ſumit. Lingua igitur Latina certis quibusdam characteriſmis in priscam, Latinam, Romanam, & mixtam diſtincta, docet Urbanæ dictionis virtutes eſſe, *quod perſpicua &* pura, quod morata, quod ſimplex ſeu nuda & ſine fuco rem declarans, citra ambages, circuitiones; quod ſuavis, quod arguta ſeu urbano ſale conſperſa ſit, quodque apta verborum collocatione & concinnitate gaudeat. Quas virtutes capite ſexto & ſeptimo ita perſequitur, ut Romani urbanique ſermonis inde genius intelligatur facile, nec non Latinæ & Græcæ linguæ paralleliſmus; Pelasgos quippe primos Italiæ colonos habitos fuiſſe, urbanitatemque a ſermone Attico translatam in Romanum. Peregrnitatem e diverſo (poſtquam laudabilem a vitioſa, & hanc a ruſticitate, accuratis limitibus diſtinxit) ex virtutum illarum defectu & vitiis contrariis æſtimandam, e provinciis partim, Hiſpania, Gallia, Africa; in quibus Lingua Latina præ cæteris floruerit; partim e municipiis Italiæ & Latii in Romanam linguam irrepſiſſe, rem non parum promovente coloniarum deductione, donatione Civitatis, luxu item, in provinciales faſtidio, quin & ignavia Romanorum, quod nonadvertentibus obrepere peregrinitas ſoleat, cum a conſuetudine & autoritate Latinæ linguæ, ſignificatione, phraſi, inepta junctura diſcedimus. Urbanitatem interim non ita ſtatuit intra urbem unam compingendam, ut nulla ex ipſa peregrinitas oriri potuerit,

nec

nec ita Provinciis in universum abjudicandam, qui fuerint in illis, qui ipsos Urbanos urbanitate vincerent; cum vel inter recentiores sint, qui sola Autorum lectione eo profecerint, ut certare vel cum antiquis possint. Imo Provinciales plures, quod inductione effectum & declaratum habes capite duodecimo, eloquentia Latina floruerunt, quam Romani.

Et ista quidem de autore hujus reprehensionis, & occasione hactenus: de ejus autem veritate & fundamento quid statuat Autor, ex his non obscure intelligitur: *Vel itaque* concludit, *leve aliquid & nugatorium, in quo illa Patavinitas consistit; vel quod potius duxerim, mera aliqua calumnia est, non ex rei veritate, sed a supercilio & invido Pollionis animo profecta.* Idiotismos, si qui in Livio occurrunt, ullo nos judice ut a pura latinitate abhorrentes damnare posse negat, quod in ipso Cicerone multa singularia occurrant, non temere, vel eo solum nomine, quod apud alios non legantur, rejicienda. περιττολογίαν & sermonis ubertatem vitio Livianæ orationi ut vertat, tantum abest, ut summam ejus virtutem interpretetur, quod ejus conditionis illa sit atque indolis, ut styli historici virtutibus, brevitati & celeritati, nequaquam deroget. Grande dicendi genus in Livio si fuerit, idipsum & ornari voluisse, & requisivisse augusti majestatem argumenti, in quo labor Livii sit versatus. Difficultate tandem censurarum in hoc argumenti genere demonstrata, brevem eorum, quæ de Patavinitate Livii dicta sunt, ἀνακεφαλαίωσιν instituit, modestiam censoribus Autorum veterum commendat, nec solo Pollione, sed omni etiam reliqua censorum turba superiorem Livii esse gloriam concludit.

Cæterum e pulcherrimarum rerum, quam liber passim legentibus offert, copia si quid excerptum hic legi juvat, observatu dignum videtur e multis, quod, quæ ex opere Livii desiderantur, Decadum recuperandarum spem non plane autumat evanuisse. Quinimo e Septentrionis thesauris hanc rei literariæ insignem jacturam potuisse resarciri, exemplo ostenditur codicis integri, delati olim e Bibliotheca Drunthemensi Bremam. De quo testimonium fide non indignum producit ex MSCto Chronico Bremensi, ad verbum a se ex vernacula Saxonum, qua consignatum legebatur, sic redditum & expressum: *Anno CIↃ IↃ XXI diem suum obiit D. Martinus Gronning Bremensis, Cantor illius Capituli Vir doctissimus, qui Romæ in Collegio Sapientiæ publi-*

publice prælegerat. Is Decades & Libros Titi Livii deperditos, MSCtos habebat, quos e Bibliotheca Druntbemenſi e Norwagia, ubi hactenus latuerant, acceperat. Qua de re cum certiorem faceret Philippum Beroaldum Pontificis Bibliothecarium primarium, ille reſcripſit, ut libros illos ſecum Romam deportaret: ſe curaturum, ut ipſi e veſtigio, præter ſumtus itineris, mille aurei ſolverentur. Verum cum fatis interea concederet Martinus, Libri illi Liviani a pueris, aliisque harum rerum ignaris diſcerpti perierunt. Dolendum ſane, præclaros iſtos libros iterum deperditos in lucem edi non potuiſſe. Quo loco de Philippo Beroaldo ne quis oriatur ſcrupulus, Beroaldum hunc Philippi eſſe filium ſubjicit, non patrem qui Bononiæ humaniores literas eſt profeſſus; id quod Eraſmi, Lil. Gyraldi, Pauli Jovii, & Pier. Valeriani ſtabilitur autoritate. Atque Norwegicum huncce codicem cum Scotico, quem Freguſius Scotorum Regulus in Hionam, Hebridum & Orcadum unam, teſte Jovio, & ex eo Actis noſtris anni præcedentis p. 86, ſecum detulit, eundem eſſe inde ſuadetur ab Autore, quod perpetuæ Norwagiæ Regum cum Scotiæ Regibus de Orcadum & Hebridum inſularum dominio fuerint lites, usque dum Chriſtianus I, Rex Daniæ & Norwagiæ, *Jacobo III*, Scotiæ Regi eas cum filia in dotem dederit, eoque non ſit omnino incredibile, inter has turbas bellicas, alienato præſertim loci dominio, delatum in Norwegiam fuiſſe dicti codicis exemplum. Hinc MSCtorum codicum fortunam variam ponit ob oculos, eamque a viliſſimorum ſæpe Scriptorum fatis minime diverſam. Commendatur incomparabilis eorundem theſaurus, in manibus hærens excellentiſſimi viri Marquardi Gudii, acceſſione non exigua nuper auctus a Principe Ferdinando, Monaſterienſi Epiſcopo, cum ampliſſimo legationis munere apud illum fungeretur vir laudatus, nec digniorem eo tantus poſſeſſor heredem inveniret. Alio loco, quot & quantis viris error impoſuerit publicus de monumento & oſſibus, quæ Liviana credebantur, Patavii repertis, eo commemorat ſtudio, ut Inſcriptionem Patavinam, e qua natus ille, corrigat, veræque lectioni, autore eodem Gudio, reſtituat. Cauſſas, cur multæ ex antiquis Latinæ linguæ vocibus in uſu eſſe deſierint, mira ſolertia indagaſſe laudat Chriſtianum Daumium in libro de cauſis amiſſarum Linguæ Latinæ radicum, ejusdemque viri beneficio nos aliquando reſtitutas Latinitatis veras ac genuinas radices eſſe habituros.

In

In evolvendis, quæ ſuavitatem ſermoni conciliant, dum occupatur, de translatorum differentia, & delectu inprimis, non contemnenda monuit. Notata enim Grammaticorum in translationibus colligendis negligentia, collectionem earum cum Robortelli conſilio ſuadet, tum laudabili P. Moſellani noſtri exemplo. Metaphorarum is, ut autor Melchior eſt Adami in illius vita, obſervantisſimus fuit, earumq; e Cicerone & aliis probatisſimis Scriptoribus collectarum magnum acervum inſtar adagiorum Eraſmi editurus erat, ſi annos aliquot ſupervixiſſet. Cujus jactura operis & nobis deploranda cumprimis. De ipſo interim Metaphorarum uſu ſic ſentit Morhofius: *Quemadmodum ſi loco adhibitæ vehementer ornant orationem, ita nihil magis orationem corrumpit, ſi pravæ ſint, & repugnante uſu & autoritate, ex ingenii libidine & laſcivia confictæ. Omnia enim pene ſtyli vitia ab harum pravo uſu pendent, neque alio magis characteriſmo Romani ſermonis corruptela, quam illo naſcitur.* Id quod non judicio tantum Quintiliani, Robortelli, Scaligeri & Grævii; ſed ipſius etiam Flori, Petronii, Baudii exemplo confirmatur. Optimas Urbanitatis cuſtodes eſſe fœminas, Ciceronis confesſione & teſtimonio docetur. Accuratius denique urbanæ & oppidanæ dictionis diverſitatem indagare, ejusque imaginem quaſi quandam ſuis uſurpare oculis volentem, intueri hodiernam Gallicam jubet, qualem Lutetiæ Pariſiorum homines loquuntur elegantiores, eamque cum provincialium ſermone contendere: vel ex Italorum etiam idiomate, Romanum cum Florentino. Alia quæ cum antiquitati, Romanæ æque ac Græcæ, tum rerum Hiſpanicarum, Gallicarum, & Italicarum notitiæ plurimum accendunt lucis, judicium de Scriptoribus cujuscunque generis ac ætatis acuunt, diſcernere Linguarum idiotiſmos docent, politiorisque literaturæ ſtudio excitando, augendo, & ornando apprime ſerviunt, nos nunc mittimus, quibus nihil eſt optatius, quam ut vitam & vires integras Clarisſimo Autori ſufficiat porro divina benignitas, quo par ille ſit & cæteris, quæ publico deſtinavit, quorumve ſpem aliquam Lectori hæc Diſſertatio oſtendit, *Acroamaticis* ſuis, *Poeticis*, necnon de *Pura Dictione* tractatui, in lucem aliquando producendis.

Digitized by Google

NOVA RATIO ACCURATISSIME INVENIENdi acus magneticæ declinationem, exposita in literis Dn. de Hautefeuille ad Autorem Ephemer. Gallicarum.

Excerpta ex Ephemeridibus Parisiensibus d. 23. Aug. 1683.

UT propositum Dn. Sturmii, a Te optime (Ephem. XX) explicatum, de invenienda acus magneticæ declinatione, quodammodo adjuvem, mitto Tibi Scriptum, quod 8. Julii 1682, Regiæ Academiæ Scientiarum Collegis exhibui, in quo novam rationem accuratissime definiendi hanc declinationem declaravi, imo ipsius quoque inclinationis investigandæ modum docui, quæ hactenus parum observata fuit, nec minori tamen subesse mutationi, quam declinatio, videtur. Scriptum illud his verbis conceptum est.

Cum observationes, quæ exactius & majori cum diligentia fiunt, certissimæ sint, & ad veritatem proxime accedant, dubium non est, instrumenta & machinas, quarum beneficio hanc determinationem exactam nanciscimur, optimas & utilissimas esse. *Acus Magnetica* elegantissimorum inventorum unum est, sive ad navigationem respicias, sive plurimos usus, quibus in terra applicatur, consideres. Hactenus tamen, deficientibus idoneis instrumentis, non satis accurate observata fuit ejus cum declinatio, tum inclinatio.

Cogitavi, si acus magnetica telescopio sic inseratur, ut altera ipsius extremitatum, quam subtilissimam esse, & in mucronem terminari oportet, focum ocularis intret, ubi filum bombycinum immobile sit, posse hac ratione minimas quascunque mutationes acus magneticæ commode observari. Siquidem certum est, telescopium in linea declinationis vel inclinationis Magneticæ positum, esse collineaturum ad objectum quodpiam, quod exacte filo notatum, omnes acus mutationes, etiam minimas, patefaciet. Nam si acus variaverit ad crassitiem fili bombycini, quod communiter centesima vigesima pars est lineolæ, & tum ex opposito fili locetur, objectum notatum non amplius per vitrum apparebit, sed aliud oculis obveniet, tanto magis a priori distans, quanto longius objecta distabunt a telescopio. Experimentum, quod cum acu utrinque acuminata sex pollicum feci, ex voto successit.

In

Inventum hoc perfectius reddi, accommodarique poterit longitudinibus cognoſcendis, & altitudini poli citra opem Solis & ſtellarum inveſtigandæ, ut Chartæ Topographicæ in Geometria Practica accuratiores fiant &c.

Iſta Dn. Hauteſeuillei meditata cum clariſſimo Sturmio communicaſſemus, ille pro fervido ſuo in hæc talia ſtudio, quamprimum per alia munia integrum fuit, rem accuratæ trutinæ ſubjecit, & diligenti examine comperta publico per nos impertire non dubitavit; quæ cum laudati Viri ſolertiam & acumen ſingulare teſtentur, inventoq́; huic momentū afferant eximium, Curioſo Lectori omnino exhibenda duximus. Ita vero ille:

Placuerunt primo ſtatim adſpectu Hauteſeuillei cogitata de variationibus declinationis & inclinationis magneticæ præciſius obſervandis. Sed uti ſum in approbandis penitus ejusmodi ſpeculationibus, quæ uſum egregium in praxi pollicentur, paulo meticuloſior, edoctus quippe non ſemel, immane quantum ſæpe diſſentire, Theoriam aliquam operis mente concepti, & opus ipſum poſtea ſub manibus enatum; non auſus ſum de hoc invento meam ante pronuntiare ſententiam, quam rem ipſam aggreſſus, & in actum id deduci haut difficulter, & eam quam pollicetur utilitatem expectari indubie poſſe, facto ipſo fuiſſem expertus. Primum igitur ex teleſcopio undecim pedes longo, ac tribus ocularibus inſtructo, poſteriora duo removi; id parum in hoc negotio curans, quod uno ſolo inverſa eſſet exhibiturum omnia; intra ligneum annulum, qui ſecundo locum præbuerat oculari, per medium exacte quæſitum, e ſummo deorſum extendi filum bombycinum ſubtilisſimum, utrinque paucula cera firmatum; intra tertii ocularis loculum autem acum orichalceam erexi, acumine ſuo paulo ultra annuli centrum protenſam, ita ut impoſito ipſi acus magneticæ medio pileolo, ejus longitudo cum orbiculi axe quam proxime coincideret. Sic libratam acum quinque pollices Rhinlandicos longam, adductis tubis chartaceis, altera cuſpide ſeptentrionali quam proxime admovi filo bombycino, ut vix latum hilum abeſſet, & moveri tamen libere ultro citroque poſſet. His ita conſtitutis, admovi porro decenter oculare primum in anteriore tubo, donec & filum & acus cuſpidem diſtincte clareque cernerem; tandemque objectivo quoque ad debitam cum hoc oculari diſtantiam reducto, direxi teleſcopium ex ædium ſuperiore contignatione meridiem verſus in ſaxum

Digitized by Google

aliquod quadratum, ibi forte in medio semitæ cujusdam pro viatorum requie positum, & postquam ita collineassem, ut filum bombycinum cum extimo saxi angulo præcise coincideret, acum magneticam observavi tantulum a filo declinasse dextrorsum occidentem versus. Conversa itaque telescopii parte anteriore leniter in eandem plagam occidentalem, donec acus cuspide sua directe in filum protensa cerneretur, & mox obtutu in aliquod objectum notabile pone hoc idem filum defixo (occurrebat autem frutex lupuleto cuidam proximus, & saxum prius visum e conspectu se penitus proripuerat) observabam deinde magnam inter hoc signum posterius & saxum illud prius, aut lineas ad utrumque directas, intercapedinem ex tantula acus translatione obortam.

Certum igitur jam erat, si telescopio supra lineam meridianam exactissime protenso, in objecto quodam immobili, v.g. rupe quadam aut muro &c. locus notaretur a filo bombycino præcise ostensus, & postmodum, acu interea in hanc aut illam partem declinante, telescopium converteretur, donec illius cuspis filo prædicto immineret, eoque telescopii positu aliud signum immobile statueretur; post hæc minimam quamque & in se vix sensibilem mutationem in acus declinatione contingentem, iterato eodem loco & intuitu priorum illarum notarum experimento, valde sensibilem futuram: id quod hoc totum est, quod volebat Hautefeuillius. Sed esse nunc plus ultra progrediendum ratus, de eo cogitandum putavi, quo pacto laudabilis hujus inventi ope tum variationis ejusmodi, tum ipsius declinationis mensura in gradibus & minutis exacte determinari possit. Huic vero rei tentandæ cum ante omnia meridianam lineam prærequiri constaret, & quidem in loco patulo designatam, amandato in amplam quandam planitiem suburbanam studioso quopiam instituti nostri haud ignaro, ego in observatorio nostro quadrantis Azimuthalis grandioris ope Solis altitudinem meridianam ex Tabulis prius computatam captans, hac obtenta signum eminus dabam, ut lineam umbrosam ex perpendiculo ibi suspenso longiore projectam gemino signo statim notaret. Id quod equidem, etsi paulo infelicius, ab ipso præstitum fuerat, (causabatur enim intervalli magnitudinem, e quo signum ex pacto datum satis distincte certoque percipere non potuerit) ac præterea hunc ipsum modum lineæ meridianæ inveniendæ non adeo accu-

ratum

Digitized by Google

Fig. 1.



ratum

Digitized by Google

ratum eſſe probe ſciebam; faciendum tamen porro rei ſemel inſtitutæ periculum exiſtimavimus, maxime quod hac vice non tam declinationem ipſam exacte metiri, quam modum metiendæ animo conceptum exemplo illuſtrare conſtitutum eſſet. Poſito itaq; teleſcopio EF præciſe ſuper lineam meridianam *ef*, a coadjutore meo in campi planitie deſignatam (quæ res tædioſas inſtrumenti motiunculas non paucas, & perpendiculi alternis in E & F applicationes frequentes poſtulabat) ſocium illum meum e regione tubi ex intervallo notabili bacillum in *b* defigere ita feci, nutu ſcilicet eum aut dextrorſum aut ſiniſtrorſum, prout res poſtulabat, ablegando, ut filum bombycinum in tubo ipſum præciſe detegeret; deinde converſo tubo in ſitum GH, dum idem filum acus antea declinantis cuſpidem exacte reſpiceret, alterum bacillum eadem cura in *c* figi juſſi, formato ſic triangulo *abc* vel ABC, cujus omnia latera dimenſi ſumus, AB $^{0\,'\,''}_{3282}$ AC $^{0\,'\,''}_{3662}$ & BC $^{0\,'\,''}_{740}$ invenientes: quibus datis jam facile erat per regulas trigonometricas angulum BAC h. e. arcum declinationis magneticæ præciſe determinare. Tab. XIV. Fig. 5.

Nihil igitur jam reſtabat dubii, quin, linea meridiana prius accurate ducta, negotium hoc procedat, ac tanto quidem felicius quanto majus in planitie ſpatioſa triangulum formari poſſit. Sola tubi locatio, ut axis viſionis per medias lentes excurrens EF, meridianæ lineæ *ef* exacte reſpondeat, difficultatis quippiam habere videbatur. Verum & huic infirmitati præſens, uti credo, inventum eſt remedium, ſit teleſcopii tubus, non uti vulgo ſolet, rotundus ex inſertione chartaceorum plurium, ſed e ſolido ligneo, vel etiam, ſi minutior fuerit (ſufficere enim huic negotio vel quadrupedalis poſſit) ex orichalco exacte quadratus fieret & continuus, ac linea meridiana ſupra menſam lapideam probe complanatam deſignaretur. Tum enim tubi latus huic lineæ applicari immediate poſſet, ac in cæteris procedi ut antea. Quin & Inclinationes magneticas methodo ſimili accuratiſſime metiri liceret, ſi ſupra menſulam mobilem (qualis eſt e. g. Prætoriana dicta) aut ſupra fulcrum ſimile aliud poſitum teleſcopium a ſeptentrione in auſtrum quamproxime (nec enim hoc in caſu meridiana linea tam præciſe requiritur) primum ad libellam dirigeretur, ita ut filum bombycinum, hic tranſverſim extenſum, & cuſpis acus magneticæ, magneti tamen nondum adfrictæ, nec ut antea ſuper ſtylum orichalceum

Digitized by Google

libratæ, ſed e filo tenuiſſimo aut intra trutinam quandam, inſtar ſcapi in bilance, ſuſpenſæ, horizontaliter ſibi reſponderent, & una locus aliquis in oppoſita quadam turre per apertam planitiem acceſſa notaretur; deinde vero, eadem acu verſoria, ſed magneti jam decenter adfricta, in hoc eodem teleſcopii poſitu horizontali deorſum ex parte ſeptentrionis inclinata, mox teleſcopium ſurſum leniter erigeretur, donec magneticæ acus cuſpis eidem filo bombycino exactiſſime iterum immineret, & in hoc ſtatu locus alter in turri ante memorata ſignaretur. Sic enim fulcri cardo A, ſignum infimum in turris facie B, & ſuperius C, formatura pariter eſſent triangulum, & quidem rectangulum, in quo ſi nota eſſent duo crura, AB diſtantia fulcri a turre, & BC intervallum duorum ſignorum b & c, non poſſet non angulus inclinationis BAC quam exactiſſime haberi. Signa vero illa in facie turris aut muri alicujus, aut potius ipſum ſtatim ſignorum iſtorum intervallum, non poſſent mea opinione certius commodiusque haberi, quam ſi quis e parte turris ſuperiore bolidem aut perpendiculum demitteret, idque ad nutum collineantis per teleſcopium adduceret ac relaxaret, donec imum ponduſculum diſtincte *ſatis conſpicuum in* lineam directionis horizontalem incidiſſet, mox vero nota quadam ſuperne in funiculo facta hunc eundem altius ſubduceret, donec ejus extremitas etiam in altera collineatione collineatoris nutui reſponderet, nova tum nota funiculi extremitati ſuperiori impreſſa. Hæc ipſa enim funiculi inter duas notas longitudo, foret deſideratum duarum metarnm in turre ſignandarum intervallum.

Hæc ſunt, quæ de Hauteſeuilliana methodo in mentem venerunt, expoſita paulo prolixius ac diſtinctius, quam opus quidem fuiſſet, ſi tibi ſoli Te hæc ſcribi voluiſſe crediddiſſem. Vale & æqui bonique conſule hæc leviuſcula, faveque porro Tibi faventiſſimo

J. C. S.

AN ANATOMICAL ACCOUNT OF THE ELEPHANT Accidentally Burnt in DUBLIN, together with a Relation of new anatomical Obſervations in the Eyes of animals: By A. Moulins Med. of Trinity Colledge near Dublin.

h. e.

h. e.

Historia anatomica Elephantis Dublini casu incendio perempti, una cum relatione novarum quarundam observationum anatomicarum in animalium oculis: Autore A. Moulins Medico Collegii Trinitatis prope Dublinum.

Londini, apud Samuel. Smidt, 1682. in 4.

Multa in Anatomia quoque adhuc desiderari, neque dum omnia huc usque in ea inventa fuisse, binæ literæ præsentes palam faciunt. In prioribus siquidem ad Dn. Guilielmum Petty de Elephante perscriptis Autor defectum, qui apud alios Zootomos, v. gr. apud *Severinum* in Zootomia Democritea, item *Blasium* in Anatomia Animalium &c. animadvertitur, quodammodo supplet; dum commemoratis prius quibusdam impedimentis, quo minus accuratiorem Elephantis historiam anatomicam potuerit consignare, potiorum postmodum Elephantis partium mirandam satis percurrit structuram, hanc ita delineando, prout oculis propriis a se fuit usurpata, quibusdam demum ad Elephantis Osteologiam pertinentibus finiens, simulque figuris integram ossium compagem, item proboscidem, linguam, colon, penem, ac cranium in specie exprimens. In posterioribus vero literis ad Dn. Boyle exaratis, nova plane quædam circa oculos animalium a nemine Anatomicorum ante discripta noster exponit Autor, nova scilicet ligamenta in oculo bovino primum casu a se inventa, quæ ex media circiter Scleroticæ parte interna circumcirca prodeant, & maximam partem intra vaginulas quasi eadem in tunica decurrant, donec in cornea, ubi ciliaris adhærescit processus, terminentur. Nullum horum ligamentorum animadvertit uveam seu choroiden perforare ullibi, diversæ licet crassitiei reperiantur, neque eo in loco, quo ciliari connectitur ligamento: quædam eorum prope insertionem esse divisa, & tunc contingere hanc oblique, pauciora omnino perpendiculariter terminari, alia vero, postquam in via aliquantum lineam rectam descripserint, cum circulari corneæ ambitu formare triangulum. Occasionem interim sibi hucusque defuisse innuit ligamenta eadem in humano inquirendi oculo, quæ in omnibus

alias

alias quadrupedum oculis propterea diſſectis deprehenderit, etiamſi in neutro horum æque notabilia ſive numero ſive craſſitie, ac quidem in bovino. Quin imo in ipſarum quoque avium oculis ligamenta iſta nova notabili tamen cum diſcrimine ſe obſervaſſe affirmat; piſcium ſolummodo oculos, in quibus nulla ejusmodi ligamenta cernere potuerit, referens: cujus utriusque phænomeni rationem ex ipſo ligamentorum novorum petit uſu. Triplicem quippe hunc ſupponit, primum quidem, ut ipſorum ligamentorum intumeſcentia cornea tunica una cum humore cryſtallino propius admoveatur nervo optico, coni ſic alterius viſorii in vitreo humore abbreviandi ergo; alterum, ut eo ipſo, dum cryſtallinus humor baſi oculi propius admovetur, ſcleroticæ diameter neceſſario major reddatur, & per conſequens ipſa dilatetur pupilla; non ſecus ac tertium, ut cornea ſic tunica magis evadat convexa, quatenus humor aqueus, dum cornea æqualiter retrorſum movetur, antrorſum ſecedere cogitur. Pupillæ ſiquidem dilatationem ciliaribus vulgo dictis ligamentis haud poſſe aſſignari, ex ipſo eorum officio iſti inepto declarat ſitu, oſtendens præterea, una cum enchiriſibus hunc in finem neceſſariis, ciliarium *æque horum ligamentorum* ſeu proceſſuum ac choroideæ ſeu uveæ tunicæ texturam, vaſis unice deberi ſanguiferis ſcleroticam inprimis circa nervi optici confinia perforantibus; ſicut hoc non minus ac ipſa quoque ligamenta nova figuris appoſitis curavit depingenda.

TAB. XIV. Fig. 1. Oculum exhibet bovinum; ubi

A. Nervus opticus eſt a pinguedine & muſculis ordinario adſitis liberatus.

B.B.B.B. Vaſa ſunt ſanguifera in tunica ſclerotica, iis, quæ choroideam & uveam conſtituunt, continua.

C. Tunica ſclerotica ab adnata non minus ac a muſculis, quo vaſa melius cernantur ſanguifera, ſeparata.

Fig. 2. Oculum bovis juxta nervum ejus opticum in quatuor diviſum partes repræſentat; ubi

A. eſt nervus opticus in una ex quatuor ſcleroticæ partibus.

B.B.B.B. Quatuor ſcleroticæ partes.

C.C.C. Choroides, poſtquam a ſclerotica ſeparata, ideo inverſa, ut vaſorum ſanguiferorum, ex quibus conflatur, diramationes æque exhibeantur, ac eorundem e ſclerotica egreſſus.

D. Cho-

Digitized by Google

D. Corhoideæ portio a proceſſu ciliari prope ſcleroticam ſeparata, hincque elevata, quo rami horum vaſculorum, & locus ubi ſcleroticam perforant, plenius conſpiciantur.

Fig. 3 Oculum alium ſiſtit bovis.

A. A. A. A. Quatuor Scleroticæ ſunt partes, ſingulæ a tunica choroidea liberatæ, novorum ligamentorum melius exhibendorum gratia.

B. B. Ruditer monſtrat ligamenta nova a Sclerotica ad corneæ ambitum, cui ciliaris cohæret proceſſus, excurrentia.

Fig. 4. Oculum exhibet anſeris ad inſtar bovini in quatuor pariter diviſum partes, aque Tunica choroidea liberatum.

A. A. A. A. Monſtrat ligamenta nova ab altera ſcleroticæ parte ultra ſeptem vel octo provenientia & juxta corneæ ambitum in duo diverſæ craſſitiei ligamenta abeuntia, quorum ſingula ſemicirculum ad minimum a ſuo deſcribunt latere.

SAMUELIS STRYKII, JCTI, DE CAUTELIS Contractuum Neceſſariis, Prælectiones Viadrinæ.

Francofurti ad Viadrum, 1684 in 4.

Cum ea contractuum ſit indoles, ut omnis circumſcriptio ab iis per leges haud facile ſecludi valeat, quin potius unici ſæpe vocabuli a callidiore captati, a ſimpliciore vero non attenti, mutatio plurimum diſpendii creare poſſit: hinc, ut cautius tandem negotiari diſcerent homines, non defuerunt hactenus, qui remedia legum, evitandis ejusmodi damnis inſervientia, ſtudioſe conquirerent, integrosque adeo de Cautelis libros conſarcinarent. Non eadem tamen omnium hujus generis compilatorum iſta in re dexteritas deprehenditur. Aliqui enim, dum nihil omittere ſatagunt, ea quoque cautelarum appellatione dignantur, quæ jamjam reipſa contractui ejusque naturæ inſunt; quorumque proinde, ſeparatum quippe effectum non habentium, prolixior expreſſio nulli poteſt eſſe uſui: cum prudentis quidem ſit, cautum eſſe, ſed otioſe cautum, inſipientis. Alii, quod pejus eſt, inter cautelas ea etiam nobis propinare non verentur, quæ re-

ctius captiones cavillationesve diceres, utpote ad decipiendum alterum, in legum fraudem excogitata, quorumque adeo adhibitio cum manifeſto conſcientiæ periculo conjuncta eſt. Utrumque hoc vitium feliciſſime evitavit in præſenti tractatu celeberrimus Autor. Nam quod technas quidem iſtas, doloſasque machinationes attinet, tantum abeſt, ut tales ſuggerat, ut potius eas in univerſum omnes, utpote cautelarum, (quæ legitima debeant eſſe remedia.) nomine indiguas, penitus damnet atque rejiciat. Neque vero ex altera parte ſuperfluas cautiones, nullique uſui futuras, hic inſerere ipſi propoſitum eſt: quas tamen Cautelas Abundantes, in unum congeſtas, ſi cui videre volupe ſit, remittit lectorem ad tres Diſputationes, hac de materia ſuo ſub præſidio olim habitas a L. Tob. Reimers; quas ipſas cum aliis, Volumine III ſuarum Diſputationum comprehenſas, proxime denuo prodituras promittit. Neceſſarias ergo tantum contractuum cautelas exhibent præſentes Prælectiones, talesque, quas non illæſa tantum conſcientia, ſed nec ſine evidenti utilitate adhibere liceat; erutas quippe ex ipſis Jurisprudentiæ noſtræ penetralibus. Propoſuerat Prælectiones has Magnificus Autor *ante hoc ſexennium* Auditoribus ſuis, ſperans fore, ut inter horum chartas unice permanerent: ſed cum non tantum a plurimis ad eaſdem publicandas ſolicitaretur; ſed & inſuper fides ipſi facta eſſet, furtivam ipſarum editionem jamjam alibi adornari, tandem ad eas revidendas publicique juris faciendas, animum tantum non invitus applicuit. Opus vero ipſum quatuor abſolvitur ſectionibus. In prima verſatur circa contractuum generalia; ſecunda proponit cautelas circa contractus nominatos, ſicuti tertia circa innominatos & quaſi contractus, ut pacta atque transactiones; quarta denique cautelas diſſolutionem contractuum concernentes exhibet. Singulos contractus ordine percurrit, pleroſque etiam ſubnexis formulis illuſtrat, non ab ipſo tamen Autore conſcriptis, (eo quod jam formularum libelli bene multi extent,) ſed quales in actis ipſi ſubinde fuerint oblatæ; unde pleriſque harum ſuam ſubjungit epicriſin, cautelas prius propoſitas iisdem accommodans monensque, quid caute inibi, quid minus, poſitum actumve fuerit. Plurimas etiam quæſtiones adjectis Facultatis Juridicæ Francofurtanæ Reſponſis declarat in lectorum utilitatem. In quorum gratiam etiam Sect. 3. c. 5. ubi de Cambio agit, quo materiam hanc dilucidiorem

rem redderet, non dubitavit Statuta Cambialia Francofurti ad Mœnum recepta, ut & Ordinationem Lipsiensem de Cambiis, quæ anno 1682 prodiit, verbotenus inserere: utpote quæ quamplurimis utilissimis observationibus, circa controversias cambiales, ansam dare posse autumat. Denique cum multum intersit ad caute contrahendum, nosse discrepantia diversarum provinciarum statuta; dum sæpe, quod hic cautela est, alibi noxium esse posset; summopere eam in rem commendat Henrici Gieseberti Justinianum Harmonicum, ut & Pericula Statutorum Harmonica: cujus nempe autoris, in conferendis Germaniæ Statutis, industriam neminem unquam exæquasse judicat.

ADDITIO AD SHEDAM IN ACTIS PROXIME antecedentis Maji pag. 233 editam, de dimensionibus Curvilineorum, per G.G.L.

CUm eximiæ eruditionis Mathematicus, *Joh. Christophorus Sturmius*, in Actis nuperi mensis Martii publicaverit Methodum, qua dimensiones figurarum ab Euclide, Archimede, aliisque datæ directius & compendiosius, quam vulgo fieri solet, demonstrantur, reducendo scilicet ad series infinitas continua abscissarum, seu partium axis bisectione, & parallelogrammorum semper aliorum atque aliorum (pro altitudine partes axis, pro basi ordinatas habentium) circumscriptione, ac de ea re meam nominatim aliorumque Geometrarum sententiam desideraverit; officii mei putavi, quid sentiam paucis expromere, etsi serius fortasse quam facturus eram, si illum Actorum locum maturius animadvertissem. Et quidem non possum non agnoscere methodum hanc demonstrandi probam esse & laudandam. Sentio autem & hanc, & alias hactenus adhibitas omnes, deduci posse ex generali quodam meo dimetiendorum Curvilineorum principio, *quod figura Curvilinea censenda sit æquipollere Polygono infinitorum laterum:* unde sequitur, quicquid de tali Polygono demonstrari potest, sive ita, ut nullus habeatur ad numerum laterum respectus, sive ita, ut tanto magis verificetur, quanto major sumitur laterum numerus, ita, ut error tandem fiat quovis dato minor; id de curva posse pronunciari. Unde duæ oriuntur Methodorum species, ex quibus meo judicio pendet, quicquid vel hactenus inventum est, circa

 dimen-

dimenſionem curvilineorum, vel inpoſterum poterit inveniri. Idque hactenus non ſatis conſideratum reperio. Cæterum hortor Virum Clariſſimum, ut tentet Methodum ſuam ad eas promovere figuras, quarum dimenſio nondum datur, ut ſcilicet non tantum ad demonſtrandum, ſed etiam ad inveniendum ſerviat, quod variis modis præſtari poſſe video. Licet autem generaliores Methodos dudum habeam, qualis illa eſt, quam in ſcheda menſis Maji Actorum hujus anni publicavi, non tamen tales contemno vias magis reſtrictas, quia ſæpe ſunt compendioſiores in quibusdam caſibus, & variare Methodos ad perfectionem ſcientiæ pertinet, & aliæ methodi aliis problematis ſunt aptiores, ac quaſi a natura aſſignatæ; præſertim cum generalis illa Methodus mea comparata ſit ad inveniendas quadraturas indefinitas, ſeu figuræ toti pariter & partibus ejus quibuscunque communes; pro definitis vero portionibus vel totis figuris ſolis nondum mihi ſufficere, ſed alia plane adhibenda eſſe videatur.

Qua tamen occaſione non diſſimulabo, alium Virum Eximium, qui in iisdem Actis menſe Octobri *anni præteriti 1683 etiam* quadraturas definitas aut earum impoſſibilitatem, & ſpeciatim circa dimenſionem totius circuli exhibere voluit, (quod mihi ex iis, quæ affert nondum ſequi videbatur) nuper mihi ſignificaſſe, inventum ſe habere modum ſatisfaciendi huic difficultati. Id inventum ſi legitimum eſt, lubens, quæ in Actis proximi menſis martii contra ſcripſi, retractabo, & fatebor, eum aliquid magni momenti, mihique ſecundum hanc inveſtigandi rationem ignotum & inſperatum præſtitiſſe, magnumque illud Problema Tetragoniſmi Circularis quoad eum quadrandi modum, qui vulgo quæritur, abſolviſſe demonſtrata ejus impoſſibilitate, quod hactenus publice fecit nemo. Ait enim, ſe poſſe demonſtrare, quandocunque figuræ alicujus linea algebraica (ut ego loqui ſoleo) terminatæ, non datur quadratura algebraica indefinita ſive generalis, (ſeu quando ejus non datur quadratrix Algebraica,) tunc nec poſſe dari alicujus portionis ejus quadraturam algebraicam definitam ſeu ſpecialem. (Alibi autem explicui me *Algebraicam* vocare quantitatem vel lineam, cujus natura per æquationem certi gradus exprimi poteſt.) Ego ſane me fateor hactenus in alia fuiſſe ſententia; quoniam tamen promittentis amic inge-

Digitized by Google

ingenium maximi facio, ideo nondum desperare volo de successu; hortorque magnopere, ut illam demonstrationem edat, unde plurimum lucis accedet Geometriæ.

DE PHOENICE IN NUMISMATE IMP. ANtonini Caracallæ expressa, Epistola Gabrielidis Carolæ Patinæ, Parisinæ, Academicæ.

Venetiis apud Joh. Fr. Valvacensem A. 1683 in 4.



QUod libris doctissimis in publicum emissis immortaliter hactenus de orbe litterario meritus sit *Carolus Patinus*, illustris hodie Academiæ Patavinæ Professor, vel ex Actis nostris, quorum tertium jam annum finimus, sat abunde patet. Sed ecce & per filias doctissimas (ne de Nobilissima conjuge *Magdalena Hommez Patina*, cujus Reflexiones Morales & Christianæ a. 1680 editæ dudum innotuerunt, jam dicamus) bene mereri de antiquitatis & litteraturæ abstrusioris studio jam incipit. Illarum enim altera, CAROLA CATHARINA, solenni oratione Paduæ LEOPOLDO Imperatori, tanquam felicissimo Turcarum victori, superiore anno gratulata est. Extat ea typis exscripta hoc titulo: *Oratio de liberata civitate Vienna, habita Patavia prid. Kal. Nov. M. DC LXXXIII a Carola Catharina Patina, Parisina, Academica, Imperatori Cæsari Leopoldo Augusto, optimo, maximo, triumphatori invictissimo dicata.* Altera vero, ut & ipsa eruditionis non protritæ ederet specimen, *Gabrielis Carola*, epistolam de *Phœnice*, ut supra indicatum, eodem superiore anno edidit. Occasionem huic scripto dedit numulus æneus viri illustrissimi D. *Hieronymi Corrarii*,

Veronæ præfecti, in quo Caracalla vultum exhibet cũ hac inſcriptione, Αὐτοκράτωρ καῖσαρ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ, h. e. *Imperator Cæſar Antoninus*; unde & ad eundem *Corrarium* dirigere epiſtolicum alloquium doctisſima Virgo voluit. Equidem hæc ipſa nummi inſcriptio jam ab celeberrimo ejus Patre peculiari epiſtola ad *Petrum Maurocenum*, excellentiſſimum quondam apud Venetos Senatorem, de alio nummo Caracallæ Natalitia Jovis exhibente ſcripta, & Patavii a. 1681 edita, luculenter fuit explicata. Sed filia *Gabrielis Carola* in Epiſtola hac ſua de eo ſaltem diſpicit, quid avis ſibi velit in altera nummi facie, quæ ſupra ramulos in calathi formam diſpoſitos, tanquam in nido conſtituta amplisſimas extendens alas conſpicitur. Ac primo quidem intuitu eſſe aquilam hanc volucrem ſibi illa perſuaſerat, eo quod hæc montium cacuminibus inſidens in aliis quoque numiſmatis obſervetur. Verum penſius rem conſiderans, ex ſurculis cum feſtucis ſtipulisque intermixtis funebrem Phœnicis thalamum ſue rogum ſibi parantis ſubolfecit. Hujus conjecturæ ſuæ fundamenta a gravibus priſci ævi autoribus arcesſit, Herodoto puta, Pomponio Mela, Tacito, Plinio, Æliano, Philoſtrato, & tribus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus, Lampridio, Sexto Aurelio Victore, & Xiphilino; ex Poetis item qua priſcis, ut Ovidio & Claudiano, quibus & Lactantius additur, qua recentioribus, ut Sannazario, Hieronymo Vida, & Torquato Taſſo. Hi enim omnes Phœnicem non pulcherrimam tantum avem, ſed & unicam, eamque diutisſime viventem, ſeque ipſam tandem comburentem, & ex pulvere reſurgentem faciunt. Addit autem & hoc Virgo literatisſima, ex hac de Phœnicis rejuveneſcentia hiſtoria, nata multa eſſe hieroglyphica, & comparationes elegantes, tam apud profanos, quam ſacros Scriptores, & ſacros quidem cum maxime, Clementem Romanum, Tertullianum, Cyprianum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Epiphanium, Ambroſium, Auguſtinum & Nazianzenum, quorum omnium & verba, æque ac profanorum Scriptorum, afferuntur. Patres autem iſtos dum hiſtoriam Phœnicis retulerunt, minime pro vera illam habuiſſe, ſed ea tantum tanquam validisſimo, quod ad hominem dicitur, argumento adverſus gentes uſos fuiſſe cenſet. Cum enim opinio de Phœnicis reſurrectione apud illas longe omnium eſſet receptiſſima, neq; corporum illæ noſtrorum reſurrectionem inficiari, aut impoſſibilem clamare poterant. Cæterum quanquam Phœni-

cis exi-

Digitized by Google

cis existentia sic satis stabilita tot autorum jam memoratorum testimonio videri possit, Patina tamen non nisi mysticam & fabulosam eam existimat, argumentis partim logicis, partim physicis adducta. Denotari autem per Phoenicem observat, a Chymicis quidem Elixir alchymicum, Basiliscum, aliaque istius artis medicamenta, id quod abs experientissimo Patre se fuisse edoctam profitetur; in nummis vero *felicem temporum reparationem* vel *instaurationem*, quod probat ex nummis Constantini M. filiorum, Constantini junioris, Constantii & Constantis (de nummo autem Constantini M. his subjuncto, quem Cardinalis *Carpegna* habuit, dubie admodum disserit) *aeternitatem* item, in nummo *Marci Ruzini* D. Marci Procuratoris, imo & res alias, ostendentibus id nummis recentioribus, quorum ingeniosae inscriptiones sub finem annectuntur. Quod si & huic & alteri *Patina* vitam ulteriorem, quam serio ipsis apprecamur, indulserit Divinum Numen, meritissimo suo in Catalogum *Eruditarum Faeminarum* referentur, qualem immortale hujus Academiae decus *Jac. Thomasius*, sed nuper eheu! nobis ereptus (nam inter LXXXVI. dissertationes docte atque eleganter elaboratas, quas in Cathedra Philosophica invicte tuitus est, etiam duae de *Eruditione Faeminarum* extant) contexuit.

RICHARDI ZOUCHEI, JURIS CIVILIS PROF. Publ. Oxoniensis, Quaestionum Juris Civilis Centuria.

Londini, apud Gul. Robinson, 1682 in 12.

Libellum hunc exiguae molis, nec fere nisi pro tyronibus scriptum, silentio forte praeteriissimus, nisi evidenti testimonio esse posset, Jurisprudentiam nostram Justinianeam in Anglia nondum, ut quidem plerisq; persuasum est, in totum eviluisse: quin potius hodienum ibidem Jus Civile Romanum, si non in judiciis, in Academiis certe, aliquo adhuc in honore haberi; cujus etiam Professionem opusculi hujus Autori publice mandatam, titulus ipse loquitur. In eo vero commemorando vel ideo breviores esse poterimus, quia non nunc primum in publicum prodit, sed altera tantum vice excusum exhibetur; postquam jam anno 1659 in lucem fuerat editum. Quaestiones centum

tum Juris Civilis proponit, in decem classes pro diversitate materiarum distributas; eas vero non abstrusas aut rarius occurrentes, sed tritissimas: formatas nempe maxima ex parte e vulgatissimis brocardicis atque regulis Juris. Methodo satis concinna usus est Autor, dum primum quæstionem quamlibet, vel affirmative, vel negative decisam, subjectis legum textibus, ipsisque earum verbis, confirmat; hinc pariter leges obstantes ordine subjungit, subnexa singulis conciliatione brevi, sed accommoda satis; ulterius addit, quid huic aut illi interpreti de qualibet earum quæstionum visum fuerit, & quomodo distinguendo aut limitando easdem solidius enodare sategerint; denique in fine cujusvis quæstionis alios Autores allegat, qui a studiosis lectoribus de qualibet materia latius consuli valeant.

MACVLÆ SOLARIS REDITVS SVB SOlem ter repetitus, Lipsiæque observatus.

INter phænomena cœlestia, quæ annum hunc memorabilem faciunt, forte non extremo loco censendus est Maculæ Solaris (quæ prima apparitione ex geminis veluti conflata, altero etiam reditu, unam pluresve levibus nebulis inter se nexas comites habuit) sub Solem mense Aprili incurrentis, ter iteratus reditus, Lipsiæ per menses vernos & æstivos observatus. Eandem enim fuisse, celebrati justo revolutionis tempore exacto recursus dubitare vix sinunt: & conjecturæ nostræ (præter Ephemerides Gallicas, quæ non tantum pag. 177 primæ periodi observationes, cum prædictione alterius proxime insecutæ, hujusq; delineationem, nobis exhibuerunt; sed & pag. 238 sub faculæ specie mense Junio reversam, & peragrato nondum disco Solari iterum pristinam, inobservata hactenus metamorphosi, maculæ sed jam binæ formam induentem, & harum alteram evoluto circuitu, sub Julii mensis st. n. exordium, denuo observatam prodidere) aliorum etiam clarorum Mathematicorum de phænomeno isthoc sensa suffragari accepimus. Ex quo dignam rem judicavimus, quam curiosis cœlestium spectaculorum sectatoribus strictim recenseremus.

Visa ea primum est die 26 Aprilis stylo veteri, cum nondum digitum a margine Solis orientali abesset; disparuitque, peragrato inferiori Solis hemisphærio, nocte quæ 6 & 7 Maji intercessit. Animadversa iterum

iterum est 29 Maii, cum jam medietatem disci solaris occidentalem teneret; sub faculæ scilicet larva huc usq; (juxta Parisienses observatores) delitescens: quas ejus latebras observator hic loci auræ crassiori, securus nempe ejusmodi ludibrii, tum adscribebat. Continuavit autem cursum ad 3 Junii, quo excessisse eam credimus, cum pridie semisse adhuc digiti a limbo Solis proximo abesset. Rediit secundo die 18 Junii, cujus summo mane jam ½ digiti intra limbum orientalem se stitit; jam jamq; tertium excedens, 29 Junii hora 7 vespertina extremo margine hærere videbatur. Ultimo, sed imminuta valde, reversa est 15 Julii, deprehensaque vesperi hora 7, cum jam notabiliter a limbo Solis distaret: post 17 Julii vero, tam propter exilitatem tenuitatemq; corporis, quam nubium intercurrentium frequentiam, conspici porro non potuit. Pleniorem phænomeni hujus Lipsiæ observati historiam cupido Lectori *Godofredi Kirchii* Ephemerides anni 1685, nuperrime publicatæ suppeditabunt.

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.
I. *Theologica et ad Ecclesiasticam Historiam spectantia.*

A Barbanelis *Procœmium Commentariorum in Leviticum* 10
Valentini Alberti *Confutatio Augustana & Anti-Augustana Confessionis* 534
Natalis Alexandri *Historia Ecclesiastica seculi XI & XII, Pars prima* 221
secunda 315
tertia 406
Anonymi Historia Calvinismi & Papismi parallela 15
Anonymi Tractatus de Excommunicatione 29
Anonymi Examen Animadversionum Arnaldi & Præservativum contra mutationem religionis 177
Anonymi Reflexiones in Tractatum Brueysii 448
Anonymi Paroramata Brueysii 451
Anonymi Considerationes generales ad librum Brueysii 454
Anonymi Tractatus de tolerantia religionum 547

Arminianorum *Epistola Ecclesiastica & Theologica* 295
Antonii Arnaldi *Animadversiones ad Præservativum contra mutationem religionis* 176
Athenagoræ *Apologia pro Christianis* 337
Augustini *Abbatis Einsidlensis veritas inextincta Concilii Tridentini* 430
Stephani Baluzii *Miscellaneorum liber IV.* 173
Nova Collectio Conciliorum 348
Jacobi Boileau *Historia Confessionis Auricularis* 172
Brueysii *Examen rationum, quæ Protestantes ad separationem moverunt* 446
Abrahami Calovii *Apodixis Articulorum fidei* 431
Claudii *Responsio ad librum Dn. Episcopi Meldensis*: Collatio cum Dn. Claudio 374
Johannis Cloppenburgii *Theologica opera omnia* 550
Ludovici de Compeigne *de Veil Notæ in Majemonidem de Sacrificiis.* 10
Hier. a Costa *Historia de Reditibus Ecclesiasticis* 497
Job. Dicemanni *Schediasma de Naturalismo* 337
Job. Dubsky *Quinquaginta Nomina Dei, & totidem Divinarum Operum Erotemata* 521
Job. Fechtii *Historiæ Ecclesiasticæ seculi XVI Supplementum* 286
S. Fulgentii *Ruspensis Episcopi Opera* 543
Job. Grafiii *Theologia Positivo-Polemica* 444
Leonis Guitonerii *Protestans pacificus* 356
Wolffgangi Gundlingii *Canones Græci Concilii Laodiceni* 415
S. Hieronymi *Opera omnia* 343
Nicandri e Hoenegg *Historia Papatus* 55
Christiani Kortholti *de moribus Christianis primævis afflictis* 342
R. Mosis Majemonidæ *liber de Sacrificiis &c.* 10
Johannis Mabilloni *veterum Analectorum Tomus III.* 65
Job. Melchioris *Comment. de Sangine Christi Eucharistico* 333
Wilhelmi Mommæ *Oeconomia Temporum Testamentaria triplex* 96
Dn. de Moni *Historia de religione populorum Orientalium* 490
Dn. de la Mothe *Josseval Historia Concilii Tridentini* 60
Christiani Nifanii *Commentarius in S. Johannis Evangelium* 212
Angeli Paciuchelli *Lectiones Morales in Jonam* 443

Sa-

Samuelis Parckeri *Relatio de Regimine Christianæ Ecclesiæ* 279
Augusti Pfeifferi *Hermeneutica Sacra* 445
Edmundi Richerii *Vindiciæ doctrinæ de autoritate Ecclesiæ* 103
R. Ruben *ben R. Hoschke Pera Rabbinica in Legem* 8
Caspar. Sagittarii *Harmonia Historiæ passionis Jesu Christi* 206
Guil. Saldeni *Otia Theologica* 517
Christoph. Sandii *Bibliotheca Antitrinitariorum* 282
Ioh. Adami Scherzeri *Collegium Anti-Socinianum* 56
Sebastiani Schmidii *Commentarius in Librum Iudicum* 532
Campegi Vitringæ *Sacrarum Observationum liber I.* 514
Hermanni Witsii *de Ægyptiacorum Sacrorum cum Hebraicis collatione* 213
Petri Yvonis *Impietas convicta* 411
Facultatis Theologicæ Parisiensis Censura de propositione quadam 107

II. *Juridica.*

Anonymi Brevissimæ Iuris Civilis Institutiones 254
Iohannis Eisenhard *Institutionum Iurisprudentiæ Doctrina generalis.* 181
Ulrici Huberi *Lectiones juris contracta* 49
Auspicia Domestica Exercitationum 89
P. Illuminati Moroni *centum Responsa centum Quæsitis* 102
Alphonsi de Olea *Additiones ad Tract. de Cessione jurium & actionum.* 436
Iohannis a Sande *Opera omnia Iuridica* 271
Iohannis Schilteri *Praxis Iuris Romani in Foro Germanico* 294
Iohannis Seldeni *Tractatus quidam ad jura Anglicana spectantes* 304
Samuelis Stryckii *de Cautelis contractuum* 583
Richardi Zouchei *Quæstionum Iuris civilis centuria* 589

III. *Medica & Physica.*

Anonymi Tractatus de circulatione Spirituum animalium 311
Anonymi Experimentum ad circulationem sanguinis pertinens 419
Laurentii Bellini *opus de urinis & pulsibus, &c.* 42
Bertrandi *Contemplationes novæ Acidi & Alcali* 480
Theophili Boneti *Medicina Septentrionalis collatitia* 594

Roberti Boylii *Apparatus ad historiam naturalem sanguinis humani* 434
Gabrielis Clauderi *Inventum Cinnabarinum* 283
Walt. Charletoni *Tres Lectiones Anatomicæ* 253
Comerii *Homo artefactus Anemoscopus* 26
Tractatus de Phosphoris & secreta eorum compositione 246
Conradi *Descriptio fontis cujusdam inflammabilis in Polonia* 326
I. Darmansonii *Bestia in machinam commutata* 306
Danielis Duncan *Explicatio Chymica & Mechanica Nutritionis animalis* 82
Castoris Durantis *Herbarium novum* 480
Antonii Felicis *Relatio de inventione ovorum limacum* 273
Antonii le Grand *Animadversio in Rohaulti Physicam* 101
Iob. Georg. Greulichii *Themata paradoxa de Bile sana & agra* 186
Nehemiæ Grew *Anatomia plantarum* 72
Antonii de Heyde *Anatome Mytuli* 426
E. G.H. *Castoris maris & fœminæ dissectio* 360
Urbani Hiarnæ *de Acidulis Sueciæ liber* 79
Theodori Jansonii *inventa Nov-Antiqua* 556
Joh. Jones *Tractatus de Febribus intermittentibus* 334
Lami *dissertatio de Antimonio* 46
Martini Lister *de Fontibus medicatis Angliæ Exercitatio* 92
Friderici Lossii *Consiliorum Liber posthumus* 558
Danielis Menonis Matthiæ *Experimenta Medico-Chymica* 151
Jacobi Morelli *Tractatus Chymicus de Febribus* 530
Jacobi le Mott *Compendium Chymicum* 48
A. Moulins *Historia Anatomica Elephantis, ac nova in oculis animalium observata* 581
Francisci Moricelli *Tract. de Morbis Pragnantium ac Puerperarum.* 194
Joh. Pascalii *Nova Explicatio Fermentationis in corpore humano* 285
Rob. Plot *Observatio circa arenam inventam in muria salinarum* 244
Henrici van Rhede *Horti Indici Malabarici Pars IV.* 159
Wilhelmi ten Rhyne *Dissert. de Arthritide &c.* 338
Jacobi Rohaulti *Systema Physices* 101
G B. de S. Romain *Physica Scholasticis tricis liberata* 364
Guntheri Christoph. Schelhammeri *liber de Auditu* 473
Friderici Slarii *Enarratio Experimentorum de Phosphoro* 457

Jaco.

Jacobi Spon *Polypus Renis observatus* 272
Aphorismi novi ex Hippocratis operibus collecti 429
Laurentii Straussii *Isagoge Physica* 473
Thomæ Sydenham *Tractatus de Podagra & Hydrope* 183
Francisci Toleti *Tractatus de lithotomia* 243
Eduardi Tyson *viperæ caudisonæ Anatomia* 138
Discursus de lumbrico lato 149
Joh. Franc. Vigani *Medulla Chymiæ* 394

IV. *Mathematica.*

Anonymi Dimensio Proportionum Corporis humani 137
Isaaci Barrow *Lectiones Mathematicæ* 84
Blondelli *nova methodus muniendi loca* 225
Catelani *cum Hugenio controversia de centro oscillationis* 416
Chapototii *novum instrumentum capiendi angulos accessibiles* 420
Gilberti Clark *Commentarius in Clavem Mathematicam Oughtredi* 168
Bernhardi Contini *Perspectiva practica* 201
Galletii *Novum Systema Phænomenorum planetarum* 421
Systema Phænomenorum Saturni 423
Guarini Guarinii *Cœlestis Mathematica* 259
Dominici Guilielmi *observatio Solaris Eclipseos 12 Julii* 482
Halleji *Theoria Motus satellitis Saturnii* 187
Theoria variationis pyxidis magneticæ 387
Hanbury *Horologia Scioterica prælibata* 153
Hautefeuillei *nova ratio inveniendi acus magneticæ declinationem* 576
Johannis Hevelii *Transitus Lunæ & Stellæ in medio corpore Leonis observatus* 33
Scutum Sobieskianum cœlo insertum 395
Christiani Hugenii *cum Catelano controversia de centro oscillationis* 416
Astroscopia Compendiaria 563
Godofredi Kirchii *Enses Electorales Saxonici Cœlo inserti* 396
G. G. L. *de dimensionibus figurarum inveniendis* 233
Demonstrationes novæ de Resistentia solidorum 319
Nova Methodus pro maximis & minimis &c. 467
Additio ad schedam de dimensionibus Curvilineorum 585
Claudii Perraltii *ordinatio quinque specierum columnarum* 128

Joh. Christoph. Sturmii *Cylindri ad inscriptam Sphæram, Parallelogrammi ad Triangulum, & parallelepipedi ad pyramidem ejusdem altitudinis & baseos proportio* 123
Observationes ad inventum Hautefeuillei de nova ratione inveniendi acus magneticæ declinationem 577
J. F. V. Specimen libri de momentis gravium 511
Paraselenæ Lipsiæ observatæ 100
Eclipsis Lipsiæ observata 485
Maculæ Solaris reditus Lipsiæ observatus 590

V. *Historica & Geographica.*

Anonymi Historia Martyrum Gallicorum tempore Reformationis 108
Anonymi Speculum Britanniæ 171
Anonymi Explorator Turcicus, ejusq; relationes secretæ 404
Burneti *Historia Reformationis Ecclesiasticæ in Anglia* 382
Sam. Clerici *Vitæ eminentium quorundam hominum hujus seculi* 269
Laurentii Craſſi *Elogia illustrium belli Ducum* 432
Eutropii *Historiæ Romanæ Breviarium* 166
Gayæ *Historia Delphinorum Viennensium* 112
Lucæ Holſtenii *notæ ad Stephanum de Urbibus* 487
Theodori Janſonii *Differt. de Vitis Stephanorum, typographorum* 202
Imperatoris Iuliani *Cæsares* 164
J. Kirckmanni *Commentarii Historici duo hactenus inediti* 431
Johannis a Lent *Schediasma de Judæorum Pseudo-Messiis* 291
Cornelii Magni *primum Biennium Itineris Turcici* 53
Ludovici Maimburgii *Historia Ligæ* 110
Alani Manessorii Malleti *Descriptio Universi* 218
Joh. Meurſii *Theseus, sive de ejus vita liber* 551
Dn. de la Motte *Atlas temporum* 370
Georgii Muetii *Historia Muley Archy Regis Tafilettæ* 155
Ioh. Nalſonii *Collectio arduorum negotiorum status Angliæ* 553
Cajetani Paſſarelli *Bellum Lusitanum* 524
Ricalti *Historiæ trium posteriorum Imperatorum Turcicorum* 115
Francisci Sandford *Historia Genealogica Regum Angliæ* 1
Ioh. dos Santos *Historia Æthiopiæ Orientalis* 598
Samuelis in Skrzypno *Twardowskii Historia bellorum a Ioh. Casimiro Pol. Rege gestorum* 53

Varil-

Varillasii *Historia Caroli IX Galliæ Regis* 275
Alexandri Mariæ Vianoli *Historia Veneta* 400
Withlokii *Monumenta rerum Anglicarum* 555

IV. *Philosophica & Philologica Miscellanea.*

Angeli a *S. Joseph Gazophylacium linguæ Persarum* 439
Annæ *Tanaquilli Fabri filiæ Notæ in Eutropium* 166
Anonymi Monumenta Westmonasteriensia 166
Anonymi Collectio Scriptorum quorundam Philosophiam Cartesianam concernentium 308
Anonymi Cabbala denudata Tom. II. 310
Anonymæ Consideratio Fabularum Romanensium 433
Anonymi novi Mortuorum Dialogi 438
Anonymi observationes in Poëmata Homeri & Virgilii 559
Antonii Arnaldi *de veris & falsis ideis liber* 236
Arriani *Tactica, Peripli, liber de venatione* 121
Antonii Bynæi *de Calceis Hebræorum libri duo* 68
Franc. Mediobarbi Biragi *Imperatorum Romanorum Numismata* 199
Jani Brouckhusii *Carmina* 542
Christophori Cellarii *Grammatica Ebræa* 167
M. Tullii Ciceronis *Epistolæ ad Atticum* 397
Colomesii *Bibliotheca Selecta* 313
Antonii van Dale *de Oraculis Ethnicorum Dissert.* 207
Wilhelmi Dugdale *Usus antiquus gerendi Arma* 154
Joh. Henr. Eggelingii *Epistolæ ad Patinum de Numismatibus quibusdam* 35
Joh. Gibboni *Introductio ad Latinam Blasoniam* 153
Joh. Georg. Grævii *Notæ ad Ciceronis Epistolas ad Atticum* 397
Joh. Frid. Koberi *Grammatica Græca* 198
Joh. Baptistæ de Luca *Relatio Curiæ Romanæ* 28
G. G. L. Meditationes de Cognitione, veritate, & ideis 537
Malebranchii *Responsio ad librum Arnaldi de veris & falsis ideis* 241
Tractatus Moralis 505
Caroli Cæsaris Malvasiæ *Ælia Lælia Crispis* 263
P. Molinetti *Historia de Fatis Literarum Romanarum* 196
Andreæ Morelli *Specimen universæ rei numerariæ antiquæ* 331

Dan.

Dan. Georg. Morhofii *de Patavinitate Liviana Liber* 570
Henrici Noris *Epistola Consularis* 302
Prosperi Parisii *Rara Magnæ Graciæ Numismata* 14
Guidonis Patini *Epistolæ selectæ* 248
Caroli Patini *Epistola ad Eggelingium de Numismatibus quibusdam* 25
Gabrielidis Carolæ Patinæ *Dissertatio de nummo quodam Caracallæ* 587
Petri Petiti *selectorum Poematum libri duo* 328
Samuelis Pufendorfii *de Jure naturæ & gentium libri octo* 399
Jacobi le Roy *Achates Tiberianus* 255
Theodori Ryckii *Differt. de primis Italiæ Colonis &c.* 488
Octavii Scarlatini *Homo Symbolicus, Anatomicus, Rationalis &c.* 478
Nicolai a Schönberg *Orationes V.* 486
Petri Scholirii *Sermonum familiarium libri 3.* 262
Ezechi lis Spanhemii *Notæ ad Juliani Cæsares* 164
Jac. Sponii *Curiosa Antiquitatum investigatio* 231

ERRATA NONNULLA.

Pag. 6. l. 2. pro *nepotis* lege *neptis.*
Pag. 30. l. 20. pro *explicatam* lege *explicatum.*
Pag. 150. l. 33. pro *spargebor* lege *spargebatur.*
l. 34. pro *prodiat* lege *prodibat.*
P. 195. l. 11. pro *capitis trabam* lege *capitis-traba.*
P. 246. l. 31. pro *immittas in eam* lege *immittas eam in.*
P. 271. l. 2. pro *experante* lege *imperante.*
P. 285. l. 12. pro *Henschaw* lege *Henshaw.*
P. 392. l. 18. sic lege: *qui extremam partem terræ firmæ sive continentis Angliæ (quod est promontorium Geographis Bolerium dictum) transit &c.*
P. 482. l. 6. pro *ficit* lege *facit.*
P. 517. l. 18. pro כארים lege כרים.
P. 530. l. 28. pro *febres* lege *de febribus.*
P. 557. l. 30. pro *Aboracicum* lege *Thoracicum.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google